BULLARIUM ORDINIS EREMITARUM S. AUGUSTINI, IN QUO PLURES...

Lorenzo Empoli, Giovanni Battista Coccini

BVLLARIVM ORDINIS EREMITARVM S. AVGVSTINI,

IN QVO PLVRES CONSTITVTIONES APOSTOLICAE ab Originalibus, & Transumptis authenticis ab Innocentio Tertio vsque ad Vrbanum Octauum ad eundem Ordinem spectantes collectæ sunt

A REV. P. MAGISTRO FR. LAVRENTIO EMPOLI
S. Rom. Inquisitionis Qualificatore, & in Romana Curia pro secunda vice Procuratore Generale.

Apposito Catalogo Priorum, Capitulorum, & Procuratorum Generalium, Assistentium, ac Sacrarij Apostolici Sacristarum.

AD ILLVSTRISS. ET REVERENDISS. D.
D. F. ANTONIVM BARBERINVM
S. R. E. CARD. S. HONVPHRII.



ROMÆ, Ex Typographia Reu. Cameræ Apostolicæ. M. DC. XXVIII.
SVPERIORVM AVCTORITATE.

Imprimatur, si videbitur Reuerendissimo Magistro Sacri Palatij Apostolici.

A. Episc. Bellicastren. Vicesg.

Imprimatur

Fr. Vincentius Gherardus Lector, & Socius Reuerendiss. P.F. Nicolai Rodulfij Ord. Præd. Sac. Apost. Palatij Magistri.

Magister Fr. Heironymus de Ghettis Romanus Ordinis Eremitarum S. Augustini Prior Generalis licèt Indignus.

Admod. Reu. Patri Magistro Fratri Laurentio Empoli eiusdem Ordinis Procuratori Generali Salutem.

BVllarium nostri Ordinis à te studio, & labore collectum, nobisq; probatum et acceptum, vt quàm primùm typis mandari facias hortamur, quòd eidē Ordini, commodo, & decori non modico futurum speramus; & licentiam desuper requisitam his nostris literis tibi concedimus. Romæ die 7. Februarij 1628. Nostri officij affixo sigillo.

Fr. Hier. Romanus Gen. Ind.

Loco † sigilli.

Priuilegij Summa pro Impressore Camerali, & Vaticano.

CLemens Papa VIII. Diplomate sanxit, ne quis citra voluntatem Dominici Basæ, olim in Typographia Vaticana Impressoris, sacram Bibliam, Concilia generalia, Epistolas decretales, libros ad Ecclesiasticum munus pertinentes, ac etiam Sanctorum Patrum volumina, libros etiam cuiuscunque generis, vel nouiter ab ipso edendos, vel nouis additionibus auctos, per decennium ab editione cuiusque voluminis, imprimat, vel impressa venalia habeat. Quod Priuilegium Paulus Papa V. peculiari Chirographo in fauorem Hieremiæ Guelphi I.V.D. ac Impressoris Cameralis transtulit, indulsitque. Id idem Gregorius Papa XV. Literis expeditis ratum, firmùmq; haberi voluit. Violatores excommunicationis latæ sententiæ pœna puniuntur. Quòd si in Terris S.R.E. subiectis id contigerit, confiscatione etiam librorum, ac quingentorum ducatorum auri solutione mulctabuntur, vt latius patet in Literis ipsius Gregorij Papæ, datis Romæ apud sanctam Mariam Maiorem sub anulo Piscatoris die 18 Octobris 1621. Pontificatus sui anno primo. Quæ omnia Sanctiss. D. N. Vrbanus Papa VIII. in fauorem Andreæ Brogiotti Typographi Cameralis & Vaticani translata & indulta haberi iussit, datis Literis apud S. Petrum sub anulo Piscatoris die 23. Martij 1628. Pontificatus anno quinto. Signat. M. A. Maraldus.

ILL.^MO ET REV.^MO D.

D. FR. ANTONIO BARBERINO

S. R. E. CARDINALI S. HONVPHRII.

F. LAVRENTIVS EMPOLI ORD. EREMITARVM S. AVGVSTINI. F. P.

SACRI Mendicantium Ordines quàm ſtrenuè in Eccleſia militauerint (Cardinalis Ampliſſime) angulus in Orbe nullus ignorat; nullus ſiquidem eſt, quem eorundem egregiorum facinorum non faciant monumenta decorum, & quam Apoſtoli plantauerunt, illam Mendicantes doctrina, ſanctitate, & ſanguine irrigantes eximia fecerunt vbertate ditiſſimam; Caſtra Dei hæc ſunt, quæ reddiderunt illam præ fortitudine terribilem, & præ ſanctimonia pulcherrimam, vt proinde nequeant aduerſarij perterriti illius terrificos ſuſtinere intuitus, nec fideles deſinant in ſpiritualium deliciarum opulentia iucundari; & ne emeritorum militum exantlatos labores Apoſtolica Sedes minùs acceptos ferre videretur, ærarijs Eccleſiæ reſeratis gratiarum ſtipendia cumulatè perſoluit, quibus veteranorum glorioſa conſeruata memoria, tyronum ad æmulationem animos prouocaret, atque Eccleſiaſticæ proinde copiæ nullo vnquam forent tempore diminutæ. Cùmque de illius abundantia pietatis Mendicantes

omnes acceperint, exigua probè pars illa censenda non est, quæ ad Eremitarum Sancti Augustini Ordinem deriuauit; Quam in Bullario, studio & labore non modico, colligendam curaui, & omnium ob oculos ponendam, vt neminem lateret quæ, & quanta ab vnoquoque exigatur erga eandem Sanctam Sedem fides, atque deuotio, quæ in omnes Dispensatricem munificam se semper exhibuit. Quod omnibus gratum non dubito, maximè verò cum viderint illud amplissimi nominis tui protectione suffultum; quam implorare minimè veritus sum, firmissima confidentia ductus, charitatem, quæ te in Ordine Seraphico Mendicantibus fraternitatis vinculo copulauerat, ad Purpuratos euectum, eorundem te fecisse Patronum. Quòd si aut me præsentem, aut in futurum quempiam oportunè, importunè, patrocinia flagitantem audieris, Mendicantes agnoscas, & memineris, te ex Mendicantibus Purpuratum. Deus Amplitudinem tuam conseruet incolumem. Romæ die 4. Octobris M. DC. XXVIII.

AD



AD REV.^MVM P. GENERALEM
M. F. HIERONYMVM
ROMANVM,
ET AD ORDINEM VNIVERSVM
PRAEFATIO AVTHORIS.

CONCESSAS Ordini nostro Constitutiones Apostolicas labore non modico è latebris erutas conatus sum ad lucem deducere,& in propatulo collocare, eo quòd sæpius repetita me fecit experientia doctum, ex illarum ferè deperdita notitia res Ordinis iacturã perpetisse non modicam: siquidem nonnulli ad pauca respicientes, quæ ad nos vetustiora tempora peruenire concesserunt, facilè de illo tanquàm de parum noto, aut minus Ecclesiæ probato obloquuntur, minimè, prout conuenerat, considerantes siuè primitiuorum Ordinis Fratrum simplicitatẽ, qui temporariæ laudis auram negligentes, in penetralibus Altissimo famulabantur, & viuentium proloquia habentes despectui, diuini solius amoris oblectabantur intuitu; siuè temporis inuidiam, rerùmq; vicissitudines, atque discrimina, quæ præclariora facinora, quasi per rimulas vix effulgere permiserunt. Pauca fateor esse, compendiosaq; nimis, quæ de Ordine Scriptores nostri literis commendarunt, Henricus de Vrimaria, Iordanus de

Saxonia, Aegidius Romanus, Ambrosius de Cora, Iosephus Pamphilus Episcopus Signinus, Hieronymus Romanus Hispanus, Hieronymus Seripandus Cardinalis, Mauritius Parmensis, Ludouicus de Angelis, Ioannes Marquez, Nicolaus Crusenius, Aegidius de Praesentatione, cuius dicta recenset Nicolaus Pleneuaulx in suo Primate Augustineo; firma nihilominus, & inconcussa, & nulla suspicionis calumniae obnoxia, quorum & ego vestigia (vita comite) in Chronica Ordinis aliquando sequuturus, operaepretium fore duxi, illis & mihi nouum, firmùmq; propugnaculum ex literis, & Constitutionibus Pontificijs extruere; quarum testimonium exceptioni cuique praeualere, nullus ibit inficias, aut contentiosè negabit, Ordinem nostrum antiquitùs in Albo militantis Ecclesiae fuisse descriptum, cui pro in bello praeclaris gestis, stipendiorum loco priuilegia plurima elargita fuerunt, quae satis, supèrq; illius non tyrocinium, sed emeritam, veteràmq; militiam probant. In quo mirum diuinae prouidentiae opus resplenduit, quae, Aphricanas oras Barbarico populante furore, Ordinem prius tam mirè, quàm breui propagatum, propria Sede proscriptum exulare coactum, membratim resciffum, & acephalum conseruauit, eiùsq; membra illaesa, integraq; custodiuit, iterum praefixa die integritati reddenda, opus Deo placitum, eius Ecclesiae proficuum, à Gregorio Nono desideratum, ab Innocentio Quarto inceptum, & ab Alexandro Quarto diuinitùs admonito ad perfectionem redactum. En igitur Bullarium nostrum, in quo Summorum Pontificum exaratas literas collegi, quae ad manus meas hucusque peruenerunt. In quo illorum pietas erga Ordinē, & Patrum nostrorum in Apostolicam Sedem fides, atque deuotio satis elucet, vt illorum non pigeat vestigia sectari, quorum gesta praeclara celebrare delectat. Inter illas ordo ante versus reperietur aliquando, qui ex eo procesfsit, quòd non ordinatè, sed diuerso tempore ad manus meas originalia, & transumpta literarum peruenerunt. Quòd si in illo Ordini vtilitatis, & commodi quidquam prouenire posse noueritis, Deo gratias agite, & illum mihi peccatori exorate propitium. Valete.

IN

IN NOMINE SANCTISSIMAE, & indiuiduæ Trinitatis, Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Amen.

NOVERINT vniuersi, & singuli hoc præsens nostrum attestationis, & transumpti instrumentum visuri, lecturi, pariter, & audituri, quosque hoc præsens tangit negocium, qualiter Nos GREGORIVS NARVS Protonotarius Apostolicus, vtriusque Signaturæ Sanctissimi D. N. Papæ Referendarius, necnon Causarum Curiæ Cameræ Apostolicæ generalis Auditor, Romanæq; Curiæ Iudex ordinarius, sententiarum quoque, censurarum, pœnarum, ac literarum Apostolicarum quarumcunque tàm in eadem Romana Curia, quàm extra eam latarum vniuersalis, & merus executor ab eodem Sanctissimo D. N. Papa specialiter Deputatus: Ad instantiam, & requisitionem Adm. Reu. P. Magistri Fratris LAVRENTII EMPOLI Ordinis Eremitarum S. Augustini generalis Procuratoris, ad manus nostras recepimus, habuimus, tenuimus, vidimus, & inspeximus infrascriptas annotatas Apostolicas literas diuersorum Summorum Pontificum, alteras in forma Bullæ sub plumbo, & alteras in forma Breuis sub anulo Piscatoris varijs temporibus, vt inferiùs apparet, expeditas, & in ipsis originalibus, transumptis publicis, simplicibus, & impressis respectiuè, modo, & forma infranotatis, consistentes; Quas quidem literas Apostolicas ad vlteriorem instantiam, et requisitionem eiusdem Adm. Reuer. Patris Procuratoris generalis diligenter auscultandas, concordandas, et collationandas dedimus, tradidimus, et commisimus infrascripto authentico, legali, & fidedigno Causarum Curiæ nostræ Notario, qui, altero sibi fido, diligenti, et ad prædicta idoneo secum adhibito, sub diuersis diebus prætereuntis anni 1628. eas exactissimè auscultasse, collationasse, & optimè concordare inuenisse nobis retulit cum subsequenti ipsarum literarum copia manuscripta, & vt infra disposita; videlicet

Alexandri Quarti Constitutiones XXXIII.

Prima incipit. Quanto studiosius. sub Dat. Neapoli 13. Cal. Aprilis, Pontificatus anno primo. Concordat cum originali sub plumbo. ij. Ex parte dilectorum filiorum. Neapoli Cal. Martij, Pontificatus primo. Cum originali vt supra. iij. Religiosam vitam eligentibus. Anagniæ 3. Cal. Augusti 1255. Pontificatus primo. Cum transumpto authentico. ead. iij. Religiosam vitam vt supra. Neapoli 4. Idus Aprilis 1255. Pontificatus primo. Cum originali sub plumbo. iiij. Cum ex Apostolici. Anagniæ 7. Cal. Iulij, Pontificatus primo. Cũ originali vt supra. v. Ex parte vestra. Anagniæ 7. Cal. Iulij, Pontificatus

primo. cum originali vt ſupra. vi. Pio veſtro. Anagniæ 6. Cal. Iulij, Pontificatus primo. cum originali vt ſupra. vij. Ne pro eo. Anagniæ 2. Idus Iulij, Pontificatus primo. cum originali vt ſupra. viij. Cæleſtis amor patriæ. Anagniæ 2. Idus Iulij, Pontificatus primo. cum originali vt ſupra. viiij. Literas quaſdam. Anagniæ Idibus Iulij, Pontificatus primo. cum originali vt ſupra. x. Volentes omne. Anagniæ Idibus Iulij, Pontificatus primo. cum originali vt ſupra. xi. Odore ſuaui. Anagniæ Idibus Iulij, Pontificatus primo. cum originali vt ſupra. xij. Cum contingat. Anagniæ 16. Cal. Auguſti, Pontificatus primo. cum originali vt ſupra. xiij. Solet annuere. Anagniæ 16. Cal. Auguſti, Pontificatus primo. cum originali vt ſupra. xiiij. Pia deſideria. Anagniæ 2. Cal. Auguſti, Pontificatus primo. xv. Cum Eccleſias. Laterani 16. Cal. Ianuarij, Pontificatus ſecundo. cum originali vt ſupra. xvi. Vobis aſſidue. Laterani 5. Cal. Maij, Pontificatus ſecundo. cum originali vt ſupra. xvij. Cæleſtis amor patriæ. Laterani 3. Cal. Maij, Pontificatus ſecundo. cum originali vt ſupra. xviij. Licet Eccleſiae. Laterani 5. Idus Aprilis, Pontif. ſecundo. cum originali vt ſupra. xix. Apoſtolicæ Sedis. Laterani 5. idus Aprilis Pontif. ſecundo. cum originali vt ſup. xx. Vt eo fortius. Laterani Idibus Aprilis, Pontificatus ſecundo. cum originali vt ſupra. xxi. Literas noſtras. Anagniæ Idibus Octobris, Pontificatus ſecundo. cũ originali vt ſupra. xxij. Inter alias. Laterani 4. Cal Aprilis, Pontificatus tertio. cum originali vt ſupra. xxiij. Oblata nobis. Laterani 12. Cal. Maij, Pontificatus tertio. cum tranſumpto authentico. xxiiij. In regiſtro. Laterani 4. Cal. Maij, Pontificatus tertio. cum tranſumpto authentico vt ſupra. xxv. Meritis veſtræ. Viterbij 2. Idus Iunij, Pontificatus tertio. cum originali ſub plumbo. xxvi. Inducunt nos. Viterbij Nonis Iulij, Pontificatus quarto. cum originali vt ſupra. xxvij. Religionis veſtræ. Anagniæ 2. Non. Martij, Pontificatus quinto. cum originali vt ſupra. xxviij. Quanto præclara. Anagniæ 3. Idus Iunij, Pontificatus quinto. cũ originali vt ſupra. xxviiij. Sic ordo. Viterbij 3. Idus Aprilis, Pontificatus quarto. cum originali vt ſupra. xxx. Circa perſonas. Anagniæ 5. Idus Iulij, Pontificatus quinto. cum originali vt ſupra. xxxi. Vitae perennis gloria. Anagniae 5. Idus Iunij, anno Pontificatus quinto. cum originali vt ſupra. xxxij. Solet annuere. Anagniae Nonis Iulij, Pontificatus ſexto. cum originali vt ſupra. xxxiij. Quanto praeclara. Anagniae 3. idus Iunij, Pontif. v. cum originali vt ſup.

Alexandri Sexti Conſtitutiones V.

Prima. Nuper Nobis. Romae ſub anulo Piſcatoris 22. Iunij 1493. Pontificatus primo, cum tranſumpto authentico. ij. Olim ſiquidem. Romæ vt ſup. 10. Maij 1495. cum originali. iij. Ad ſacram. Romae Idibus Octobris 1497. Pontificatus ſexto. cum Bullario Romano impreſſo Romae de anno 1617. tom. 1. iiij. Inter graues. Romae 26. Maij 1497. Pontificatus quinto. cum originali

in

in forma breuis. v. Iustis petentium. Romae 18. Decembris 1594. Pontificatus quarto. cum transumpto simplici.

Benedicti Vndecimi Constitutio I.

Licet ad hoc. Laterani 4. Idus Februarij, Pontificatus primo. cum originali sub plumbo.

Bonifacij Octaui Constitutiones X.

Prima. Sua nobis. Laterani 5. idus Martij, Pontificatus primo. cum originali vt supra. ij. Vestrae religionis. Anagniae, idibus Septembris, Pontificatus secundo. cum originali vt supra. iij. Sacer ordo vester. Laterani. 12. Cal. Februarij, Pontificatus quarto. cum originali vt supra. iiij. Sacrae Religionis merita. Romae 6. idus Aprilis, Pontificatus quarto. cum originali vt sup. v. Tenorem cuiusdam. Romae 3. Nonas Maij, Pontificatus quarto. cum originali vt sup. vi. Exhibita nuper. Laterani 18. Cal. Februarij, Pontificatus sexto. cum originali vt sup. vij. Ad consequendam gloriam. Laterani 2. Cal. Martij, Pontif. primo. cum originali vt supra. viij. In causa. Laterani 2. idus Martij, Pontif. quinto. cum originali vt sup. ix. Inter solicitudines. Laterani 17. Cal. Februarij, Pontif. octauo. cum originali vt supra. x. Sacer ordo. Laterani 12. Cal. Februarij, Pontif. quarto. cum transumpto authentico.

Bonifacij Noni Constitutiones IIII.

Prima. In sinu. Romae 7. idus Nouemb. Pontif. xi. cum originali sub plũbo. ij. Licet is. Romae Cal. Martij, Pontif. xi. cum originali vt sup. iij. Pijs, & honestis. Romae 16. Cal. Maij, Pontif. duodecimo. cum originali vt sup. iiij. Pro singulorum fidelium. Romae 11. Cal. Maij. Pontif. xi. cũ transumpto authentico.

Clementis Quarti Constitutiones V.

Prima. Deuotionis augmentum. Perusii 10. Cal. Iulij, Pontif. primo. cum orig. sub plumbo. ij. Pacis vestrae. Viterbij 3. idus Iulij, Pontif. secundo. cum originali vt sup. iij. Sub religionis habitu. Viterbij 6. idus Iunij, Pontif. secundo. cum orig. vt sup. iiij. Quasdam literas. Viterbij idibus Iulij, Pontif. secundo. cum orig. vt sup. v. Prouisionis vestrae. Viterbij 10. Cal. Iunij, Pontif. quarto. cum orig. vt sup.

Clementis Sexti Constitutio Vnica.

Ad fructus vberes. Auenioni 14. Cal. Augusti, Pontif. sexto. cum orig. vt sup.

Clementis Septimi Constitutiones III.

Romanus Põtifex. Romae vlt. Octob. 1530. Pontif. 7. cũ orig. sub anulo Piscat. ij. Meritis vestrae deuotionis. Auenione 6. Cal. Septemb. Pontif. primo. cum tran-

transumpto authentico. iij. Vacantibus: Romae 10. April. 1527. Pontif. quarto: cum transumpto ut supra. iiij. Sua Nobis. Romae 15. Cal. Maij 1527. Pontificatus quarto. cum transumpto ut supra.

Clementis Octaui Constitutiones IX.

Prima. Admonet nos. Romae 13. Septemb. 1600. Pontif. nono. cũ transumpto authentico Illustriss. D. A. C. ij. Ex iniuncto nobis. Romae 22. Decemb. 1604. Pontif. 13. cum originali sub anulo Piscat. iij. Romanum decet. Romae 13. Iulij 1604. Pontif. 13. cum orig. ut sup. iiij. Quoniã nostro. Romae 23. Nouemb. 1604. Pontif. 13. cum originali ut sup. v. Quoniam nemo. Romae 1. Decemb. 1604. Pontif. 13. cum originali ut sup. vi. Beatorum virorum. Tusculi 15. Octob. 1603. Pontif. 12. cum transumpto impresso in Typographia Apostolica de dicto anno. vij. Quae nobis. Romae 16. Februarij 1595. Pontif. quarto. cum originali sub anulo Piscatoris. viij. Ex iuncto nobis. Tusculi 2. Octobris 1603. Pontificat. 12. cum bullario Romano impresso tom. 3. const. 104. ix. Vniuersalis Ecclesiae. Romae 28. Februarij 1596. Pontif. quinto. cum originali sub anulo Piscatoris.

Cælestini Quinti Constitutiones III.

Prima. Dũ solicitae considerationis. Neapoli 5. Cal. Decemb. Pontif. primo. cum originali sum plumbo. ij. Ex parte dilectorum. Neapoli Nonis Decemb. Pontificatus primo. cum originali ut sup. iij. Ad fructus vberes. Neapoli 5. Cal. Decembris, Pontif. primo. cum originali ut supra.

Callisti Tertij Constitutio Vnica.

Inter cetera. Romae 10. Cal. Aprilis. 1456. Pontif. secundo. cum origin. ut sup.

Eugenij Quarti Constitutiones IIII.

Prima. Laudabilem in Domino. Romae 15. Cal. Ianuarij 1445. Pontif. 15. cum originali ut sup. ij. Licet militans. Romae Cal. Februarij 1446. Pontif. 16. cũ transumpto authentico A. C. iij. Regimini vniuersalis. Senis 8. idus Septemb. 1443. Pontif. decimotertio. cũ bullario Romano tom. 1. const. Eugenij 25. iiij. Ad hoc. Romae 5. Cal. Decemb. 1443. Pontif. 13. cũ bullario Romano. eodem tomo.

Gregorij Noni Constitutiones V.

Prima. Sacrosancta Romana. Laterani 6. Cal. Decemb. Pontif. primo. cum originali sub plumbo. ij. Cum olim. Perusij 6. idus Decemb. Pontif. secũdo. cum originali ut sup. iij. Quae omnium. Perusii 3. idus Martij, Pontif. octauo. cum originali ut sup. iiij. Dilecti filij. Laterani 3. Nonas Ianuarij, Pontif. quarto. cum originali ut supra. v. Dudum apparuit. Laterani 9. Cal. Aprilis. Pontificatus decimoquarto. cum transumpto simplici.

Grego-

Gregorij Decimi Conſtitutio I.

Sub Religionis habitu. apud Vrbem veterem 4. Nonas Ianuarij, Pontificatus primo. cum originali ſub plumbo.

Gregorij Vndecimi Conſtitutiones II.

Prima. Ad Romani Pontificis. Auenioni 5. Idus Nouembris, Pontificatus tertio. cum originali vt ſupra. ij. Iuſtis petitionibus. apud Villam nouam Aueniouenſis diœceſis 4. Nonas Maij, Pontificatus quarto. cum originali vt ſupra.

Gregorij Duodecimi Conſtitutio I.

Sacrae Religionis. Arimini Cal. Decemb. Pontif. ſecundo cum orig. vt ſup.

Gregorij Decimitertij Conſtitutiones IIII.

Prima. Dum ad Vberes. Romæ 5. Septemb. 1572. Pontif primo. cum orig. ſub anulo Piſcatoris. ij. Cum ſicut accepimus. Romæ 3. Septemb. 1572. Pontif. primo cũ orig. vt ſup. iij. Volentes ſicut. Romæ 12. Nouemb. 1579. Pontif. octauo cum orig. vt ſup. iiij. Dominicum gregem. Romæ 25. Iunij 1583. Pontif. xij. cum Bullario Romano Romae impreſſo in Typographia Apoſt. conſt. 83. Gregorij.

Gregorij Decimiquinti Conſtitutiones IIII.

Prima. Alias à fel. rec Paulo. Romæ 14. Maij 1621. Pontif. primo cum trãſumpto authentico A. C. ij. Iniuncti Nobis. Romæ 3. Nonas Junij 1621. Pontif. primo. cum originali. iij. Cum, ſicut accepimus. Romæ 7. Iunij 1621. cum folio impreſſo in Typographia Apoſtolica. iiij. Ad ſacram. Romæ 31. Auguſti 1622. Pontificatus ſecundo. cum tranſumpto authentico.

Honorij Quarti Conſtitutiones V.

Prima. Petitio veſtra. Romæ 17. Cal. Decemb. Pontif. 2. cum orig. ſub plũbo. ij. Petitio veſtra nobis. Romæ 17. Cal. Decemb. Pontif. 2. cũ orig vt ſup. iij. Meritis veſtræ religionis. Romæ 17. Cal. Decemb. Pontif. 2. cum orig. vt ſup. iiij. Pro reuerentia. Romæ 10. Cal. Iunij, Pontif. 2. cum orig. vt ſup. v. Meritis veſtræ religionis inducimur. Romæ 10. Cal. Martij, Pontif. ſecundo. cum originali vt ſup.

Innocentij Tertij Conſtitutio Vnica.

Inſinuante V. Laterani Cal. Decemb. Pontificatus ſecundo. cum tranſumpto ſimplici, & quarto Decretalium impreſſo.

Innocentij Quarti Conſtitutiones XVII.

Prima. Incumbit nobis. Laterani 17. Cal. Ian. Pontif. primo. cum orig. vt ſup.

ij. Pia

ij. Pia desideria. Laterani 2. Cal. April. Pontif. primo. cum orig. vt sup. iij. Quoniam, vt ait Apostolus. Laterani 6. Cal. Maij, Pontif. primo. cũ transumpto auth. iiij. Religiosam vitam. Laterani 6. Cal. Maij. 1244. Pontif. primo. cum orig. sub plumbo. v. Pium fore dignoscitur. Laterani 5. Idus Maij, Pontif. primo. cũ orig. vt sup. vi. Insinuarunt. Lugduni 15. Cal. Iulij, Pontif. quarto. cum orig. vt sup. vij. Quoniam. Lugduni 5. Cal. Octob. Pontif. quinto. cum orig vt sup. viij. Circa opera pietatis. Lugduni 4. Nonas Iunij, Pontif. sexto. cũ orig. vt sup. ix. Pio vestro Collegio. Lugduni 3. Cal. Augusti, Pontif. sexto. cũ orig. vt sup. x. Dilecti filij. Lugduni 7. Idus Decemb. Pontif. 7. cum orig. vt sup. xi. Quæ ex Apostolici. Lugduni 12. Cal. Aug. Pontif. 8. cum orig. vt sup. xij. Quæ omnium. Lugduni 15. Cal. Octob. Pontif. 8. cum orig. vt sup. xiij. In causa. Perusii. 5. Idus April. Pontif. 9. cũ orig. vt sup. xiiij. Admonet nos. Perusii 17. Cal. Maij Pontif. decimo. cum orig. vt sup. xv. Dilecti filij Priores. Perusii 3. Nonas Augusti, Pontif. 10. cum orig. vt sup. xvi. Religiosam vitam. Assisii 2. Cal. Iunij 1253. Pontif. x. cum orig. vt supra. xvij. Prouidentia. Assisii Cal. Iulij, Pontif. vndecimo. cum orig. vt supra.

Innocentij Sexti Constitutiones III.

Prima. Religionis fauor. Auenioni 16. Cal. Febr. Pont. primo cum orig. vt sup. ij. Quæ ad Diuini. Auenioni Idib. April. Pont. 9. cum orig. vt sup. iij. Tenorē quarundā. apud Villā nouam Auenionen. diœc. 4. Idus Iulij, Pont. 8. cum orig. vt sup.

Innocentij Octaui Constitutiones IIII.

Prima. Ex dilecto filio. Romæ 17. Martij 1489. Pontif quinto. cum orig. sub anulo Piscatoris. ij. Prouisionis nostræ. Romæ 5. Cal. Octob. 1485. Pontif. primo. cum transumpto A. C. impresso ex Typograph. Apost. 1604. iij. Vacantibus. Romæ 17. Cal Octob. 1486. Pontif. 4. cum transumpto impresso vt sup. iiij. Tuis supplicationibus. Romæ 16. Febr. 1486. Pont. secundo. cum orig. sub anulo Piscatoris.

Ioannis Vigesimisecundi Constitutiones II.

Prima. Etsi quibuslibet. Auenioni 14. Cal. Maij, Pontif. primo cum orig. sub plumbo. ij. Veneranda. Auenioni 13. Cal. Febr. Pontif. xi. cum orig. vt sup.

Iulij Secundi Constitutiones VII.

Prima. Nuper nobis. Romæ 24. Martij 1506. Pontif. tertio. cum originali sub anulo Piscatoris. ij. Dum fructus vberes. Romae 7. Cal. Iulij 1507. Pontif. 4. cum orig. sub plumbo. iij. Etsi. Romae 17. Iunij 1508. Pontif. 5. cum orig. sub anulo Piscatoris. iiij. Nihil est. Romae 24. Septemb. 1508. Pontif 5. cum orig. vt sup. v. Religionem vestram. Romæ 30. Iunij 1508. Pontif sexto cum orig. vt supra. vi. Exegit tua. Romae 21. Iulij 1511. Pontif. octauo. cum orig. vt supra. vij. Prae caeteris. Romae 2. Iulij 1512. Pontif. nono. cum originali vt supra.

Iulij

Iulij Tertij Constitutiones IIII.

Prima. Ex debito. Romæ 13. Ian. 1551. Pontif. primo. cum orig. vt sup. Instrumentum, incipit. Per hoc præsens. sub anno 1551. 27. Febr. & finit, muniendo requisitus. cum impresso in libello Priuilegioru͂ Ordinis. ij. Cum Nos nuper. Romæ 7. Iulij 1551. Pontif. 2. cum orig. sub anulo Piscatoris. iij. Cum nihil. Romæ 23. Nouemb. 1554. Pontif. 5. cum orig. vt sup. iv. Cum à Nobis petitur. Romæ 7. Idus Septembris 1551. Pontif. secundo. cum transumpto authentico.

Leonis Decimi Constitutiones XI.

Prima. Præcæteris. Romæ 10. Maij 1513. Pontif. primo. cum orig. sub anulo vt sup. ij. Cum sicut accepimus. Romæ 6. Ian. 1515. Pontif. secundo. cum orig. vt sup. iij. In rerum. Romæ 10. Iunij. 1513. Pontif. primo. cum orig. vt sup. iiij. Inter cætera. Romæ 10. Iunij 1513. Pontif. primo. cum orig. vt sup. v. Multa accepimus. Palli Portuen. diœc. 5. Februarij 1515. Pontif. 2. cum orig. vt sup. vi. Superioribus diebus. Romæ 4. Maij 1517. Pontif. 5. cum orig. vt sup. vij. Dudum. Romæ 12. Nouemb. 1517. Pontif. 5. cum orig. vt supra. viij. Discessit à præsentia. Romæ 9. Maij 1521. Pontif. nono. cum orig. vt sup. ix. Accepimus. Romæ 5. Aprilis 1515. Pontif. 3. cum orig. vt sup. x. Licet sponte nostra. Romæ 6. Maij 1514. Pontif. 2. cum orig. vt sup. xi. Exponi nobis. Romae 19. Iunij 1519. Pont. 7. cu͂ orig. vt sup.

Martini Quinti Constitutiones VI.

Prima: Viam ambitiosae. Gebennis 4. Cal. Augusti, Pontif. primo. cum orig. sub plumbo. ij. Pro cunctorum. Mediolani 16. Cal. Nouemb. Pontif. primo. cum orig. vt sup. iij. Syncerae deuotionis. Romae Nonis Nouemb. Pontif. 8. cum orig. vt sup. iiij. Ad circumspecta͂. Romae 6. Idus Iunij, Pontif. nono. cum orig. vt sup. v. Romani Pontificis. Romae Nonis Iunij, Pontif. 10. cum orig. vt sup. vi. Pia Charitas. Romae 5. Cal. Maij, Pontif. 13. cum transumpto authentico A.C.

Nicolai Quarti Constitutiones IIII.

Prima. Licet. Romae 8. Idus Febr. Pontif. primo. cum originali sub plumbo. ij. Necessitates. Romae Nonis Ianuarij, Pontif. secundo. cum orig. vt sup. iij. Ad fratres. apud Vrbemueterem, 6. Idus Octobris, Pontif. tertio. cum orig. vt supra. iiij. Tenorem. Reate 5. Cal. Septemb. Pontif. secundo. cum originali vt supra.

Nicolai Quinti Constitutiones III.

Prima. Solicitudo. Romae 16. Cal. Iunij. 1451. Pontif. quinto cum orig. vt sup. ij. Dispositione diuina. Romae 16. Cal. Iunij 1451. Pontif. 5. cum orig. vt sup. iij. Regimini. Romae 5. Cal. Decemb. 1451 Pontif. quinto. cum orig. vt supra.

Pauli

Pauli Secundi Constitutiones II.

Prima. Diuina dispositione. Romae Nonis Ianuarij 1469. Pontif. sexto. cum libello impresso Priuil. Ordinis pag. 59. ij. Exposcit. Romae Pridie Cal. Septembris 1470. Pontif. 6. cum libello impresso vt supra fol. 61.

Pauli Tertij Constitutiones VII.

Prima. Religionis. Romae 23. Aprilis 1540. Pontif. 6. cum orig. sub anulo Piscatoris. ij. Dudum. Romae 8. Februarij 1541. Pontif. 7. cum orig. vt supra. iij. Suadet. Romae 7. Aprilis 1541. Pontif. 7. cum orig. vt sup. iiij. Pontificalis. Romae 17 Iulij 1542 Pontif 8. cum orig. vt sup. v. Dudum dilectis. Fauentiae 12. Iulij 1543. Pontif. 9 cum orig. vt sup. vi. Cum, sicut accepimus. Romae 26. Martij 1546. Pontif. 12. cum orig. vt sup. vij. Cum à Nobis. Romae 15. Cal. Maij 1585. Pontificatus primo. cum transumpto authentico.

Pauli Quinti Constitutiones X.

Prima. Æquum. Romae 1605. 5. Cal. Iunij, Pontif. primo. cum orig. sub plumbo. ij Cum certas. Romae 2. Octob 1606. Pontif 2. cū orig. sub anulo. iij. Admonemur. Romæ 4. Iulij 1608. Pontif. quarto. cum orig. vt sup. iiij. Splendor. Romæ 1. Febr. 1611. Pontif. 6. cum orig. vt sup. v. Nuper à Nobis. Romæ 14. Iulij 1614. Pontif 10. cum orig. vt sup. vi. Prouisionis. Romæ 27. Nouemb. 1614. Pontif. 10. cum transumpto impresso in Typographia Apost. 1616. Decretum. Cum alias. Romæ 5. Idus Nouemb. 1593. cum impresso vt sup. vij. Prouisionis nostræ. Romæ 27. Nouemb. 1614. Pontif. 10. cum impresso vt sup. viij. Cum sicut accepimus. Romæ 4. Nouemb. 1609. Pontif. 6. cum orig. sub anulo Piscat. ix. Alias. Romæ 13. Febr. 1606. Pontif primo. cum transumpto simplici. x. Exponi Nobis. Romæ 25. Ianuarij. 1617. Pontif. duodecimo. cum transumpto impresso Panormi.

Pij Secundi Constitutio Vnica.

Sacræ religionis. Senis 2. Cal. Aprilis, Pontif. sexto. cum orig. sub plumbo.

Pij Quarti Constitutio Vnica.

Cum Nos. Romæ 23. Iulij 1560. Pontif. primo. cum originali vt supra.

Pij Quinti Constitutio Vnica.

Quoniam. Romæ 3. Cal. Maij 1570. Pontif. quinto. cum transumpto impresso Perusii de anno 1570.

Sixti Quarti Constitutiones XI.

Prima. Quia in futurum. Romæ Idus Decemb. 1471. Pontif primo. cum orig.

ij. Qui

ij. Qui Apostolis. Romae 5. Idus Maij 1484. cũ transumpto authentico. iij. Raphaelis Cardin. S. Georgij Camerarij. incipit. Cura, & officium. Romae penult. Martij 1483. Pontif. Innocentij Papae Octaui anno tertio. cũ orig. iiij. Etsi Romanus. Romae Pridie idus Augusti 1477. Pontif. 6. cum orig. sub plũbo. v. Dum fructus vberes. Romae 7 idus Febr 1474. Pontif. 4. cum libello impresso Priuileg. Ordinis fol. 26. & transumpto authent. vi. Ineffabilia. Romae 7 idus Septemb. Pontif. 2. cum dicto libello impresso fol. 63. vij. A Sede Apostolica. Romae 4. idus Octob. 1472. Pontif. 2. cum dicto libello eod. fol. 63. viij. Inter praecipuas. Romae x. Cal. Ian. 1472. Pont. 2. cum libello supradicto fol. 64. ix. Apostolicae solicitudinis. Romae Cal. Decemb. 1477. Pontif. 7. cum dicto libello fol. 67. x. Cum ineffabilia. Romae 10. Cal. Iulij. 1478. cum libello vt sup. fol. 68. xi. Dum singulos. Romae Cal. Maij 1475. Pontificatus quarto. cum libello vt supra fol. 69. & omnes etiam cum transumpto authentico.

Sixti Quinti Constitutiones II.

Prima. Sancta Romana. Romae 10. Cal. Ian. 1585. Pontif. primo cum orig. ij. Exigit. Romae 14. Maij 1587. Pontif. tertio. cum transumpto simplici.

Vrbani Quarti Constitutiones IX.

Prima. Prouisionis. Viterbij 15. Cal. Maij, Pontif primo. cum orig. sub plũbo. ij. Solet annuere. Viterbij Nonis Maij, Pontif primo. cum orig. vt sup. iij. Prouisionis nostrae. Viterbij Nonis Maij, Pontif. primo. cum orig. vt sup. iiij. Necessitatibus. Viterbij 8. Cal. Iunij, Pontif primo. cũ orig. vt sup. v. Caelestis amor. Viterbij Idib. Iunij, Pontif primo. cum orig. vt sup. vi. Quieti vestrae. Viterbij Cal. Octob. Pontif. primo. cum orig. vt sup. vij. Nonnulli Fratres. Viterbij 8. Cal. Decemb. Pontif primo. cum orig. vt sup. viij. Desiderijs vestris. Viterbij 5. idus Decemb. Pontificatus primo. cum originali vt supra. ix. Religiosam vitam. Viterbij 3. Cal. Aprilis 1262. Pontificatus primo. cum transumpto authentico.

Vrbani Sexti Constitutio Vnica.

Solet annuere. Perusii 2. Cal. Maij, Pontif. 11. cum originali sub plumbo.

Vrbani Octaui Constitutiones VIII.

Prima. Domini N. Iesu Christi. Romae 14. Augusti 1624. Pontif. secũdo. cum originali sub anulo Piscatoris. ij. Pastoralis officij. Romae 30. Iulij 1626. Pontificatus tertio. cum transumpto simplici ex Secretaria Apostolica habito. iij. Romanus Pontifex. Romae 25. Nouembris 1626. Pontificatus quarto. cum transumpto simplici vt supra. iiij. In supremo. 11. Octobris 1627. Pont. quinto. cum originali sub anulo Piscatoris. v. Nuper. 4. Februarij 1628. Pontificatus quinto. cum originali vt sup. vi. Romanus Pontifex. Romae 24. Aprilis 1625.

Ponti-

Pontificatus secundo. cum transumpto simplici. vij. Alias per fel. rec. Romae 23. Maij 1628. Pontificatus quinto. cum orig. in forma breuis sub anulo Piscat. viij. Ex iniuncti. Romae 21 Iulij 1628. Pontificatus quinto. cum orig. vt supra.

Et quia primo dictas literas non vitiatas, cancellatas, nec in aliqua earum parte suspectas, sed integras, omniq; vitio, & suspicione prorsus carentes esse reperimus; & deinde ipsam copiam, seù transumptum hic alligatum accuratissime ab eis exemplatum fuisse, et in aliquo non discrepare, sed ad vnguem, ac de verbo ad verbum, nihilò penitus adiecto, vel diminuto, benè cum illis concordare, idem noster Notarius fidem coram Nobis, fecit indubiam; Ideo in hanc publicam formam redigi, et nostri Nominis, & Officij auctoritate fulciri, muniriq; fecimus, & mandauimus; Volentes, nostraeq; Curiae potestate decernentes, quod dictae copiae, transumptuiq; publico, sic, vt praefertur, concordato, de cetero in antea, tàm in eadem Romana Curia, quàm extra in quibusuis totius Orbis locis, & partibus adhibeatur, & detur talis, et tanta fides, qualis, & quanta datur, & adhibetur, ac daretur, & adhiberetur eisdem literis originalibus, si in medium exhibitae, & ostensae forent, super quibus omnibus tanquam ritè, rectè, & legitimè gestis, Nos nostram, nostraeq; Curiae praedictae auctoritatem pariter, & decretum interponendum duximus, & interposuimus, prout interponimus per praesentes, supplendo omnes, & singulos tàm iuris, quàm facti defectus, si qui forsan interuenerint in praemissis, In quorum robur, fidem, & testimonium, manu, sigillòq; nostris subscripsimus, & imprimi iussimus, & per dictum Curiae nostrae Notarium, vt infra, publicari mandauimus isto, & omni alio meliori modo &c. Actum Romae in Ædibus nostrae solitae Residentiae, Anno à Natiuitate D. N. Iesu Christi millesimo sexcentesimo vigesimo octauo, Indictione vndecima, die verò vigesimasecunda mensis Martij, Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris, & D.N.D. Vrbani diuina prouidentia Papae Octaui, anno quinto, Praesentibus audientibus, & intelligentibus DD. Rinaldo Buratto, & Arsenio Musca alteris dictae Curiae nostrae Notarijs testibus ad praemissa vocatis, habitis specialiter, atque rogatis.

Camillus Meltius Lñs.

Loco ✠ sigilli A. C.

Sanctes Floridus Cau. Cur. Cam. Apost. Not.

Loco ✠ signi Not.

BVLLA.

BVLLARIVM ORDINIS EREMITARVM S. AVGVSTINI.

ALEXANDRI IV. Constit. I.

Ex originali Bulla cum plumbeo sigillo, quæ in Archiuo Ordinis asseruatur Romæ in Conuentu S. Augustini.

Summarium.

Prior Generalis, & Fratres Eremitarum Ordinis S. Augustini cogi non possunt ad solutionem Collectarum quarumcũque in pensionibus, vel beneficijs ecclesiasticis, etiam per literas Sedis Apostolicæ impetratas, vel impetrandas, nisi in illis mentio specialis fiat Ordinis præfati, & præsentis concessionis.

ALEXANDER EPISCOPVS Seruus Seruorum Dei.

Anno 1255. *Dilectis filijs Priori Generali, & vniuersis Prioribus, & Fratribus Eremitarum Ordinis S. Augustini salutem, & Apostolicam benedictionem.*

Habetur in Mare magno Sixti Quarti const. 5. nu. 8. QVANTO studiosiùs diuinæ contẽplationi vacatis Domino famulando, tanto quieti vestræ libentiùs prouidemus.

§. 2. Cum igitur sicut ex parte vestra fuit propositum coram Nobis, nonnulli vestri grauaminis auidi, frequenter super prouisionibus, & exactionibus indebitis vos, & mansiones vestras multipliciter inquietent.

§. 3. Nos deuotionis vestræ precibus inclinati, auctoritate vobis præsentium indulgemus, vt ad receptionem, vel prouisionem alicuius in pẽsionibus, vel beneficijs ecclesiasticis, aut ad solutionem Collectarum, seù exactionum quarumlibet, vel vicesimæ, cogi à nemine valeatis per literas apostolicas impetratas, vel etiam impetrandas, absque mandato Sedis Apostolicæ speciali, faciente plenam, & expressam de verbo ad verbum de vobis, vestro Ordine, & hac indulgentia mentionem. *Ad collectas pro beneficijs non tenentur.*

§. 4. Nulli ergo omnino hominũ liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attẽtare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum.

Datum Neapoli tertiodecimo Kalendas

lendas Aprilis, Pontificatus Nostri anno primo.

Const. II.

Ex Bulla originali, quae cum sigillo plumbeo asseruatur Romae in Archiuo Ordinis. nu. 2.

Summarium.

Omnes Ecclesiae Praelati fugitiuos ab Ordine post emissam professionem redire, & inobedientes per censuras ecclesiasticas compellere possunt.

Anno 1255. Die 1. Martij

ALEXANDER EPISCOPVS Seruus Seruorum Dei.

Venerabilibus fratribus Archiepiscopis, & Episcopis, ac Dilectis filijs Abbatibus, Prioribus, Decanis, Archidiaconis, Praepositis, Archipresbyteris, & alijs Ecclesiarum Praelatis, ad quos literae istae peruenerint, Salutem, & Apostolicam benedictionem.

§. 1. EX parte dilectorum filiorum Prioris Generalis, & Fratrũ Ordinis Eremitarum fuit propositum coram Nobis, quòd quidam de ipsorum Ordine Fratres, ducti animi leuitate, reiecta obedientia, ac cõtemptis priuilegijs Ordini praedicto ab Apostolica Sede indultis, post professionem ab eis in eodem Ordine habitam, & receptam, de ipso non erubescant exire, in detrimentũ animarum suarum, Ordinis, & scandalũ plurimorum. Quare Nobis humiliter supplicarunt, vt animarum ipsorum saluti prouidere de benignitate Sedis Apostolicae dignaremur.

§. 2. Ideòque Vniuersitati vestrae per apostolica scripta mandamus, quatenus praedictos fugitiuos moneatis attentiùs, & efficaciter inducatis, vt ad praedictum Ordinem reuertantur, & vt sub regulari habitu Domino debeant famulari. Quod si fortè facere noluerint, vos eos ad id, monitione praemissa, per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, cogatis.

Fugitiui ab Ordine redire cõpellãtur ab Ordinarijs.

Datum Neapoli, Calendis Martij, Pontificatus Nostri anno primo.

Constit. III.

Ex transumpto authentico, quod asseruatur Romae in Archiuo Ordinis. nu. 3.

Summarium.

Ordo Fratrum Eremitarum S. Augustini, canonicè institutus auctoritate Sedis Apostolicae declaratur, cui priuilegia, & gratiae conceduntur in amplissima forma.

ALEXANDER EPISCOPVS Seruus Seruorum Dei.

Anno 1255. Iulij 30.

Dilectis filijs Priori, & Fratribus Eremitis in Tuscia constitutis, tàm praesentibus, quàm futuris Regularem vitam professis in perpetuum.

§. 1. REligiosam vitam eligentibus, apostolicum conuenit adesse praesidium, ne fortè cuiuslibet temeritatis incursus, aut eos à proposito reuocet, aut robur, (quod absit) sacrae Religionis infringat. Ea propter dilecti in Domino filij vestris iustis postulationibus clementer annuimus, & domos vestras; in quibus diuino vacatis obsequio, ad instar fel. rec. Innocentij Papae praedecessoris nostri, sub Beati Petri, & nostra protectione suscipimus, & praesentis scripti priuilegio communimus.

Domus nostrae recipiuntur in protectione Sedis Apostolicae.

§. 2. In primis siquidem statuentes, vt Ordo canonicus, qui secundũ Deum, & Beati Augustini Regulã in domibus ipsis auctoritate apostolica institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem

Ordinis approbatio.

ibidem temporibus inuiolabiliter obseruetur.

§. 3. Præterea quascunque possessiones, & quæcunque bona prædictæ domus in præsentiarum iustè, ac canonicè possident, aut in futurum concessione Pontificũ, largitione Regum, vel Principum, oblatione fidelium, seù alijs iustis modis præstante Domino poterunt adipisci, firma vobis, vestrìsque successoribus, & illibata permaneant.

§. 4. In quibus hæc proprijs duximus exprimenda vocabulis. Loca ipsa, in quibus præfatæ domus sitæ sunt, cum pertinentijs suis, videlicet cum ecclesijs, decimis, hortis, vineis, oliuetis, pratis, terris, nemoribus, vsuagijs, pascuis, in bosco & plano, in aquis & molendinis, in vijs & semitis, & omnibus alijs libertatibus, & immunitatibus suis. Sanè noualium vestrorum, quæ vel proprijs manibus, aut sumptibus colitis, de quibus aliquis hactenus non percepit, siuè de vestrorum animalium nutrimentis, nullus à vobis Decimas exigere, vel extorquere præsumat.

Confugientes ad Ordinē recipi libere possunt.

§. 5. Liceat quoque vobis, clericos, vel laicos liberos, & absolutos è seculo fugientes ad conuersionem recipere, & eos absque contradictione aliqua retinere.

Sine licētia nō pōt fieri trāsitus ad aliū Ordinē.

§. 6. Prohibemus insuper, vt nulli Fratrum vestrorum post factam in domibus vestris professionem fas sit, sine Prioris sui licentia, nisi arctioris Religionis obtentu, de eisdem domibus discedere: Discedentem verò absque communium literarũ vestrarum cautione, nullus audeat retinere.

Ad synodos nō possunt Fratres compelli.

§. 7. Insuper auctoritate apostolica inhibemus, ne vllus Episcopus, vel quælibet alia persona ad synodos, vel conuentus forenses vos ire, vel iudicio seculari de propria substantia, vel de possessionibus vestris subiacere cōpellat: nec ad domos vestras causa Ordines celebrandi, causas tractandi, vel aliquos conuentus publicos conuocandi, venire præsumat: nec regularem Prioris vestri electionem impediat, aut de instituendo, vel remouēdo eo, qui pro tempore fuerit, contra statuta Ordinis vestri se aliquatenus intromittat. Illud adijcientes, vt scilicet Priores ipsi Episcopo saluo Ordine suo, profiteri debeant, & contra statuta Ordinis sui nullam professionem facere compellantur.

Neque ad iudicia secularia.

Episcopi nō se intromittunt in electionibus superiorum.

Possunt Fratres adire Episcopos alios, si diœcesanus gratis cōcedere nolit.

§. 8. Pro consecrationibus verò Altariũ, vel Ecclesiarũ, siuè pro Oleo sancto, vel quolibet ecclesiastico Sacramento, nullus à vobis sub obtentu consuetudinis, vel alio modo quidquam audeat extorquere: sed hæc omnia gratis vobis Episcopi Diœcesani impendant. Aliòquin liceat vobis quoscunque malueritis catholicos adire Antistites, gratiam & communionem Apostolicæ Sedis habentes, qui nostra freti auctoritate, vobis, quod postulatur, impendant. Quòd si sedes Diœcesanorum Episcoporum fortè vacauerint, interim omnia ecclesiastica Sacramenta à vicinis Episcopis accipere liberè, & absque contradictione possitis: sic tamen vt ex hoc in posterum proprijs Episcopis nullum præiudicium generetur. Quia verò interdum propriorum Episcoporum copiam non habetis, si quos Episcopos, Romanæ Sedis (vt diximus) gratiam & communionem habentes, & de quibus plenam notitiã habeatis, per vos transire contigerit, ab eis benedictiones vasorum, & vestium, & consecrationes Altarium au-

Sede vacāte possumus recipere ecclesiastica sacramēta ab Episcopis vicinioribus.

ctoritate Apostolicæ Sedis, recipere valeatis.

Tempore generalis interdicti possum' diuina celebrare.

§. 9. Cum autem generale interdictum terræ fuerit, liceat vobis clausis ianuis, exclusis excommunicatis & interdictis, non pulsatis campanis (dummodo causam non dederitis interdicto) suppressa voce, diuina officia celebrare.

§. 10. Chrisma verò, Oleum sanctum, consecrationes Altarium, seu Basilicarum, Ordinationes Clericorũ, qui ad Ordines fuerint promouendi, à Diœcesanis suscipietis Episcopis, si quidem catholici fuerint, & gratiam & communionem sacrosanctæ Romanæ Sedis habuerint, & ea vobis voluerint sine prauitate aliqua exhibere.

Consecratio ecclesiarũ, et altariũ, ordinationes clericorum, ad Episcopos diœcesanos pertinẽt

§. 11. Prohibemus insuper, vt infra fines parochiarum vestrarum, nullus sine assensu Diœcesanorum Episcoporum, & vestro Capellam, siuè Oratorium de nouo construere audeat: saluis priuilegijs Pontificum Romanorum.

Sine cõsensu nostro oratoriũ nõ ædificãtur.

§. 12. Ad hæc nouas, & indebitas exactiones ab Archiepiscopis, Episcopis, Archidiaconis, seù Decanis, alijsq. omnibus ecclesiasticis, secularibusuè personis à vobis omninò fieri prohibemus.

Ab exactionib' eximũtur fratres nostri.

§. 13. Sepulturam quoque in ecclesijs vestris liberã esse decernimus, vt eorum deuotioni, & extremæ voluntati, qui se in eisdem ecclesijs sepeliri deliberauerint, nisi fortè excõmunicati, vel interdicti sint, aut etiam publicè vsurarij, nullus obsistat. Salua tamen iustitia illarum ecclesiarum, à quibus mortuorum corpora assumuntur.

Sepultura libera est in nostris ecclesijs.

§. 14. Decimas præterea, & possessiones ad ius ecclesiarum vestrarum spectantes, quæ à laicis detinentur, redimendi, & legitimè liberandi de manibus eorum, & ad ecclesias, ad quas pertinent reuocandi, libera sit vobis de nostra auctoritate facultas.

§. 15. Obeũte verò Generali Priore vestro, vel suorum quolibet successorum, nullus vobis qualibet subreptionis astutia, seù violentia præponatur: nisi quem Fratres communi cõsensu, vel Fratrum maior pars consilij sanioris secundùm Deum, & Beati Augustini regulam prouiderint eligendum.

Prior Generalis à fratribus eligendus est.

§. 16. Paci quoque, & tranquillitati vestræ paterna in posterum solicitudine prouidere volentes, auctoritate apostolica prohibemus, vt infrà clausuras locorum vestrorum, nullus rapinam, seù furtum facere, ignem apponere, sanguinem fundere, hominem temerè capere, vel interficere, seù violentiam audeat exercere.

§. 17. Præterea omnes libertates, & immunitates à prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus, locis vestris concessas, necnon libertates, & exemptiones secularium exactionum à Regibus, & Principibus, vel alijs fidelibus rationabiliter vobis indultas, auctoritate apostolica confirmamus, & præsentis scripti priuilegio communimus.

Confirmatio Priuilegiorum

§. 18. Decernimus ergo, vt nulli omninò hominum liceat præfatas domos temerè perturbare, aut eius possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seù quibuslibet vexationibus fatigare, sed ea omnia integra cõseruentur, eorum, pro quorum gubernatione, ac sustentatione concessa sunt, vsibus omnimodis profutura. Salua Sedis Apostolicæ auctoritate, & Diœcesanorum Episcoporum canonica iustitia, & in supradictis Decimis

mis moderatione Concilij generalis.

§. 19. Si qua igitur in futurum eccleſiaſtica, ſecularisuè perſona hanc noſtræ Conſtitutionis paginam ſciẽs contra eam temerè venire tentauerit, ſecundò, tertiouè commonita, niſi reatum ſuum congrua ſatisfactione correxerit, poteſtatis, honorisq. ſui careat dignitate, reamq. ſe diuino iudicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat, & à ſacratiſſimo corpore, & ſanguine Dei, & Domini Redemptoris noſtri Ieſu Chriſti aliena fiat, atque in extremo examine diſtrictæ ſubiaceat vltioni. Cunctis autem eiſdem domibus ſua iura ſeruantibus ſit pax Domini noſtri Ieſu Chriſti, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud diſtrictum Iudicem præmia æternæ pacis inueniant. Amen. Amen.

Signum Alexandri Quarti.

Suſcipe Domine ſeruum tuum in bonum.

Ego Alexander Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus.

Ego F. Ioannes tit. S. Laurentij in Lucina Presbyter Cardinalis.

Ego F. Hugo tit. S. Sabinæ Presbyter Cardinalis.

Ego Richardus S. Angeli Diaconus Cardinalis.

Ego Petrus S. Georgij ad velum aureum Diaconus Cardinalis.

Ego Ioannes S. Nicolai in carcere Tulliano Diaconus Cardinalis.

Ego Vuillelmus S. Euſtachij Diaconus Cardinalis.

Ego Ottobonus S. Hadriani Diaconus Cardinalis.

Ego Odo Tuſculanus Epiſcopus.

Ego Stephanus Præneſtinus Epiſcopus.

Datum Anagniæ per manũ Guillelmi Magiſtri Scholarum Parmenſis S. R. E. Vicecancellarij, tertio Kalendas Auguſti, Indictione decimatertia, Incarnationis Dominicæ Anno milleſimo ducenteſimo quinquageſimo quinto, Pontificatus verò Domini Alexandri Papæ Quarti, anno Primo.

Ego Deotaiuti filius Ioannis de Piſtorio Imperiali auctoritate Iudex ordinarius, atque Notarius, authenticum, ſiuè originale prædictarum literarum, ſeù ſupradicti Priuilegij Domini Papæ, vnde hoc exemplum à me ſumptum fuit, munitum filo ſerico, & bulla plumbea Domini Papæ vidi, & legi, & in præſentia Venerabilis Patris Domini Guidaloſtis Dei gratia Piſtorienſis Epiſcopi, in his omnibus mihi ſuam auctoritatem impartientis, tranſcripſi fideliter, & exemplaui, & de verbo ad verbũ cũ Philippo quondam Iacobi Dompni, & Ioanne Gentilis Notarijs ſubſcriptis, diligenter auſcultaui, & legi hoc exẽplum cum originali, & è conuerſo: Sicq. reperto quòd tantum erat in exemplo, quantum in originali, de auctoritate, & mandato dicti Domini Epiſcopi ad futuram memoriam, & plenam fidem omnibus habendam, redegi in publicam formam meo ſigno, & nomine, & ipſius Domini Epiſcopi ſigillo roborando. Piſtorij in palatio Epiſcopali Piſtorienſi corã Donno Bartholomæo Venerabili Abbate Abbatiæ Fontanetaonis Piſtorienſis Diœceſis, & Currado Gerardini, & Iacobo clerico, & ſubdiacono, & Michaele quondam Philippi teſtibus vocatis, & rogatis, Dominicæ Natiuita-

tis anno currente millesimo ducentesimo septuagesimo octauo, Indictione sexta, die veneris quintadecima Iulij. Bullæ verò plumbeæ apostolicæ appensæ dicto authentico sculpturæ, siuè characteres, erant capita Sanctorũ Apostolorum Pauli, & Petri, cruce mediante, & ex altera parte, Alexander Papa Quartus, & supra capita antedicta literæ tales, S. PA. S. PE.

Ego Ioannes filius quondam Gentilis Imperiali auctoritate Notarius, Priuilegium authenticum prædictum, vera Domini Papæ Bulla pendenti bullatum vidi, & legi, illudq. cũ præsenti exemplo cum prædicto Deotaiuti, & infrascripto Philippo Notarijs coram dicto Domino Episcopo Pistoriensi diligenter auscultaui præsentibus testibus supradictis, idq. de ipsius Domini Episcopi auctoritate nomen meum subscripsi ad maiorem fidem signum prædictum apponẽdo.

Ego Philippus quondam Iacobi Dompni Notarius, & Scriba Curiæ Episcopalis Pistoriensis, authenticum, siuè originale literarum prædictarũ, seu Priuilegium Sanctissimi Domini Papæ Alexandri munitum apostolica bulla plumbea, & filo pendenti serico, vidi, & legi non vitiatum, non cancellatum, non in aliqua sui parte abolitum: & eo auscultato de verbo ad verbum cum hoc exemplo, interueniente auctoritate Domini Pistoriensis Episcopi prælibati, ad maiorem rei euidentiam subscripsi, & meo signo prædicto, & nomine muniui.

Sequens Constitutio est eadẽ ferè cum præcedenti.

Ex Bulla originali cum sigillo plumbeo, quæ asseruatur Romæ in Archiuo Ordinis sub eodem num. 3.

Summarium.

Eadem priuilegia, gratiæ, & exemptiones concessa Fratribus de Tuscia, conceduntur Fratribus de Brictinis.

ALEXANDER EPISCOPVS Seruus Seruorum Dei. *Anno 1255.*

Dilectis filijs Priori Fratrum Eremitarum de Brictinis, eiq. subiectis Prioribus, ac Fratribus tàm præsentibus, quàm futuris regularem vitam professis in perpetuum.

§. 1. Religiosam vitam eligẽtibus apostolicum conuenit adesse præsidium, ne fortè cuiuslibet temeritatis incursus, aut eos à proposito reuocet, aut robur (quod absit) sacræ religionis infringat. Eapropter dilecti in Domino filij vestris iustis postulationibus clementer annuimus, & domos vestras, in quibus diuino vacatis obsequio, ad instar fe. rec. Innocentij Papæ prædecessoris nostri sub Beati Petri, & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti priuilegio communimus.

§. 2. In primis siquidem statuentes, vt Ordo canonicus, qui secundũ Deum, & Beati Augustini regulam, atque institutionem eremiticæ vitæ Fratrum Brictinensium in domibus ipsis institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inuiolabiliter obseruetur. *Ordo canonicè institutus.*

§. 3. Præterea quoscunque ortos, & siluas, & quæcunque bona prædictæ domus in præsentiarum iustè, ac canonicè possident, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum, vel Principum, oblatione fidelium, seu alijs iustis modis præstante Domino poterit adipisci, firma vobis, vestrisq. successoribus, & illibata permaneant. *Bona concessa confirmantur.*

§. 4. In

§. 4. In quibus hæc proprijs duximus exprimenda vocabulis: loca ipsa, in quibus præfatæ domus sitæ sunt cum omnibus pertinentijs suis, videlicet cũ ecclesijs, hortis, pratis, nemoribus, vsuagijs in bosco, & plano, in aquis, & molendinis, in vijs, & semitis, & omnibus alijs libertatibus, & immunitatibus suis. Sanè noualium vestrorum, quæ proprijs manibus, aut sumptibus colitis, de quibus aliquis hactenus non percepit, siuè de hortis, siuè virgultis, & piscationibus vestris, nullus à vobis Decimas exigere, vel extorquere præsumat.

Recipiũtur fugiẽtes à seculo.

§. 5. Liceat quoque vobis, clericos, vel laicos liberos, & absolutos è seculo fugientes, ad conuersionem recipere, & eos absque contradictione aliqua retinere.

Professi ab Ordine nõ possunt discedere sine licentia.

§. 6. Prohibemus insuper, vt nulli Fratrum vestrorum post factã in domibus vestris professionem fas sit sine Prioris sui licentia de eisdem locis discedere: Discedentem verò absque communium literarum vestrarũ cautione, nullus audeat retinere. Quod si quis fortè retinere præsumpserit, licitum sit vobis in ipsos Fratres clericos, vel laicos regularem sententiam promulgare.

Ad iudicia extraordinẽ nõ compellimur.

§. 7. Insuper auctoritate apostolica inhibemus, vt nullus Episcopus, vel quælibet alia persona ad Synodos, vel Conuentus forenses vos ire, vel iudicio seculari de vestra propria substantia, vel possessionibus vestris, subiacere compellat: nec ad domos vestras causa Ordines celebrandi, causas tractandi, vel aliquos Conuentus publicos cõuocandi, venire præsumat; nec regularem electionẽ Prioris vestri impediat, aut de instituendo, vel remouendo eo, qui pro tempore fuerit contra statuta Ordinis vestri, se aliquatenus intromittat. Illud adijcientes, vt scilicèt Priores ipsi, Episcopo (saluo Ordine suo) obedire debeant; & contra statuta Ordinis sui nullam obedientiam facere compellantur.

Gratis Epi copi concedant consecrationem.

§. 8. Pro consecrationibus verò Altarium, seù Ecclesiarũ, Ordinationibus Clericorũ, qui ad ordines fuerint promouendi, siuè pro Oleo sancto, vel quolibet ecclesiastico Sacramento, nullus à vobis sub obtentu consuetudinis, vel alio modo quicquam audeat extorquere; sed hæc omnia gratis vobis Episcopi Diœcesani impendant. Aliòquin liceat vobis, quoscunque malueritis catholicos adire Antistites; gratiam & communionem Apostolicæ Sedis habentes, qui nostra freti auctoritate, vobis, quod postulatur, impendant. Quòd si sedes Diœcesanorum Episcoporum fortè vacauerint, interim omnia ecclesiastica sacramenta à vicinis Episcopis accipere liberè, & absque contradictione possitis: sic tamen vt ex hoc in posterum proprijs Episcopis nullum præiudicium generetur. Quia verò interdum propriorum Episcoporum copiam non habetis, si quos Episcopos Romanæ Sedis (vt diximus) gratiam, & communionem habentes, & de quibus plenam notitiam habeatis, per vos transire contigerit, ab eis benedictiones vasorum, & vestium, & consecrationes altarium auctoritate Sedis Apostolicæ recipere valeatis.

Sede vacante ab Episcopo viciniori recipiũtur sacramenta.

Tẽpore interdicti officia diuina celebrãtur.

§. 9. Cum autem generale interdictum terræ fuerit, liceat vobis clausis ianuis, exclusis excommunicatis, & interdictis, non pulsatis campanis, diuina officia celebrare: dummodo

do causam non dederitis interdicto.

§. 10. Prohibemus insuper, vt infra fines locorum vestrorum nullus sine assensu Diœcesani Episcopi, & vestro, Capellam, siuè Oratorium de nouo construere audeat, saluis priuilegijs Pontificum Romanorum.

Oratoria non possunt fieri sine nostro cōsensu.

§. 11. Ad hæc, nouas, & indebitas exactiones, ab Archiepiscopis, Episcopis, Archidiaconis, seù Decanis, alijsq. omnibus ecclesiasticis, secularibusuè personis, à vobis omnino fieri prohibemus.

Exactiones ĩdebitæ prohibẽtur.

§. 12. Sepulturam quoque in ecclesijs vestris liberã esse decernimus, vt eorum deuotioni, & extremæ voluntati, qui se illic sepeliri deliberauerint, nisi fortè excommunicati, vel interdicti sint, aut etiam publicè vsurarij, nullus obsistat: salua tamen iustitia illarum ecclesiarum, à quibus mortuorum corpora assumuntur.

Sepultura libera in ecclesijs Ordinis

§. 13. Præterea hortos, & siluas, ad ius ecclesiarum vestrarum spectãtes, quæ à laicis detinentur, redimendi, & legitimè liberandi de manibus eorum, & ad ecclesias, ad quas pertinẽt, reuocandi, libera sit vobis de nostra auctoritate facultas.

§. 14. Obeunte verò Generali Priore vestro, vel suorum quolibet successorum, nullus ibidem qualibet subreptionis astutia, seù violentia præponatur, nisi quem Fratres communi consensu, vel Fratrum maior pars consilij sanioris, secundùm Deũ, & Beati Augustini regulam prouiderint eligendum.

Electio Generalis libera Fratribus.

§. 15. Paci quoque, & tranquillitati vestræ paterna in posterum solicitudine prouidere volentes, auctoritate apostolica prohibemus, vt infrà clausuras locorum vestrorum, nullus rapinam, seù furtum facere, ignem apponere, sanguinem fundere, hominem temerè capere, vel interficere, seù violentiam audeat exercere.

§. 16. Cæterum quia Regnũ Dei non in veste preciosa consistit, & Conditor, ac Redemptor humani generis ad imitandum humilitatis exẽplum induit habitũ paupertatis, Fratres vestri Ordinis de colore, seù valore vestium, sicut in eodem Ordine statutum esse dignoscitur, de cæterò non contendant, sed semper vilitatẽ in eis pro consequenda stola gloriæ obseruantes, quatuor tunicis, duobus scapularijs, ac vna cuculla coloris grisi sint contenti: & quilibet Frater ampla corrigia non consuta cingatur desuper, & illa contentus existat.

§. 17. Præterea omnes libertates, & immunitates à prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus, locis vestris concessas; necnon libertates, & exemptiones secularium exactionum à Regibus, & Principibus, vel alijs Christifidelibus rationabiliter vobis indultas, auctoritate apostolica confirmamus, & præsentis scripti priuilegio communimus.

§. 18. Decernimus ergo, vt nulli omninò hominũ liceat, præfatas domos temerè perturbare, aut eius possessiones auferre, vel ablatas retinere, vel minuere, seù quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integra cõseruentur, eorum, pro quorum gubernatione, ac sustentatione concessa sunt, vsibus omnimodis profutura: salua Sedis Apostolicæ auctoritate, & Diœcesanorum Episcoporum canonica iustitia.

§. 19. Si qua igitur in futurum ecclesiastica, secularisuè persona hanc nostræ Constitutionis paginam sciẽs contra eam temerè venire tentauerit,

secun-

secundò, tertiòue commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis, honorisq. sui careat dignitate; reamq. se diuino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & à sacratissimo corpore, & sanguine Dei, ac Domini Redemptoris nostri Iesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ subiaceat vltioni. Cunctis autem eisdem domibus sua iura seruantibus sit pax Domini nostri Iesu Christi, quatenus & hìc fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum Iudicem præmia æternæ pacis inueniant. Amen Amen Amen.

Signum Alexandri Quarti.

Suscipe Domine seruum tuum in bonum.

Ego Alexander Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.

Ego F. Ioannes tituli S. Laurentij in Lucina Presbyter Cardinalis.

Ego Fr. Hugo tituli S. Sabinæ Presbyter Cardinalis.

Ego Richardus S. Angeli Diaconus Cardinalis.

Ego Octauianus S. Mariæ in via lata Diaconus Cardinalis.

Ego Ioannes S. Nicolai in carcere Tulliano Diaconus Cardinalis.

Ego Vuillelmus S. Eustachij Diaconus Cardinalis.

Ego Odo Tusculanus Episcopus.

Ego Stephanus Prænestinus Episcopus.

Datum Neapoli per manũ Guillelmi Magistri Scholarum Parmẽsis S. R. E. Vicecancellarij, quarto Idus Aprilis, Indictione decimatertia, Incarnationis Dominicæ Anno Millesimo ducentesimo quinquagesimo quinto, Pontificatus verò Domini Alexãdri Papæ Quarti Anno Primo.

Constit. IV.

Ex Bulla originali, quæ cum sigillo plumbeo Romæ asseruatur in Archiuo Ordinis. nu. 4.

Summarium.

Ingredientes Ordinem absoluuntur ab excommunicatione, suspensione, & interdicto.

ALEXANDER EPISCOPVS *Seruus Seruorum Dei.* *Anno 1255.*

Dilectis filijs Prioribus Fratrum Eremitarum in Tuscia Ordinis S. Augustini. Salutem, & Apostolicam benedictionem.

§. 1. CVm ex apostolici cura teneamur officij circa religionis augmentum attenti, & vigiles inueniri. Nos deuotionis vestræ precibus inclinati, vt volentibus Fratrum Ordinis vestri aggregari Collegio, qui suspensionis, aut interdicti, vel excommunicationis sententijs sunt ligati, absolutionis beneficium iuxta formam Ecclesiæ impartiri, & ipsos in Fratres recipere valeatis, ad instar fel. rec. Innocentij Papæ prædecessoris nostri, vobis auctoritate præsentium indulgemus. *Ad Ordinẽ venientes possunt absolui à censuris.*

§. 2. Ita tamen, quòd si aliqui ex eisdem huiusmodi sentẽtijs propter debitum sunt astricti, satisfaciant, vt tenentur. *Nõ possunt absolui à debito.*

§. 3. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ cõcessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem

nem Omnipotentis Dei, & Beatorũ Petri, & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum.

Datum Anagniæ ſeptimo Kalendas Iulij, Pontificatus noſtri anno Primo.

Conſtit. V.

Ex Bulla originali, quæ cum ſigillo plumbeo aſſeruatur Romæ in Archiuo Ordinis. nu. 5.

Summarium.

Vnio loci S. Leonardi Conuentui S. Saluatoris de Fultignano, facta à Fratre Adiuto Viſitatore Generali in Tuſcia, confirmatur.

Anno 1255. *ALEXANDER EPISCOPVS Seruus Seruorum Dei.*

Dilectis filijs Priori, & Fratribus S. Saluatoris de Fultignano, & S. Leonardi de Silua de lacu Ordinis S. Auguſtini Senenſis Diœceſis, Salutem, & Apoſtolicam benedictionẽ.

Conuentus S. Saluatoris Ilicetani.

§. 1. EX parte veſtra fuit propoſitum coram Nobis, quòd dilectus filius Frater Adiutus Generalis Viſitator Fratrum Eremitarum Ordinis S. Auguſtini, deputatus à dilecto filio noſtro R. ſancti Angeli Diacono Cardinali, cui eiuſdem Ordinis curam commiſimus, Eremum S. Leonardi Priore vacantem, conſentientibus Fratribus ibidem exiſtentibus, habito diligenti tractatu, & prouiſo, quòd ipſa, quæ plurimum collapſa fuerat, per te fili Prior poſſet in meliùs reformari, Eremo S. Saluatoris de Fultignano incorporauit, & totaliter counìuit, vt vnum corpus effectæ vno capite gubernentur, & vnum Capitulum conſeantur.

Conuentus S. Leonardi Siluæ lacus.

Vnio S. Leonardi conuentui S. Saluatoris.

§. 2. Verùm cum idem Cardinalis id, quod per eundem Viſitatorem ſuper huiuſmodi incorporatione, ac vnione factum extitit, duxerit confirmandum, prout in inſtrumento, & literis exinde confectis Cardinalis ipſius ſigillo munitis pleniùs dicitur contineri; Nos tuis ſupplicationibus inclinati, quod ab eiſdem Cardinali, & Viſitatore factum in hac parte, ratum, & gratum habentes, illud auctoritate apoſtolica confirmamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus.

§. 3. Nulli ergo omnino hominũ liceat hanc paginam noſtræ confirmationis infringere, vel ei auſu temerario contraire: Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum.

Datum Anagniæ, ſeptimo Calendas Iulij, Pontificatus noſtri anno primo.

Conſtit. VI.

Ex Bulla originali, quæ Romæ aſſeruatur in Archiuo Ordinis cum plumbeo ſigillo. num. 6.

Summarium.

Conceditur facultas recitandi Officium Diuinum in Choro ſecundùm Breuiarium Ordinis correctum.

ALEXANDER EPISCOPVS Seruus Seruorum Dei. *1255.*

Dilectis filijs Priori Generali, & vniuerſis Fratribus Eremitarum Ordinis S. Auguſtini in Tuſcia, Salutem, & Apoſtolicam benedictionem. *Prior Generalis in Tuſcia.*

§. 1. PIo veſtro Collegio, quod ſibi libenter theſaurum quietæ conſcientiæ theſaurizat, id gratiæ

gratiæ dignè concedimus, quod ab eo fluctum mentis excutiat,& ipsum in spiritus tranquillitate disponat. Vestræ itaque precibus deuotionis inducti, vt obseruantia moderni diuini officij,quod in Breuiarijs vestris exacta diligentia correctum à vobis ex statuto Ordinis vestri iuxta Ecclesiæ Romanæ morem, excepto Psalterio, celebrare debetis, sitis cōtenti perpetuò.

Officiū Breuiarij Ordinis correctum confirmatur.

§. 2. Necnon vt si aliqui vestrū Diuino intersint Officio cū alijs celebrantes, tunc illud eis sufficiat, & ad dicendum Officium propriū minimè teneantur, ad instar fel. rec. prædecessoris nostri Innocentij Papæ auctoritate vobis præsentium indulgemus.

Fratres in choro cū alijs celebrātes Diuinū officiū nō tenētur iterum recitare

§. 3. Nulli ergo omnino hominū liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Siquis autē hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorū Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum.

Datum Anagniæ sexto Calendas Iulij,Pontificatus nostri anno primo.

Constit. VII.

Ex Bulla originali, quæ Romæ asseruatur in Archiuo Ordinis cum plumbeo sigillo. nu. 7.

Summarium.

Episcopis Diœcesanis obedientia à Fratribus Ordinis exhibenda est, saluis tamen Ordinis institutis, ab Apostolica Sede confirmatis.

1255. *ALEXANDER EPISCOPVS Seruus Seruorum Dei.*

Dilectis filijs Priori Generali, & Fratribus Eremitarum Ordinis S. Augustini in Lombardia, & Romaniola, Salutem, & Apostolicam benedictionem.

Prior Generalis Ordinis.

§. 1. NE pro eo quòd Diœcesanis vestris debitā obedientiam, & reuerentiam exhibetis, institutiones vestri Ordinis subuerti contingat, vobis ad instar fel. rec. Innocentij Papæ prædecessoris nostri auctoritate præsentium indulgemus, vt sic vestris Episcopis huiusmodi obedientiam,& reuerentiam impendatis, quòd maximè circà institutionem, & destitutionem Priorum vestrorum salua sint eiusdē Ordinis instituta, per Sedem Apostolicam confirmata.

Episcopi nō se intromittant in electionibus Ordinis

§. 2. Nulli ergo omnino hominū liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attentare præsumpserit, indignationē Omnipotentis Dei,& Beatorum Petri,& Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum.

Datum Anagniæ, secundo Idus Iulij, Pōtificatus nostri anno primo.

Constit. VIII.

Ex Bulla originali, quæ Romæ asseruatur cum sigillo plumbeo in Archiuo Ordinis. nu. 8.

Summarium.

Ingredientes Ordinem possunt absolui ab excommunicatione, suspensione, & interdicto: & si fuerint Clerici possunt dispensari super irregularitate, si censuris ligati celebrauerint.

ALEXANDER EPISCOPVS Seruus Seruorum Dei. 1255.

Dilectis filijs Generali, & cæteris Prioribus Eremitarum Ordinis S. Augustini, Salutem, & Apostolicam benedictionem.

§. 1. Cæ-

§. 1. Cœlestis amor patriæ mentes vestras sic allexisse prospicitur, vt præcipuam delectationē tribuat, quod diuinæ voluntati sit placitum, & salutem proferat animarum. Hinc est quòd Nos qui ex apostolici cura tenemur officij circa religionis augmentum attenti, ac vigiles inueniri, vestris pijs precibus benigniùs annuentes, vt personis liberis volentibus vestro aggregari consortio, quæ suspensionis, aut interdicti, vel excommunicationis sententijs sunt ligatæ, vos filij Priores super huiusmodi sententijs, à Canone promulgatis, & alijs, quæ sine alieni iuris præiudicio relaxari poterunt, absolutionis beneficium iuxta formam ecclesiæ cum Ordinē vestrum professi fuerint, impertiri: ac dispensare cum eis si Clerici fuerint super irregularitatis macula, si quam sic ligati se immiscendo diuinis forsitan contraxerunt: nisi fortè adeò fuerit enormis excessus, quòd super eo sit Sedes Apostolica requirenda, auctoritate vobis præsentium indulgemus.

Ad Ordinē venientem possunt absolui à censuris.

Cū Clericis dispensantur super irregularitate.

§. 2. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attētare præsumpserit indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum.

Datum Anagniæ, secundo Idus Iulij, Pontificatus nostri Anno primo.

Constit. IX.

Ex Bulla originali cum sigillo plumbeo, in Archiuo Ordinis Romæ asseruata. nu. 9.

Summarium.

Habetur transumptum Constitutionis Innocentij Quarti, in qua confirmantur Constitutiones Ordinis, editæ à Priore Generali, & Fratribus Eremitis in Tuscia de consilio Cardinalis Riccardi tituli S. Angeli, & duorum Abbatum Cistercienſium.

ALEXANDER EPISCOPVS Seruus Seruorum Dei. 1255.

Dilectis filijs Priori Generali, & vniuersis Fratribus Eremitis de Tuscia Ordinis S. Augustini. Salutē, & Apostolicā benedictionem.

Prior Generalis in Ordine.

§. 1. Literas quasdam fel. rec. Innocētij Papæ Quarti prædecessores nostri, vobis dudum concessas in Regesto ipsius reperimus contineri, quarum tenorē sumptum ex eodem Regesto fideliter vestris inclinati precibus duximus præsentibus ad rei memoriam inserendum volentes ex hoc ius, quod per easdem literas vobis competit conseruari. Tenor autē ipse talis est.

§. 2. Innocentius Episcopus seruus seruorū Dei. Dilectis filijs Priori Generali, & vniuersis Fratribus Eremitis de Tuscia Ordinis S. Augustini salutem, & Apostolicam benedictionem.

§. 3. Cum à Nobis petitur quod iustum est, & honestum, tàm vigor æquitatis, quàm ordo exigit rationis, vt id per solicitudinem officij nostri ad debitum perducatur effectum. Sanè cum Nos olim in primo anno Pontificatus nostri vobis Beati Augustini regulam duxerimus concedendam, vos tandem quasdā Constitutiones de consilio dilecti filij nostri R. Sancti Angeli Diaconi Cardinalis, & religiosorum virorum de

Constitutiones Ordinis confirmantur. de Fallera, & Fossæ nouæ Abbatum Cisterciensis Ordinis auctoritate mãdati nostri fecistis pro stabilienda in perpetuum regulariter vita vestra, quas sub præfati Cardinalis sigillo Nobis exhibitas apostolico petijstis munimine roborari. Nos itaque pijs vestris desiderijs benigniùs annuentes, Constitutiones huiusmodi salubriter, & prouidè factas, ratas habentes, & gratas, ipsas auctoritate apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus.

§. 4. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire: Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Lateran. decimoquinto Calendas Martij, Pontificatus nostri anno vndecimo.

Datum Anagniæ Idibus Iulij Põtificatus Nostri anno primo.

Constit. X.

Ex Bulla originali cum sigillo plumbeo, quæ Romæ asseruatur in Archiuo Ordinis num. 10.

Summarium.

Præcipitur Cardinali Riccardo S. Angeli, vt egressos ab Ordine, vel expulsos, vel in Ordine non professos, habitum Ordinis dimittere compellat.

1255. *ALEXANDER EPISCOPVS Seruus Seruorum Dei.*

Dilecto filio R. Sancti Angeli Diacono Cardinali Salutem, & Apostolicam benedictionem.

§. 1. Volentes omne, quod dilectis filijs Eremitis Ordinis S. Augustini, vel eorum sacræ religioni scandalum, vel infamiã posset parere, quantum cum Deo possumus, submoueri, discretioni tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus Fratres discedentes motu propriæ voluntatis, & eorum culpis amotos ab Ordine eorundẽ, ac illos, qui Ordinem ipsum nõ professi, cum frequenter Angelus tenebrarum se in lucis Angelum transfiguret, ipsorum Eremitarum habitũ deferunt, quòd habitum ipsum deponant, monitione præmissa, per censuram ecclesiasticam appellatione remota, compellas, ipsosq. nihilominus, si cõtingat, eos propter hoc excommunicationis vinculo innodari, & in sua perdurante contumacia, excommunicatos publicè nuntiari facias arctiùs euitando in locis, vbi videris expedire. *Ab Ordine amotis, uel non professi, habitũ dimittere compellantur.*

Datum Anagniæ Idibus Iulij Põtificatus Nostri anno primo.

Constit. XI.

Ex Bulla originali cum sigillo plumbeo, quæ Romæ asseruatur in Archiuo Ordinis. nu. 11.

Summarium.

Archiepiscopi, & Episcopi Fratres Ordinis contra priuilegia apostolica grauare non possunt.

ALEXANDER EPISCOPVS Seruus Seruorum Dei. 1255.

Venerabilibus fratribus vniuersis Archiepiscopis, & Episcopis præsentes literas inspecturis Salutem, & Apostolicam benedictionem.

§. 1. Odore suaui bonorum operum dilectorum filiorum Fratrum Eremitarum S. Augustini Ordinis recreati, eos non immeritò

meritò fauore prosequimur, ea ipsis diligenti procurare solertia intendẽtes, per quæ auctore Domino humilitatis eorum collegium suscipere valeat incrementum.

§. 2. Sed sicut accepimus nõnulli vestrum in contrarium molientes, ipsorum pacis otium, & quietis, sine quo non colitur pacis Auctor, conturbant, contra tenorem priuilegiorum, & indulgentiarum eis à Sede Apostolica cõcessorum pro suæ voluntatis libito veniendo.

§. 3. Quo circa Vniuersitatẽ vestram rogamus attentiùs, & hortamur, per apostolica vobis scripta mandantes, quatenus vestris iuribus manentes contenti, nullam eis, vel ipsorum domibus contra prædictorum priuilegiorum, & indulgentiarum continentiam, inferatis molestiam, vel grauamen, quin potiùs habeatis eosdem pro diuina, & nostra reuerentia commendatos. Ita quòd exinde vobis Deum reddentes propitium, erga Religiosos zelum habere probemini charitatis.

Ordinary monentur ne cõtra Priuilegia molestent Fratres nostros.

Datum Anagniæ Idibus Iulij, Põtificatus Nostri anno primo.

Constit. XII.

Ex Bulla originali, quæ cum sigillo plumbeo Romæ asseruatur in Archiuo Ordinis. nu. 12.

Summarium.

Sententias latas à Priore Generali contra suos subditos, Archiepiscopi, & Episcopi per suas Diœceses publicare facere tenentur.

1255. *ALEXANDER EPISCOPVS Seruus Seruorum Dei.*

Venerabilibus fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis præsentes literas inspecturis Salutem, & Apostolicam benedictionem.

§. 1. CVm contingat interdũ, dilectum filiũ Priorem Generalem Eremitarum Ordinis S. Augustini in suos subditos, eorũ culpis exigentibus) secundùm statuta sui Ordinis excommunicationis sententias promulgari, Vniuersitati vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus sententias ipsas, cum ab eodem Priore super hoc fueritis requisiti, per vestras Diœceses publicetis, & faciatis vsque ad satisfactionem condignã inuiolabiliter obseruari, sicut rationabiliter sunt prolatæ.

Sententias latas à Superioribus, Ordinary seruare faciant.

Datum Anagniæ decimo sexto Calendas Augusti, Pontificatus Nostri anno primo.

Constit. XIII.

Ex Bulla originali, quæ cum sigillo plumbeo Romæ asseruatur in Archiuo Ordinis, nu. 13.

Summarium.

Prior Generalis canonicè electus potest officium exercere, etiam nondum confirmatus à Sede Apostolica.

ALEXANDER EPISCOPVS Seruus Seruorum Dei. 1255.

Dilectis filijs vniuersis Prioribus, & Fratribus Eremitarum Ordinis S. Augustini Salutem, & Apostolicam benedictionem.

§. 1. SOlet annuere Sedes apostolica pijs votis, & honestis petentium precibus fauorem beneuolum impertiri. Cum sicut Nobis insinuare curastis, Generalis Prior vester de triennio in triẽnium eligatur, nec sit vobis facilè pro ipsius electionis confirmatione ad Sedem apostolicam, à qua dependere huiusmodi confirmatiõ dicitur, laborare,

Prior Generalis de triennio

§. 2.

§. 2. Nos volentes vobis paternæ ſolicitudinis ſtudio conſulere, in hac parte deuotionis veſtræ precibus inclinati, præſentium vobis auctoritate concedimus, quòd idem Prior cum vnanimiter, & concorditer electus fuerit, liberè adminiſtret, dummodo nihil de bonis eccleſiaſticis alienet, donec petendi, & obtinendi confirmationem à Nobis, vel à dilecto filio noſtro R. Sancti Angeli Diacono Cardinali vice noſtra habuerit facultatem.

Prior Generalis nō cōfirmat' exercere poteſt officium.

§. 3. Nulli ergo omnino hominũ liceat hanc paginam noſtræ conceſſionis infringere, vel ei auſu temerario contraire: Siquis autem hoc attentare præſumpſerit indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorũ Petri, & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum.

Datum Anagniæ decimo ſexto Calendas Auguſti, Pontificatus noſtri anno Primo.

Conſtit. XIV.

Ex Bulla originali, quæ cum ſigillo plumbeo aſſeruatur Romæ in Archiuo Ordinis. n. 14.

Summarium.

Habitus Ordinis forma præſcribitur à Riccardo Cardinali Sancti Angeli determinata.

1255. *ALEXANDER EPISCOPVS Seruus Seruorum Dei.*

Dilectis filijs Priori Generali, & vniuerſis Prioribus, & Fratribus Eremitis Ordinis S. Auguſtini Salutem, & Apoſtolicam benedictionem.

§. 1. Pia deſideria deuotorum eò debemus benigno fauore proſequi, quò in ipſis Dei gloria, & animarum ſalus noſcitur contineri. Sanè dilectus filius noſter R. Sancti Angeli Diaconus Cardinalis, cui Ordo veſter à Sede Apoſtolica eſt commiſſus, ad differentiam aliorum Ordinum certum habitum deferendum tàm à profeſſis Fratribus, & Conuerſis, quàm à Nouitijs dicti Ordinis de cõſilio diſcretorum quorundam Fratrum veſtrorum, vobis prouida deliberatione conceſſit, prout in patentibus literis cõfectis exinde ipſius Cardinalis ſigillo munitis, plenius continetur.

§. 2. Nos itaque veſtris ſupplicationibus inclinati, quidquid ab eodem Cardinali ſuper hoc factum eſt, ratum habentes & gratum, illud auctoritate apoſtolica confirmamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus; literarum ipſarum tenorem de verbo ad verbum præſentibus inſeri facientes. Qui talis eſt.

§. 3. Riccardus miſeratione diuina S. Angeli Diaconus Cardinalis. Viris Religioſis ſuis in Chriſto dilectis Priori Generali, & vniuerſis Prioribus, & Fratribus Eremitis Ordinis S. Auguſtini tàm præſentibus, quàm futuris ſalutem in auctore ſalutis.

§. 4. Si ad certam Domini vocationem nullius excuſationis patrocinium prætendentes vos abnegaſtis, & veſtra; eligendo per Religionis auſteritatem diuinum pabulum promereri: decet vos taliter gubernari Conſtitutionum habenis, quòd certos terminos conſtitutos, tentationibus inſtigati aliquando, tranſgredi non poſſitis impunes, certis ſignis in veſtro habitu inſigniti.

§. 5. Sanè cum Ordo veſter Nobis ſit à Domino Papa commiſſus,

illa statuere, ac cogitare cogimur, per quæ vobis salus proueniat, & honestas. Vnde habito consilio quorundam Fratrum vestrorum discretorum, tenore præsentium duximus statuendũ. Quod Fratres vestri Ordinis professi deferant cucullas nigras, prout haberi poterunt in cuiuslibet Prouincia, tamen non tinctas, vel accidentaliter coloratas, desuper corrigijs cinctas, & in manu crocias, in quarum superiori non sit curuum lignulum, sed directum: Scapularia verò alba cingulis desuper cincta. Nouitij autem ferant cappam nigrã vsque ad talos, tunicam albam, & scapulare album, corrigiam, & crociam memoratam. Conuersorũ verò habitus sit portare superiorem tunicam nigram, scapulare verò nigrũ, & capucium nigrum, & crocias supradictas: quæ curetis studio vigili (dante Domino) obseruare. In huius verò rei testimonium præsentes literas fecimus, & nostri sigilli munimine roborari.

§. 6. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginã nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire: Si quis autẽ hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorũ Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum.

Datum Anagniæ vndecimo Calendas Augusti, Pontificatus nostri anno primo.

Const. XV.

Ex Bulla originali, quæ cum sigillo plumbeo asseruatur Romæ in Archiuo Ordinis, num. 11.

Summarium.

Cõmendantur Potestati, & Consilio Ciuitatis Fani Fratres de Brictinis, & specialiter pro quadam domo.

ALEXANDER EPISCOPVS *1258.*
Seruus Seruorum Dei.

Dilectis filijs Potestati, Consilio, & Communitati Fanensi, Salutem, & Apostolicam benedictionem.

§. 1. CVm ecclesias, & personas ecclesiasticas, maximè pro illius reuerentia, cuius sunt obsequijs deputatæ, vos deceat in suis iuribus confouere, Vniuersitatẽ vestram ad instar fel. rec. Innocentij Papæ prædecessoris nostri rogandã, duximus attentiùs, & hortandam, per apostolica vobis scripta firmiter iniungentes, quatenus dilectos filios Priorem, & Fratres Eremitarum de Brictinis Ordinis S. Augustini Fanensis Diœcesis ob diuinam, & nostram reuerentiam habentes propẽsiùs cõmendatos, ipsos super omnibus bonis suis, & specialiter super quadam domo ipsorum, quæ fuit quondam Fuscoli ciuis Fanensis, ad ipsos iusto titulo (vt asserunt) pertinente, nullatenus contra iustitiam molestetis, nec permittatis quantum in vobis fuerit, ab alijs molestari. Preces, & mandatum huiusmodi taliter impleturi, quòd dicti Prior, & Fratres iustam de vobis non habeãt materiam conquerendi, & Nos deuotionem vestram propter hoc in Domino commendemus.

Fratres de Brictinis Ordinis S. Augustini.

Datum Lateran. decimosexto Calendas Ianuarij, Pontificatus nostri anno secundo.

Con-

Constit. XVI.

Ex Bulla originali, quæ cum sigillo plumbeo asseruatur Romæ in Archiuo Ordinis. nu. 16.

Summarium.

Tempore generalis Interdicti possunt Fratres diuina facere clausis ianuis, non pulsatis Campanis, excommunicatis, & interdictis exclusis.

1256. *ALEXANDER EPISCOPVS Seruus Seruorum Dei.*

Dilectis filijs Generali, & Prouincialibus Prioribus, ac Fratribus Ordinis Eremitarum S. Augustini, Salutem, & Apostolicam benedictionem.

Tempore interdicti diuina fieri possunt

§. 1. VObis assiduè regnum Dei quærentibus à Sede Apostolica dignè conceditur, per quod spirituale gaudium vestris cordibus oriatur. Nos itaque vestræ precibus deuotionis inducti, præsentium vobis auctoritate concedimus; vt cum ad loca perueneritis ecclesiastico supposita Interdicto, diuina in ecclesijs, in quibus illa ex indulto Sedis Apostolicæ celebrantur, excommunicatis, & interdictis exclusis, non pulsatis cāpanis, clausis ianuis, & voce suppressa celebrare possitis, nisi causam dederitis Interdicto, vel nisi contingat id vobis specialiter interdici.

§. 2. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Siquis autē hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorū Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum.

Datum Lateran. quinto Calendas Maij, Pontificatus nostri annò secundo.

Constit. XVII.

Ex Bulla originali cum sigillo plumbeo, quæ in Archiuo Ordinis asseruatur Romæ. n. 17.

Summarium.

Prior Generalis, Prouinciales, & Priores possunt absoluere à censuris accipientes habitum Ordinis.

ALEXANDER EPISCOPVS 1256. *Seruus Seruorum Dei.*

Dilectis filijs Generali, & Prouincialibus Prioribus, Presbyteris Ordinis Eremitarū S. Augustini, Salutem, & Apostolicam benedictionem.

§. 1. CAelestis amor patriæ mentes vestras sic allexisse perspicitur, vt quasi hoc solum delectationem vobis tribuat, quod diuinæ voluntati sit placitum, & salutem proferat animarum.

§. 2. Procedit ex hoc, quòd Nos vestris pijs petitionibus fauorem largiri beneuolum delectantes, maximè cùm ex apostolici cura teneamur officij circa Religionis augmētum attenti, & vigiles inueniri: vobis auctoritate præsentiū indulgemus; vt volentibus vestro aggregari collegio, qui suspensionis, aut interdicti, vel excommunicationum sententijs sunt ligati, absolutionis beneficium iuxta formam ecclesiæ impertiri, & ipsos in fratres recipere, ac eos, qui post assumptum habitum recoluerint se talibus in seculo fuisse sententijs innodatos, secundùm formam ipsam absoluere valeatis; Ita tamē, quòd si aliqui ex eisdem huiusmodi sen-

Venientes ad Ordinē possunt absolui à censuris.

sententijs propter debitum, vel pro aliorum iuribus sunt astricti, satisfaciant, vt tenentur.

§. 3. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ cōcessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se nouerit incursurum.

Datum Laterani tertio Calendas Maij, Pontificatus nostri anno secundo.

Constit. XVIII.

Ex Bulla originali cum sigillo plumbeo, quæ asseruatur Romæ in Archiuo Ordinis. nu. 18.

Summarium.

Confirmatur vnio generalis diuersorum Eremitarum Ordini S. Augustini, facta per Riccardum Cardinalem Sancti Angeli.

1256. *ALEXANDER EPISCOPVS Seruus Seruorum Dei.*

Dilectis filijs Fratri Lanfranco Generali, Prouincialibus, & Conuentualibus, Prioribus, ac vniuersis Fratribus Ordinis Eremitarū S. Augustini tam præsentibus, quàm futuris, Salutem, & Apostolicā benedictionem.

§. 1. Licèt Ecclesiæ Catholicæ integritatē corporis sui syncera membrorū diuersitas subministret, & circumamictus species multiplicibus in ea varietatibus decoretur: nihil tamen in ipsa exprimit contrarietas inconcinnum, in qua consensum nutrit inæstimabilis cōcordia charitatis; & indiuiduam fouet vniuersitatis conformitas, fideiq; simplicitas vnitatem. Verùm circa ædificationis fabricam, quæ in templum sanctum in Domino, operariorum eius studio moliente succrescit, credimus assiduè prouidendū, vt in varietatibus partium, quæ ad decorem structuræ dominicæ adhibentur, sic appareat distincta diuersitas, vt non sit confusio indiscreta, nec alterius forma importuna consimilitudine speciem prætendat alterius, sed singula quæque certum proprij modi ordinem sortiantur.

§. 2. Hac sanè consideratione cōmoniti, cum consona in vobis Eremitarum appellatio, & parum diuersa professio disparibus titulis, & in aliquibus dissimili habituum schemate discreparet, cogitauimus spōsæ Christi, in cuius vestræ pia sacræ religionis . . . . institutio cœtus vestros conuenire decori; si religiosa militiæ vestræ castra, quæ sub vno vocabulo non magna disciplinæ distantia secernebat, sub communi capite indifferenti cōcorporationis fœdere iungerentur, & ex pluribus cuneis acierum vna consurgeret fortior ad hostiles spiritualis nequitiæ impetus conterendos.

§. 3. Propterea dudum à Nobis mandatum apostolicum emanauit; vt de singulis domibus vestris, quarum quædam S. Guilelmi, quædam S. Augustini Ordinum; nonnullæ autem Fratris Ioannis Boni, aliquæ verò de Fabali, aliæ verò de Brictinis censebantur: & apud homines ambiguis interdum nuncupationibus vacillabant; Duo Fratres cum pleno mandato ad nostram mitterentur præsentiam, quod nostra cura vos salubriter ordinaret dispositio recepturi.

Varia nomina Eremitarum.

§. 4. Cùmque Fratres huiusmodi

di ad Sedem Apostolicam accessissent, coram dilecto filio nostro R. Sancti Angeli Diacono Cardinali, quem negotio vnionis vestræ perficiendo deputauimus vice nostra, sufficientia ad id exhibuere mandata, & in generali Capitulo vestro, in Vrbe celebriter congregato, nomine omnium, à quibus fuerant destinati, & de communi Capituli eiusdē assensu, vos, & domos vestras, in vnam Ordinis obseruantiam, & viuendi formulam vniformem redigi, vnumq; ex eis ouile fieri, Generalis Prioris præsidentia gubernandum, vnanimiter consenserunt: petentes, vt per . . . . vnionis, & conformitatis huiusmodi, eis iuxta conceptū votum paupertatis spontaneæ perpetua possessionum terrestrium abdicatio remaneret, & ipsis baculos, vel ferulas deferendi imposita necessitas tolleretur: collata in Cardinalem eundem prouidendi vobis ea vice de Generali Priore totius Ordinis nihilominus potestate.

R. Cardinali S. Angeli vnio commissa.

Capitulum generale Romæ.

§. 5. Porrò idem Cardinalis nostri auctoritate mandati viuo ad eum sermone directi, necnon & cōcordi eorundem Fratrum, ac prædicti Capituli consensione suffultus: vniuersas domos, & Congregationes vestras in vnam Ordinis Eremitarum S. Augustini professionem, & regularem obseruantiam perpetuò couniuit sub Generalis cura Prioris, canonicè constituendi pro tempore præ alijs Prouincialibus, necnon & Conuentualibus singularum domorum Prioribus, regulariter gubernādas. Et vt nouam ouilis dominici vnionē vniuersalis capitis vnitas consummaret, te dilecte fili Frater Lanfrance in Generalem Ordinis eiusdem Priorem, & Patrem, Spiritus Sancti gratia inuocata, præfecit, ac etiam prout à Nobis specialiter in mandatis acceperat, confirmauit: vos vniuersos, & successores vestros à baculis, vel ferulis deportandis, & quòd non cogamini ad recipiendas possessiones aliquas, vel habendas, decernens perpetuò liberos, & exemptos.

Vnio sub vna professione & regula.

§. 6. Nos igitur præfati Cardinalis processum conuenientem cum . . . vestræ proposito approbantes, præmissa omnia grata habemus, & rata, ipsaq. auctoritate apostolica, confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus.

Confirmatio actorū in Capitulo generali.

§. 7. Insuper autem personas, & domos vestras sub Beatorum Petri, & Pauli protectione suscipientes, & nostra præsentium auctoritate statuimus, vt vos filij Priores, & Fratres in professione prædicti Ordinis in præfato generali Capitulo ordinata, quo quidem ordine vos perpetuò censeri volumus vobiscum super diuersarum professionum, aut obseruationum debito, quas antea feceratis in prædictis, vel alijs Ordinibus, dispensantes; sub deuota Generalis Prioris, quem nunc vobis diuina ordinatio prætulit, eiusq. successorum obedientia, perpetuò virtutum Domino seruientes, nigris dumtaxàt, & nullis alijs alterius coloris cucullis, vt vniformis amictus normam eiusdem in vobis professionis ostendat, vtamini de cæterò vniuersi.

Obedientia seruanda Priori generali.

Habitus coloris nigri ab omnibus deferēdus.

§. 8. Et vt hæc sancta vnio, quā perpetuæ pacis tranquillitate gaudere volumus, omnibus integritatis suæ perfecta partibus, stabilis perseueret, decernimus, vt omnes domus

Ordinum suprascriptorum, quarum Fratres iuxta mandati nostri formã, ad nostram præsentiã non venerunt, ipsi vnioni nunquam corpori membra absque diffugio vllius receptionis inhæreant, & ad obseruationem prædictorum omnium teneantur. Aliòquin sententiam, quam tu dilecte fili Prior Generalis, & successores tui ritè tuleritis in rebelles, ratam habebimus, & faciemus (auctore Domino) vsque ad satisfactionem condignam, appellatione remota, inuiolabiliter obseruari.

Etiam absentes a Capitulo tenentur ad obseruãtiam.

§. 9. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc nostræ confirmationis, protectionis, dispensationis, & constitutionis paginam infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attẽtare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum.

Datum Lateran. quinto Idus Aprilis, Pontificatus nostri anno secundo.

Constit. XIX.

Ex Bulla originali cum sigillo plumbeo, quæ Romæ asseruatur in Archiuo Ordinis n. 19.

Summarium.

Prouinciales, Priores, & Fratres vniuersos, Lanfranco Priori Generali obedire præcipitur.

1256. *ALEXANDER EPISCOPVS Seruus Seruorum Dei.*

Dilectis filijs vniuersis Prioribus tàm Prouincialibus, quàm Conuentualibus, cæterisq. Fratribus Ordinis Eremitarum S. Augustini, Salutem, & Apostolicam benedictionem.

§. 1. APostolicæ Sedis prouisio nuper vniuersas domos, & Congregationes vestrãs in vnam Eremitarum Ordinis S. Augustini professionem, & regularem obseruãtiam perpetuò counivit sub Generalis cura Prioris, canonicè instituendi pro tempore præ alijs eiusdem Ordinis Prouincialibus, & Cõuentualibus Prioribus, regulariter gubernãdas: & vt nouam ouilis dominici vnionem vniuersalis capitis vnitas consummaret, dilectus filius Frater Lanfrancus de Mediolano, vir vtique prouidus, & discretus, ac in spiritualibus, & temporalibus circumspectus, in Generalem Priorem ipsius Ordinis ex prouisione huiusmodi vobis omnibus est prælatus.

Lanfrãcus iterũ cõfirmatur.

§. 2. Quo circa Vniuersitatẽ vestram rogamus, monemus, & hortamur attentè, per apostolica vobis scripta firmiter in virtute obedientiæ præcipiendo mandantes, quatenus eidem Priori, tanquam vestro capiti, vniuersi, & singuli obedientiam, & reuerentiam debitam impendentes, ipsius salubria monita, & mandata suscipiatis humiliter, & efficaciter impleatis. Aliòquin sententiã, quam idem Prior ritè, ac regulariter tulerit in rebelles, ratam habebimus, & faciemus (auctore Domino) vsque ad satisfactionem condignam appellatione remota inuiolabiliter obseruari.

Generalis auctoritas in non obedientes.

Datum Lateran. quinto Idus Aprilis, Pontificatus nostri anno secundo.

Constit. XX.

Ex Bulla originali, quæ cum sigillo plumbeo Romæ in Archiuo Ordinis asseruatur n. 20.

Sum-

Summarium.

Decimas non soluunt Fratres Ordinis, eorum, quæ proprijs manibus colunt.

1256. *ALEXANDER EPISCOPVS Seruus Seruorum Dei.*

Dilectis filijs Generali, & Prouincialibus Prioribus, ac uniuersis Fratribus Eremitarum Ordinis S. Augustini, Salutem, & Apostolicam benedictionem.

Hæc constitutio habetur in Mare Magno Sixti Quarti const. 5 nu. 32. §. 1. VT eò fortius diuinis insistatis obsequijs, quò à Nobis potiorem gratiam vos noueritis assecutos, deuotionis vestræ precibus inclinati, auctoritate præsentium districtiùs inhibemus; ne quis de virgultis, & hortis vestris, ac vestrorum animalium nutrimentis, necnon de terris, vineis, & possessionibus nuper quibusdam domibus vestris de mandato apostolico reseruatis, quas proprijs manibus, aut sumptibus colitis, Decimas à vobis exigere, vel extorquere præsumat. *Decimas soluere non tenentur Fratres*

§. 2. Nulli ergo omnino hominũ liceat hanc paginam nostræ inhibitionis infringere, vel ei ausu temerario contraire: Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorũ Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum.

Datum Lateran. Idibus Aprilis, Pontificatus nostri anno secundo.

Constit. XXI.

Ex Bulla originali, quæ cum sigillo plumbeo asseruatur Romæ in Archiuo Ordinis n. 21.

Summarium.

Fratres Eremitæ vniformem debent assumere habitum album, vel nigrum, prout antea decreuerat Gregorius IX. in constitutione, *Dudum apparuit*, quæ habetur in suo nomine constit. 5.

ALEXANDER EPISCOPVS Seruus Seruorum Dei. 1256.

Venerabilibus fratribus Archiepiscopis, & Episcopis per Lombardiam, Tusciam, & Romaniolam, ac Teruisinam, Anconitanam Marchias, Ducatum Spoletanum, Patrimonium Beati Petri in Tuscia, Campaniam, Maritimam, ac Regnum Siciliæ constitutis, Salutem, & Apostolicam benedictionem.

§. 1. LIteras nostras vobis direxisse meminimus sub hac forma. Alexander Episcopus Seruus Seruorum Dei. Venerabilibus fratribus Archiepiscopis, & Episcopis per Lombardiam, Tusciam, & Romaniolam, ac Teruisinam, & Anconitanam Marchias, Ducatum Spoletanum, Patrimonium Beati Petri in Tuscia, Campaniam maritimam, ac Regnum Siciliæ constitutis, Salutem, & Apostolicam benedictionem.

§. 2. Recordamur liquidò, & memoriter retinemus, quòd dudum apparuit Religio in partibus Lombardiæ, cuius professores vocati Eremitæ Ordinis S. Augustini, nunc suc cincti tunicis, cum corrigijs, baculos gestantes in manibus, nunc verò dimissis baculis incedebant, pecuniam pro eleemosynis, alijsq. deposcentes subsidijs, & adeò variantes interdum habitus sui formam, vt dilectis filijs Fratribus Minoribus vniformes in derogationem multiplicẽ ipsorum Ordinis, crederentur; eisdem propter hoc minorem apud fideles sentientibus in suis oportunitatibus charitatem. *Habitus controuersia cum Fratribus Minoribus.*

§. 3. Sanè cum per Nos, tunc in minori officio constitutos, & bonæ memo-

memoriæ T. tituli Sanctæ Sabinæ Presbyterum Cardinalem tunc in partibus illis legatione fungentes, huiusmodi variationis præsumptio ad fel. rec. Gregorij Papæ prædecessoris nostri audientiam peruenisset, ipse ne identitas vestium in Ordinibus ipsis confusionem pareret, ac inde scandala grauiora consurgerēt, ad vtrorumq. quietem statuendum prouidit: Vt Priores, & vniuersi, ac singuli Fratres prædicti Ordinis Sancti Augustini in exterioribus vestimentis, quæ nigri, vel albi debeant esse coloris, quorum altero, videlicet nigro, iam electo ab eis, ipsos idē Prædecessor voluit manere contentos, largas, & protensas manicas, quas ad instar cucullarum, & desuper ipsa deferrent peramplas corrigias, & patenter omnibus apparentes, ita quòd omnes cinctè deforis eas vestibus nequaquam contegerent, & portantes in manibus baculos quinque palmorum grandium, ac expressè in eleemosynarum petitione, cuius sint Ordinis declarantes, adeò suarum vestium longitudinem temperarent, quòd à quibuscunque ipsorum calceamenta liberè viderentur; vt sic habitus, confusione semota, & sublata materia scādali, à prædictorum Ordinis Fratribus posset virtutum Domino liberiùs, & gratiùs deseruiri.

Controuersia orta tēpore Gregorij IX

Forma habitus.

§. 4. Cum autem dilectus filius noster R. Sancti Angeli Diaconus Cardinalis vniuersas domos, & Congregationes Eremitarum prædictorum, quarum quædam S. Augustini, quædam S. Guillelmi, nonnullæ autem Fratris Ioannis Boni, aliquæ de Fabali, aliæ verò de Brictinis censebantur, in vnam Ordinis Eremitarum S. Augustini professionem, & regularem obseruantiam perpetuò de mandato nostro duxerit vniendas, & Nos dicti Cardinalis processum, conuenientem cum nostræ voluntatis proposito approbantes, præmissa omnia duxerimus confirmāda.

Confirmatio vnionis magnæ, & actorum in Capitulo generali.

§. 5. Statuentes, vt vniuersi Priores, & Fratres in professione prædicti Ordinis Eremitarum S. Augustini taliter couniti, nigris dumtaxat, & nullis alijs coloris alterius cucullis aliquatenus vterentur. Nos volentes, vt præmissa, quæ de vestimētis exterioribus à sæpedicto Prædecessore nostro circa præfatos Eremitas statuta fuerunt salubriter, & ab ipsis (vt recolimus) acceptata vbique, & ab omnibus Eremitis vnitis taliter, & alijs vniuersis inuiolabiliter obseruari, fraternitati vestræ per apostolica scripta, in virtute obedientiæ districtè præcipiendo mandamus, quatenus prædictos Priores, & Eremitas, ac alios, qui nigros penitùs, seù albas cucullas non portāt, quod vsque ad festum Omniū Sanctorum proximo venturum, nisi prorsus coloris cucullas adsumant abiectis alijs deferendas, & firmiter prædictum statutum de ceterò studeant obseruare: Singuli vestrum per suas Ciuitates, & Diœceses, sublato cuiuslibet appellationis, & contradictionis obstaculo, & literis apostolicis impetratis, vel etiam impetrādis per eos nequaquam obstantibus, monitione præmissa per censuram ecclesiasticam districtiùs compellatis, & in eos, qui contrafecerint, excommunicationis sententiam promulgetis, quam per vestras Ciuitates, & Diœceses singulis diebus Dominicis, & festiuis publicari solem-

Cuculla debent esse nigri coloris, & quæ ad vestes exteriores.

niter

niter, & eos tanquam excommunicatos vsque ad satisfactionem condignam, appellatione remota, euitari arctiùs ab omnibus faciatis. Datum Anagniæ octauo Calendas Iulij, Pontificatus nostri anno secúdo.

§. 6. Vos itaque auctoritate literarum ipsarum, prædictos Priores, & Eremitas, prout ex parte ipsorum fuit propositum coram Nobis, ad portandum baculos, & faciendum quædam alia, quæ in narratione literarum huiusmodi continentur, complere intẽdentes, super hoc monuistis eosdem, vel proponitis admonere, & quidam vestrum in eos, nisi hoc infrà idem festum omnium Sanctorum adimplere curauerint, excommunicationis, suspensionis, & interdicti promulgarunt sententias, vel promulgare intendunt. Super quo dicti Priores, & Eremitæ petierunt sibi per Sedem apostolicam salubriter prouideri.

§. 7. Quia verò nostræ intentionis extitit, vt præfati Priores, & Eremitæ ad assumendum vsque ad prædictum festum iuxta prædictum statutum nostrum, nigras dumtaxat, & nullas alias coloris alterius cucullas ab eis, abiectis alijs, deferendas tantummodò, & non ad alia per easdẽ literas cogerentur; Volumus, & vniuersitati vestræ in virtute obedientiæ per apostolica scripta præcipiendo mandamus, vt singuli vestrum infrà octo dies post receptionem præsentium, processus suos contra memoratos Priores, & Eremitas, vel eorum aliquos, occasione huiusmodi habitos, sublato cuiuslibet difficultatis, & dilationis obstaculo, studeant reuocare. Aliòquin ex tunc processus huiusmodi reuocamus, & eos decernimus nullos esse.

Nigri coloris sint cucullæ, nō alterius

§. 8. Vobis etiam vniuersis, & singulis inhibemus, ne vsque ad festum Resurrectionis Dominicæ proximò futurum contra sæpedictos Priores, & Eremitas, vel ipsorum aliquem auctoritate prædictarum literarum aliquatenus procedatis. Ex tunc verò ipsos tantummodò ad assumendum, & deferendum cucullas omninò nigras, tinctas, vel non tinctas, non ad aliqua alia compellatis.

Datũ Anagniæ Idibus Octobris, Pontificatus nostri anno secundo.

Constit. XXII.

Ex Bulla originali, quæ cum sigillo plumbeo asseruatur Romæ in Archiuo Ordinis, nu. 22.

Summarium.

Riccardus Cardinalis S. Angeli, qui vnionem fecit, Protector Ordinis deputatur, & eius auctoritas quæ sit.

ALEXANDER EPISCOPVS Seruus Seruorum Dei. 1257.

Dilecto filio Riccardo S. Angeli Diacono Cardinali Salutem, & Apostolicam benedictionem.

§. 1. Inter alias solicitudines, quibus assiduè premimur, intendere circa ea Nos conuenit, per quæ sub Religionis habitu vacãtes diuino cultui, in tranquillitate animi sub obseruatione mandatorũ Domini delectari valeant, & proficientes de virtute in virtutem, Deum Deorum in Sion intueri.

§. 2. Sanè meminimus, quòd fel. rec. Innocentius Papa prædecessor noster dudum iniunxit tibi, vt Priores, & Fratres Eremitas Tusciæ, quos tuæ curæ, ac gubernationi commiserat,

ferat, ad ſuam præſentiam euocares; circa quorum reformationem acccedentium ad apoſtolicam Sedem de mandato prædeceſſoris ipſius diligenter, & ſolicitè inſtitiſti.

§. 3. Demùm à Nobis mãdatum apoſtolicum emanauit, vt de ſingulis domibus Eremitarum, quarum quædam Sancti Guilelmi, quædam S. Auguſtini Ordinum, nonnullæ autem Fratris Ioannis Boni, aliquæ verò de Fabali, aliæ verò de Brictinis cenſebantur, & apud homines ambiguis interdum nuncupationibus vacillabant, duo Fratres cum pleno mandato ad noſtrã mitterentur præſentiam, quod noſtra circà eos ſalubriter ordinaret diſpoſitio recepturi.

§. 4. Cùmque Fratres huiuſmodi ad Sedem acceſſiſſent eandem, tu, quem negotio vnionis prædictorum Fratrum perficiendo deputauimus, auctoritate mandati noſtri, viuo ad te ſermone directi, ad id concordi eorundem Fratrum, & eorum generalis Capituli, tunc in Vrbe celebriter congregati accedente conſenſu, vniuerſas domos, & Congregationes prædictorum Fratrum in vnam Ordinis Eremitarum S. Auguſtini profeſſionem, & regularem obſeruantiam perpetuò counisti ſub Generalis cura Prioris, canonicè inſtituendi pro tempore præ alijs Prouincialibus, necnon & Conuentualibus ſingularum domorum Prioribus regulariter gubernandas.

§. 5. Nos itaque conſiderantes, quòd prædicti Fratres ab olim te in Patrem eorum beneuolum habuerunt, tùque ipſos amplexatus fuiſti ſyncera in Domino charitate, quòdque Fratres, & Ordo prædicti ſub tua protectione poterunt (Deo propitio) ſalutaria ſuſcipere incremẽta, curam, diſpoſitionem, & gubernationem eiuſdem Ordinis ſic vniti, ac Priorum tàm Generalis, quàm Prouincialium, & aliorum, & Fratrũ omnium ipſius Ordinis tibi plenè committimus, ita quòd illam omninò iuriſdictionem, illàmq. poteſtatẽ, & auctoritatem in eiſdem Prioribus Generali, & Prouincialibus, ac alijs Fratribus ipſius Ordinis, & in eodem Ordine habeas, & exerceas liberè, quas Romanæ Eccleſiæ Cardinalis, qui præeſt pro tempore Ordini Fratrum Minorum in Generali, & Prouincialibus Miniſtris ipſius Ordinis Minorum, ac vniuerſis Fratribus Minoribus, ipsòq. Ordine, dignoſcitur obtinere.

Cardinalis qui fecit vnionem præficitur Ordini cũ eadẽ auctoritate Protectoris Fratrũ Minorum.

§. 6. Præcipimus quoque prædictis Prioribus, & Fratribus dicti Ordinis Eremitarum, quòd tibi obediãt in omnibus, & per omnia, ſicut Generalis, & Prouinciales Miniſtri ipſius Ordinis Minorum, ac Fratres Minores prædicto Cardinali obedire tenentur: cum poſt Romanum Pontificem, iuriſdictionem, poteſtatem, & auctoritatem in eis habeas potiorem.

§. 7. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ cõmiſſionis, & præcepti infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum.

Datum Lateran. quarto Calẽdas Aprilis, Pontificatus noſtri anno tertio.

Con-

Conſtit. XXIII.

Ex Inſtrumento authentico, cuius originale ſeruatur Romæ in Archiuo Ordinis. nu.23.

Summarium.

Indulgentiæ, & omnia priuilegia, ante vnionem conceſſa, confirmantur poſt vnionem, & extenduntur ad omnes Domus Ordinis.

Vniuerſis præſentem ſeriem inſpecturis Guido Septem, Clericus Lunenſis Diœceſis, Reuerẽdi Patris in Christo Domini Ioannis, Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopi Cæſenatis, Vicarij, & Adminiſtratoris generalis in ſpiritualibus, & temporalibus Reuerendi Patris, & Domini D. Bertrandi eadem gratia Epiſcopi Bononienſis, & Epiſcopatus eius Vicarius Generalis, ſalutem, & ſynceram in Domino charitatem. Cum ea, quæ iuſtitiæ, rationis, & charitatis exiſtunt, ac ſalutarem gratiam corporum, & animarum reſpiciunt, notam ignorantiæ non inducant, ſed ſingulis fructificare volentibus potiùs innoteſcant: tenore præſentiũ charitati veſtræ volumus fore notum, nos vidiſſe, & diligenter inſpexiſſe quaſdam literas fel. rec. Domini Alexandri diuina prouidentia Papæ Quarti, non cancellatas, nõ abolitas, nec in aliqua ſui parte ſuſpectas, bulla plumbea, ac filo ſerico bullatas, omni ſuſpicione carentes, quarum tenor talis erat.

1257. *ALEXANDER EPISCOPVS Seruus Seruorum Dei.*

Dilectis filijs Generali, & Prouincialibus Prioribus, ac vniuerſis Fratribus Ordinis Eremitarum S. Auguſtini Salutem, & Apoſtolicam benedictionem.

§. 1. OBlata Nobis ex parte veſtra petitio continebat, quòd Apoſtolica Sedes nonnullas domos veſtri Ordinis antequam eſſetis in vnius Religionis corpus de mandato noſtro redacti, diuerſis priuilegijs, & indulgentijs per ſpeciales literas decorauit.

§. 2. Vt igitur vobis per diuinam, & noſtram diſpoſitionem in vna obſeruantia vno profeſſionis fœdere counitis omnino proficiat; quod diuiſim aliquibus domibus veſtris ante vnionem huiuſmodi fuerat ab eadem Sede conceſſum, Nos veſtris precibus inclinati, priuilegia, & indulgentias huiuſmodi eiſdem domibus ſingulariter olim indulta, ad omnes, & ſingulas extendentes, vtendi eis, quoties opus erit, liberam vobis omnibus concedimus facultatem.

§. 3. Nulli ergo omnino hominũ liceat hanc paginam noſtræ conceſſionis infringere, vel ei auſu temerario contraire: Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorũ Petri, & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum.

Datum Lateran. duodecimo Calendas Maij, Pontificatus noſtri anno tertio.

In quorum omnium teſtimonium præſentes literas fecimus annotari, & Notariorũ ſubſcriptorũ ſubſcriptionibus roborari, ac ſigilli Vicariæ Epiſcopalis Curiæ Bononienſis appẽſione muniri ſub anno Natiuit. Dñi Milleſimo trecẽteſimo trigeſimo ſeptimo, Indictione quinta, die vigeſima ſecunda mẽſis Ianuarij, Pontificatus Sanctiſſimi Patris, & Domini noſtri Domini Benedicti diuina prouidentia Papæ XII. anno tertio.

Et ego Petrus quondam Bonauẽturæ de Guantarijs de Senis Imperiali auctoritate Notarius publicus, prædictas authenticas literas, de quibus ſupra fit mentio, vidi, & diligenter inſpexi, ac exemplaui, & ſcripſi, vt ſuperiùs continetur, de ſpeciali mandato dicti Domini Vicarij, ac etiam me ſubſcripſi appoſito ſolito meo ſigno, ſub eodem anno Domini Milleſimo trecẽteſimo trigeſimo ſeptimo, Indictione quinta, die vigeſima ſecunda menſis Ianuarij.

Ego Petrus Iacobus quondã Tertij Ciuis Bononienſis, publicus Imperiali auctoritate, & Curiæ Epiſcopalis Bononienſis Notarius, de mandato, & auctoritate Reuerendi viri Domini Guidonis Septem, Clerici Lunenſis dicti Vicarij Generalis Reuerendi Patris Domini Ioannis, Dei gratia, Epiſcopi Cæſenatis Vicarij, & Adminiſtratoris in ſpiritualibus, & tẽporalibus Epiſcopatus Bononienſis, omnia hæc, vt prædictis omnibus adhibeatur plena fides, me in teſtem ſubſcripſi, ſignòq. meo ſolito ſignaui, ſub dictis Milleſimo, Indictione, menſe, & die.

Ego Guilelmus quondã Bernardi de Lamola Ciuis Bononienſis, publicus Imperiali auctoritate, & Epiſcopalis Curiæ Bononienſis Notarius, mandato, & auctoritate Reuerendi viri Domini Guidonis Septem Vicarij præfati, vt prædictis omnibus adhibeatur plena fides, me in teſtem ſubſcripſi, ſolitòq. meo ſigno ſignaui, ſub Milleſimo, Indictione, menſe, & die prædictis.

Ego Bartholomæus Zentãnij Bononienſis Ciuis, Imperiali auctoritate, & Epiſcopalis Curiæ Bononiẽſis Notarius, mandato, & auctoritate Reuerendi Domini Vicarij, vt prædictis omnibus adhibeatur plena fides, me in teſtem ſubſcripſi, & meo conſueto ſigno ſignaui, ſub dictis Milleſimo, Indictione, menſe, & die.

Conſtit. XXIV.

Ex Inſtrumento authentico, quod Romæ aſſeruatur in Archiuo Ordinis. nu. 24.

Summarium.

Fratres Ordinis noſtri poſſunt celebrare Miſſam cum Altare portatili. Decimas, & oblationes recipere.

Vniuerſis præſentes literas inſpecturis: Cunradus miſeratione diuina Aſtenſis Epiſcopus, ſalutem in eo, qui eſt omnium vera ſalus. Noueritis, Nos infraſcriptas literas indulgentiæ Sanctiſſimi Patris noſtri bonæ memoriæ Domini Alexandri Papæ, eius bulla plumbea munitas, in qua bulla ex vna parte ſunt duo capita, & eorum ſupraſcriptio ſic dicit, (S.Pa. S.Pe.) Ex alia parte ipſius bullæ dicit, (Alexãder Papa IV.) vidiſſe, & intellexiſſe, quarum tenor talis eſt, & inferiùs continetur, & eſt ſcriptus ipſe tenor.

ALEXANDER EPISCOPVS Seruus Seruorum Dei. 1257.

Dilectis filijs Priori, & Fratribus Eremitis Ordinis S. Auguſtini Salutem, & Apoſtolicam benedictionem.

§. 1. IN Regiſtro fel. rec. Innocentij Papæ prædeceſſoris noſtri quarundam literarum tenor inſcribitur, qui talis eſt.

§. 2. Innocentius Epiſcopus Seruus

nus Seruorum Dei, Dilectis filijs Priori, & Fratribus Eremitis Ordinis S. Augustini Salutem, & Apostolicam benedictionem.

§. 3. Deuotionis augmentũ vobis (Deo propitio) prouenire confidimus, si super ijs, quæ piè cupitis, Nos benignos ad gratiam habeatis. Hinc est, quòd Nos humilitatis vestræ precibus inclinati, auctoritate vobis præsentium indulgemus, vt in locis, & Oratorijs vestris cũ viatico altari possitis Missarum solemnia, & alia diuina officia celebrare, omni parochiali iure parochialibus ecclesijs reseruato. Et ne de iure huiusmodi possit aliqua quæstio suboriri, illud circa oblationes, decimas, & primitias intelligimus, quæ a laicis solent ecclesiasticis exhiberi, quibus defraudari nolumus parochiales ecclesias occasione indulgentiæ supradictæ.

Cũ altari viatico possũt Missas celebrare.

§. 4. Nulli ergo omnino hominũ liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire: Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorũ Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Lugduni duodecimo Calẽdas Octobris, Pontificatus nostri anno octauo.

§. 5. Nos autem vestris precibus annuentes, tenorem ipsum ex eodẽ regesto fideliter sumptum sub bulla nostra de verbo ad verbum fecimus adnotari.

Datum Lateran. quarto Calendas Maij, Pontificatus nostri anno tertio.

In cuius rei testimonium præsentes nostri sigilli munimine iussimus roborari, & etiam, ad maiorem fidẽ habendam, nomina infrascriptorum Notariorum, cum eorum signis similiter fecimus, seù iussimus hìc apponi. Datum Aste anno Dominicæ Natiuitatis Millesimo ducentesimo sexagesimo sexto, Indictione nona, die lunæ, vigesimo octauo videlicet Decembris.

Et ego Manuel Spalla Notarius Palatij, prædictas literas vidi, legi, & exemplaui, nihil addens, mutans, vel minuens, potest forsitan punctum, literam, aut syllabam, partiũ tamen significatione retenta, & sicut in originali continebatur, sic & in isto nouo continetur exemplo, & de mandato dicti Domini Episcopi meũ signum apposui, & me subscripsi, & prædicta scripsi.

Et ego Guilelmus de Milano ab Imperatore Frederico Notarius, has literas vidi, & legi, & auscultaui, & sicut in originali continebatur, sic & in isto nouo continetur exemplo, & de mandato prædicti Domini Episcopi me subscripsi, & meum signum apposui.

Et ego Grandonus de Bergamo Notarius Palatij, prædictas literas vidi, legi, & auscultaui, & sicut in originali continebatur, sic & in isto nouo continetur exemplo, & de mãdato dicti Domini Episcopi me subscripsi, & meum signum apposui.

Constit. XXV.

Ex Bulla originali, quæ cum sigillo plumbeo asseruatur Romæ in Archiuo Ordinis. nu. 25.

Summarium.

Decimas, & Procurationes Fratres Eremitæ non tenentur soluere, quæ à Diœcesanis imponuntur.

1257. ALEXANDER EPISCOPVS Seruus Seruorum Dei,

Dilectis filijs Generali, & ceteris Prioribus, ac Fratribus Eremitis Ordinis S. Augustini per districtum Pisanum constitutis, Salutem, & Apostolicam benedictionem.

§. 1. MEritis vestræ Religionis inducimur, vt vos speciali gratia consequamur, & in ijs, quæ dignè deposcitis, habeamus prouidentiæ studium efficacis. Cum itaque grauis (prout asseritis) vos premat sarcina paupertatis, ac propter hoc Apostolicæ Sedis auxilium sit vobis multipliciter oportunum: Nos vestræ prouidere quieti, ac etiã grauaminibus Ordinis vestri occurrere cupientes, vestris inclinati precibus, auctoritate vobis præsentium indulgemus, vt ad præstationem alicuius talliæ, vel collectæ, seù procurationis à Diœcesanis locorum suorum, vel Apostolicæ Sedis nomine vobis impositæ, aut etiam imponendæ, necnon ad supportationem onerum Ciuitatum, seù locorum, in quibus degitis, non teneamini, nec ad id compelli possitis sine speciali mandato Sedis eiusdem, faciente plenam, & expressam de Indulgentia huiusmodi mẽtionem: Nos enim nihilominus irritum decernimus, & inane si secus fuerit attentatum.

Eximũtur à collectis, et Procurationibus Diœcesanis etiã impositis a Sede Apostolica.

§. 2. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis, & constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire: Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum.

Datum Viterbij secundo Idus Iunij, Pontificatus nostri anno tertio.

Constit. XXVI.

Ex Bulla originali cum sigillo plumbeo, quæ Romæ asseruatur in Archiuo Ordinis, nu. 26.

Summarium.

Procurationes à Nuntijs Apostolicis impositas, non tenentur soluere Fratres Eremitæ S. Augustini.

ALEXANDER EPISCOPVS Seruus Seruorum Dei. 1258.

Dilectis filijs Prioribus, & Fratribus Eremitis Ordinis S. Augustini per Pisanam Ciuitatem, & Diœcesem constitutis Salutem, & Apostolicam benedictionem.

§. 1. INducunt Nos vestræ Religionis merita, vt vos illa prosequamur gratia, quam vobis fore cognouerimus oportunam. Hinc est, quòd Nos attendentes, quòd vos, qui in bonis temporalibus minimè abundatis, Iesu Christi obsequio vos totaliter deputastis, vt vos, vel aliqui vestrum ad præstandum aliquas procurationes Legatis, seù Nuntijs Sedis Apostolicæ impositas, aut etiam imponendas, vel ad contribuendum in eis minimè teneamini; nec ad id compelli possitis per aliquas literas Sedis eiusdem, quantumcunque præcisè scribatur in eis, impetratas, seù impetrandas, quæ de Eremitis, & Ordine vestro, ac indulgentia huiusmodi plenam, & expressam non fecerit mentionẽ, etiamsi contineatur in eis, quòd ille, cui mandatur procuratio, exhiberi tàm exemptos, quàm non exemptos ad eam sibi præstandam, vel contribuendũ in ipsa cõpellere valeat, indulgentia qualibet non obstante, deuotioni vestræ auctoritate præsen-

Ad procurationes Legatorũ, & Nuntiorum non tenentur.

sen-

ſentium indulgemus, excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti ſententias, ſi quas contra tenorem conceſſionis huiuſmodi, in vos, vel aliquem veſtrum per quoſcumque promulgari contigerit decernentes irritas, & inanes.

§. 2. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ conceſſionis, & conſtitutionis infringere, vel ei auſu temerario contraire: Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum.

Datum Viterbij Nonis Iulij, Pontificatus noſtri anno quarto.

Conſtit. XXVII.

Ex Bulla originali cum ſigillo plumbeo, quæ Romæ aſſeruatur in Archiuo Ordinis. n. 27.

Summarium.

Fratres Eremitæ S. Auguſtini de Arcu Senenſi poſſunt de acquiſitis per vſuras, & rapinas portionem quandam accipere, & quomodo.

1259. ***ALEXANDER EPISCOPVS Seruus Seruorum Dei.***

Dilectis filijs Priori, & Fratribus Eremitis Domus S. Auguſtini iuxtà portam de Arcu Senenſis, Ordinis Beati Auguſtini Salutem, & Apoſtolicam benedictionem.

§. 1. Religionis veſtræ meretur honeſtas, vt vos proſequamur gratia, quæ veſtris neceſſitatibus eſſe dignoſcitur opportuna. Veſtris itaque ſupplicationibus paterno concurrentes affectu, vt de vſuris, rapinis, & aliàs malè acquiſitis, ſi ij, quibus horum reſtitutio fieri debeat, omninò ſciri, & inueniri non poſſint, necnon de redemptionibus votorum, quæ fuerint auctoritate Diœceſanorum Pontificum cõmutata (Hieroſolymitano dumtaxàt excepto) vſque ad ſummam trecentarum librarum Senenſium paruorũ recipere valeatis (dummodò aliàs ſimilem non ſitis à Nobis gratiam conſecuti) auctoritate vobis præſentium indulgemus. Ita quòd ſi aliquid de dictis trecentis libris dimiſeritis, vel reſtitueritis, aut dederitis illis, à quibus eas receperitis, huiuſmodi dimiſſum, vel reſtitutum, ſeù datum, nihil ad liberationem eorũ proſit, nec quantum ad illud habeantur aliquatenus abſoluti.

De malè acquiſitis vſq; ad libr. trecẽtas poſſunt recipere.

§. 2. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginã noſtræ conceſſionis infringere, vel ei auſu temerario contraire: Si quis autem hoc attẽtare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum.

Datum Anagniæ ſecundo Nonas Martij, Pontificatus noſtri anno quinto.

Conſtit. XXVIII.

Ex Bulla originali cum ſigillo plumbeo, quæ aſſeruatur Romæ in Archiuo Ordinis. n. 28.

Summarium.

Fratres Eremitæ, & Fratres Minores nõ poſſunt viciſſim Fratres recipere ſine licentia Superiorum ſub pœna excommunicationis.

ALEXANDER EPISCOPVS Seruus Seruorum Dei. 1259.

Dilectis filijs Generali, & vniuerſis Prouincialibus Miniſtris, & Fratribus Ordinis Fra-

trum Minorum, Salutem, & Apostolicam benedictionem.

§. 1. QVantò præclara Ordinis vestri Religio inter Religiones alias per insignem gratiam meritorum, prærogatiuam virtutum, & eminentiam sanctitatis cõspectiori rutilat claritate, tantò magis vestram condecet honestatem, vt omnem in vobis iustitiam adimplentes, debitæ charitatis legem erga singulos obseruetis, non faciẽdo id alijs, quod vobis adscribitis ad offensam.

§. 2. Sanè vestris dudum supplicationibus inclinati, vniuersis Prioribus, & Fratribus Eremitis Ordinis S. Augustini, & S. Guilelmi, auctoritate literarum nostrarum inhibuisse meminimus, ne aliquos Ordinis vestri Fratres professos in Ordine suo recipere, vel retinere præsumãt, sine Priorum suorum petita licentia, & obtenta: &, decernentes nihilominus irritum, & inane quidquid per eos contra inhibitionem huiusmodi contingeret attentari, eadem auctoritate duximus statuendum, vt præsumentes scienter contra eandem inhibitionem propria temeritate venerint, ipso facto sententiam excommunicationis incurrant, à qua excepto mortis articulo non possint absolui, nisi conspectui Sedis Apostolicæ se præsentent, ab ea iuxta ipsius prouidentiam absolutionis beneficium obtenturi.

§. 3. Cum igitur vos deceat pati legem, quam imponi alijs procurastis, vniuersitati vestræ in virtute obedientiæ districtè, præcipiendo mandamus, quatenus à prædictorũ Eremitarum scandalis abstinentes, aliquos in Ordine ipsorum professos in Ordine vestro sine petita, & obtenta Priorum suorum licentia, nullatenus admittatis. Ita quòd nulla inter vos, & ipsos occasione huiusmodi contentio valeat exoriri, sed potiùs, sicut decet, charitas, & dilectio iugiter augeatur. *Fratres Minores non possunt recipere Fratres nostri Ordinis nisi habita licẽtia Superiorũ.*

Datum Anagniæ tertio Idus Iunij Pontificatus nostri anno quinto.

Constit. XXIX.

Ex Bulla originali, quæ asseruatur Romæ cum sigillo plumbeo in Archiuo Ordinis. nu. 29.

Summarium.

Conuentus S. Bartholomæi de Gestinga Ordini conceditur, executore Riccardo Cardinale.

ALEXANDER EPISCOPVS *1258.*
Seruus Seruorum Dei.

Dilecto filio R. Sancti Angeli Diacono Cardinali Salutem, & Apostolicam benedictionẽ.

§. 1. SIc Ordo Fratrum Eremitarum S. Augustini à suis primordijs, (gratia cooperante diuina) de virtute in virtutem successiuè profecit, quòd velut lignum fructiferum, in Ecclesiæ agro plantatũ, flores proferens copiosiùs honestatis, & producens vberiùs fructum vitæ præcelsa regularis obseruantiæ sanctimonia, & præclaris virtutum operibus specialiter extitit insignitum: vnde Nos, qui sumus in agro ipso cultores (licèt immeriti) à Domino deputati prædictum Ordinem grandi fauore prosequimur, & profectum, ac augmentum ipsius libentèr iugis diligentiæ studio procuramus, vt idem semper apostolicæ gratiæ rore perfusus tàm in spiritualibus,

bus, quàm in temporalibus laudabilia continuè (auctore Domino) ſuſcipiat incrementa.

Cōcedi tur Ordini locus S. Bartholomęi de Geſtinga.

§. 2. Hinc eſt, quòd Nos Generalis Prioris, & Fratrum ipſius Ordinis commodis paterna ſolicitudine intendentes, ac volentes, vt ſentiant ſibi Apoſtolicæ Sedis dexteram liberalem, ipſorum, & tuis cum exiſtas Patronus eiuſdem Ordinis precibus annuentes, Monaſterium S. Bartholomæi de Geſtinga Ordinis S. Benedicti Groſſetanæ Diœceſis, ad Nos, & Romanam Eccleſiam pertinens mediante cum omnibus iuribus, poſſeſſionibus, & pertinentijs ſuis eis, & per eos dicto Ordini de Fratrum noſtrorum conſilio de ſpeciali gratia per noſtras literas duximus conferendum, decernentes irritum, & inane, ſi ſecus de ipſo Monaſterio, eiuſuè iuribus, poſſeſſionibus, & pertinentijs, per quemcunque, aut quoſcunque, noſtra, vel quauis alia auctoritate contigerit attentari.

§. 3. Quò circa diſcretioni tuæ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus prædictos Priorem, & Fratres, vel ipſorum Procuratorem eorum nomine in corporalem poſſeſſionem Monaſterij, iurium, poſſeſſionum, & pertinentiarum prædictorum per te, vel per alium inducas, & tuearis inductos, amoto ab eodem Monaſterio Berengario Monacho S. Antimi, qui illud detinere dicitur occupatum, & quolibet alio detentore. Contradictores per cenſuram eccleſiaſticam (appellatione poſtpoſita) compeſcendo.

§. 4. Non obſtante, ſi perſonis aliquibus à Sede Apoſtolica ſit indultum, quòd interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas apoſtolicas, non facientes de indulto huiuſmodi mentionem, & qualibet alia præfatæ Sedis indulgētia, per quam effectus præſentium impediri valeat, vel differri: Inuocato ad hoc ſi neceſſe fuerit auxilio brachij ſecularis.

Datū Viterbij quarto Idus Aprilis, Pontificatus noſtri anno quarto.

Conſtit. XXX.

Ex Bulla originali, quæ cum ſigillo plumbeo aſſeruatur Romæ in Archiuo Ordinis. nu. 30.

Summarium.

Conuentus Graſſæ fundatio Epiſcopo Graſſenſi committitur.

ALEXANDER EPISCOPVS *1259.*
Seruus Seruorum Dei.

Venerabili fratri Epiſcopo Graſſenſi Salutem, & Apoſtolicam benedictionem.

§. 1. Circa perſonas pias, & humiles diuinis laudibus deſudantes, te ſuper ijs promptū inueniri decet, & facilem, quæ continent pietatem.

Fundatio Conuentus Graſſæ.

§. 2. Cū itaque dilecti filij Prior, & Fratres Eremitæ Graſſenſes Ordinis S. Auguſtini, Eccleſiam in honorem ipſius Sancti, ad opus eorum ibidem conſtruere de nouo cupiant, ſicut dicunt; Nos eorum ſupplicationibus inclinati, fraternitatem tuā rogamus, & hortamur attentè, per apoſtolica tibi ſcripta mandantes, quatenus eis ad hoc pro Apoſtolicæ Sedis, & noſtra reuerentia, primarium lapidē largiaris ſine iuris præiudicio alieni.

Datum Anagniæ quinto Idus Iunij, Pontificatus noſtri anno quinto.

Con-

Constit. XXXI.

Ex Bulla originali cum sigillo plumbeo, quæ Romæ asseruatur in Archiuo Ordinis n. 31.

Summarium.

Visitātibus ecclesiam Grassensem indulgentia centum dierum conceditur.

1259. *ALEXANDER EPISCOPVS Seruus Seruorum Dei.*

Vniuersis Christifidelibus præsentes literas inspecturis Salutem, & Apostolicam benedictionem.

§. 1. Vitæ perennis gloria, qua mira benignitas Conditoris omnium beatam coronat aciem ciuium supernorum, à redemptis pretio sanguinis fusi de pretioso corpore Redemptoris, meritorum debet acquiri virtute, inter quæ illud esse prægrande dignoscitur, quòd vbique, sed præcipuè in Sanctorum ecclesijs maiestas Altissimi collaudetur.

§. 2. Rogamus itaque vniuersitatem vestram, & hortamur in Domino, in remissionem vobis peccaminum iniungentes, quatenus ad ecclesiam dilectorum filiorum Prioris, & Fratrum Eremitarum Grassensium Ordinis S. Augustini, quæ in honorem ipsius Sancti constructa esse dignoscitur, imploraturi à Domino delictorum veniam, in humilitate spiritus accedatis. Nos enim vt Christifideles quasi per præmia salubriter ad merita inuitemus, de Omnipotentis Dei misericordia, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus verè pœnitentibus, & confessis, qui ad supradictam ecclesiam in festo eiusdem Sancti causa deuotionis accesserint annuatim, Centum dies de iniuncta sibi pœnitentia misericorditer relaxamus.

Datū Anagniæ Idibus Iulij, Pontificatus nostri anno quinto.

Const. XXXII.

Ex Bulla originali cum plumbeo sigillo, quæ in Archiuo Ordinis asseruatur Romæ. n. 32.

Summarium.

In domo regulari Fratrum de Brictinis, nullus alius Ordo, nisi Diui Augustini introduci potest,

ALEXANDER EPISCOPVS Seruus Seruorum Dei. 1260.

Dilectis filijs Priori, & Fratribus domus Eremitarum de Brictinis Ordinis S. Augustini Fanensis Diœcesis Salutem, & Apostolicam benedictionem.

§. 1. Solet annuere Sedes apostolica pijs votis, & honestis petentium desiderijs fauorem beneuolum impartiri. Exhibita siquidem Nobis vestra petitio continebat, quòd domus vestra, & quia est ab hominum semota frequentia, & ex sui situs aptitudine, locus Religioni conueniens est & aptus; vnde cum in ipsa sub commodo pacis, & quietis silentio, deuotum impendatis, & perpetuò desideretis impendere Domino famulatum.

§. 2. Nos vestris precibus inclinati, statuimus, vt in eadem domo vestra, vita eremitica perpetuis temporibus obseruetur: Districtiùs inhibentes, ne in ipsa domo de cetero, alium Ordinem quisquam inducere, vel ipsam ad alium locum transferre præsumat. *In domo Fratrū de Brictinis induci non pōt alius Ordo.*

§. 3.

§. 3. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginã nostræ constitutionis, & inhibitionis infringere, vel ei ausu temerario contraire: Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum.

Datum Anagniæ Nonis Iulij, Pontificatus nostri anno sexto.

Constit. XXXIII.

Ex Bulla originali cum plumbeo sigillo, quæ in Archiuo Ordinis Romæ asseruatur. n. 33.

Summarium.

Fratres Prædicatores, & Fratres Eremitæ vicissim recipere non possunt Fratres sine licentia Superiorum.

1259. *ALEXANDER EPISCOPVS Seruus Seruorum Dei.*

Dilectis filijs Magistro, & vniuersis Prouincialibus Prioribus, & Fratribus Ordinis Prædicatorum Salutem, & Apostolicam benedictionem.

§. 1. QVantò præclara Ordinis vestri Religio inter Religiones alias per insignem gratiã meritorum, prærogatiuam virtutum, & eminentiã sanctitatis conspectiori rutilat claritate, tantò magis vestrã condecet honestatem, vt omnem in vobis iustitiam adimplentes, debitæ charitatis legem erga singulos obseruetis, non faciendo id alijs, quod vobis adscribitis ad offensam.

§. 2. Sanè dudum vestris supplicationibus inclinati, vniuersis Prioribus, & Fratribus Eremitis Ordinis S. Augustini, & S. Guilelmi auctoritate literarum nostrarum inhibuisse meminimus; ne aliquos Ordinis vestri Fratres professos, in Ordine suo recipere, vel retinere præsumant, sine Priorum suorum petita licentia, & obtenta: & decernentes nihilominus irritum, & inane quidquid per eos contra inhibitionem huiusmodi contigerit attentari. Eadem auctoritate duximus statuendum, vt præsumentes scienter contra eandem inhibitionem propria temeritate venire, ipso facto sententiam excommunicationis incurrant, à qua, excepto mortis articulo, non possint absolui, nisi conspectui Sedis Apostolicæ se præsentent, ab ea iuxta ipsius prouidentiam absolutionis beneficium obtenturi.

§. 3. Cum igitur vos deceat pati legem, quam imponi alijs procurastis, Vniuersitati vestræ in virtute obedientiæ districtè præcipiendo mandamus, quatenus à prædictorũ Eremitarum scandalis abstinentes, aliquos in Ordine ipsorum professos, in Ordine vestro sine petita, & obtenta Priorum suorum licentia nullatenus admittatis. Ita quòd nulla inter vos, & ipsos occasione huiusmodi contentio valeat exoriri, sed potiùs, sicut decet, charitas, & dilectio iugiter augeatur.

Datum Anagniæ tertio Idus Iunij, Pontificatus nostri anno quinto.

ALEXANDRI VI. Constit. I.

Ex transumpto authentico, quod asseruatur Romæ in Archiuo Ordinis sub Alexandro Sexto, numero primo. cuius originale est Tridenti in Conuentu S. Marci.

Sum-

Summarium.

Festum S. Patris Augustini in tota Marchia Taruisina, hæc est Prouincia Veneta celebrari debet cum cessatione ab operibus.

1493. *ALEXANDER PAPA SEXTVS.*

Venerabilis frater Salutem, & Apostolicam benedictionem.

§. 1. NVper Nobis dilecti filij Paulus Parauinus Prouinciæ Marchiæ Taruisinæ Prouincialis, ac Paulus Tridentinus sacræ Theologiæ Magistri, & eiusdem Prouinciæ Fratrum Ordinis Eremitarum S. Augustini Visitatores exposuerunt, quòd aliàs fel. rec. Ioannes Papa XXII. prædecessor noster per certas literas suas dilectis filijs Priori, & Fratribus Domus S. Augustini Papiensis, vbi corpus eiusdẽ Sancti honorificè requiescit, illius festum sub certis modo, & forma in illis expressis celebrari, & honorari mandauit.

§. 2. Pari modo etiam prædecessor noster fel. rec. Innocentius Papa VIII. attendens dicti Sancti merita, ac immensos labores, quos pro fidei orthodoxæ illustratione tulerat, motus precibus dilecti filij Pauli Vicarij, & Prioris Fratrũ Domus S. Marci Tridẽtini eiusdem Ordinis S. Augustini, Venerabili fratri Episcopo Tridentino per suas literas commisit, quatenus statueret, & mandaret festum S. Augustini prædictum in Ciuitate, & Diœcesi Tridentina huiusmodi ab incolis, & habitatoribus, & per cessationem ab eorum operibus, & exercitijs, perpetuis futuris temporibus ita celebrari, & venerari, quemadmodum ab ipsis, & alijs Christifidelibus, Apostolorum, & Euangelistarum festiuitates celebrantur, & venerantur: facerèq. quòd in eodẽ festo Clerus, & Populus Tridentinus apud ecclesiam dictæ domus Sancti Marci congregaretur, & inde discedere, & per loca publica, & cõsueta ipsius Ciuitatis processionaliter procedendo, & ad eandem vnde discesserat ecclesiam rediret, solemni inibi Missa celebranda interessendo.

Festum S. Augustini de præcepto in Diœcesi Tridentina.

§. 3. Et demùm eidem Episcopo mandauit, quòd postquam statutũ, & ordinationem huiusmodi ordinasset, illa ab incolis, & habitatoribus prædictis inuiolabiliter obseruari faceret, ac festiuitati dicti Sancti, legitimo cessante impedimento, illius honorandæ gratia personaliter interesse, pro tàm gloriosi Sancti & Ecclesiæ Doctoris reuerentia, saltèm illa vice deberet, prout in eorundem Ioannis XXII. & Innocentij VIII. prædecessorum nostrorum respectiuè desuper confectis literis, quorum tenores hîc haberi volumus pro sufficienter expresis, pleniùs dicitur contineri.

§. 4. Proinde cum Paulus Patauinus, & Paulus Tridentinus præfati cupiant pro maiori ipsius Sancti celebratione, hoc ipsum in ista Ciuitate Venetiarum, ac alijs Ciuitatibus, & locis ipsius Prouinciæ Marchiæ Taruisinæ, vbi Conuentus, seù domus Fratrum Eremitarum eiusdem Sancti existunt, fieri, & festum ipsum eodem (vt præfertur) modo celebrari, Nobis humiliter supplicarunt, vt dignaremur eis desuper adesse.

§. 5. Nos igitur, qui pro Nostri pastoralis officij cura diuinũ cultum augeri, & tanti Sancti memoria recoli

coli piè meditamur, huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, fraternitati tuæ per præſentes committimus, quatenus feſtum S. Auguſtini prædicti ad inſtar feſtiuitatum Apoſtolorum, & Euangeliſtarum, tàm à Clericis, qui duplici officio, ad inſtar feſtiuitatum Apoſtolorum, & Euangeliſtarum, illud celebrare teneantur pari modo etiam à laicis, qui in Ciuitate iſta Venetiarum ſunt, recoli, & celebrari, ac populum illum Venetum apud eccleſiam S. Stephani, vbi Religioſi, & incolæ dicti loci inhabitant, Miſſam inibi ſolemniter celebrandam audire debere, perpetuis futuris temporibus ſtatuas, & auctoritate noſtra decernas: ſtatuta quoque, & decreta huiuſmodi poſtea inuiolabiliter obſeruari facias.

Extenditur ad totã Prouinciam Marchię Taruiſinæ.

§. 6. Et inſuper ad maiorẽ præmiſſorum omnium obſeruationem, volumus, quòd tu (legitimo ceſſante impedimento) eiuſmodi feſtiuitati ad illam ornandam, ſaltèm prima vice, vnà cum Canonicis tuæ Patriarchalis eccleſiæ in eadem eccleſia S. Stephani ſolemnem Miſſam celebraturus interſis, & ad illam proceſſionaliter accedas; quòdq. populus eodem die ad dictam eccleſiam, & alia loca eorundem Fratrũ Eremitarum dicti Sancti accedere debeat.

§. 7. Mandando etiam locorum Ordinarijs, in eadem Marchia Taruiſina Prouincia exiſtentibus, vt ipſi quoque in ſuis Diœceſibus, Ciuitatibus, & locis hoc ipſum cum effectu eo modo, quo ſupra, obſeruari faciant, & mandent.

§. 8. Præmiſſis, necnon omnibus illis, quæ præfati Prædeceſſores in dictis eorum literis non obſtare voluerunt, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ceterìsq. in contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcunque.

Datum Romæ apud S. Petrum ſub anulo Piſcatoris, die vigeſima ſecunda Iunij, Milleſimo quadringenteſimo nonageſimo tertio, Pontificatus noſtri anno primo.

Conſtit. II.

Ex Bulla originali, quæ aſſeruatur Romæ in Archiuo Ordinis. num. 2.

Summarium.

Conuentus S. Auguſtini Maioris Neapolitani, aliàs vnitus Congregationi S. Ioannis de Carbonaria, Ordini reſtituitur, Anſelmo de Monteſalcone Commiſſario.

A tergo

Dilecto filio Anſelmo de Monteſalcone Ordinis Fratrum Eremitarũ S. Auguſtini, & Sacræ Theologiæ Profeſſori, & eiuſdem Ordinis Priori Generali.

ALEXANDER PAPA SEXTVS. 1495.

Dilecte fili Salutem, & Apoſtolicam benedictionem.

§. 1. OLim ſiquidem pro parte quondam Ambroſij de Cora, tui in officio Prioratus Generalis Fratrum Eremitarum S. Auguſtini immediati Prædeceſſoris, expoſito, quòd ipſe, pro eo quia in domo S. Auguſtini Neapolitani dicti Ordinis multa per illius Fratres committebantur à Religione aliena, & ſcandalum in populo generantia, Domum ipſam Congregationi Fratrum

Fratres de Carbonaria introducti in Conuentu S. Augustini Neapolis.

trum dicti Ordinis de Carbonaria nuncupatæ, sub regulari obseruãtia viuentium, per eos iuxta eorum ritus, & mores perpetuò inhabitandã concesserat idem Prædecessor eiusdē Ambrosij in ea parte supplicationibus inclinatus, gesta in præmissis per eundem Ambrosium per literas suas in forma Breuis apostolica auctoritate confirmari, & Fratres eiusdem regularis obseruãtiæ in dicta Domo introduci, & inibi degentes ad alias Domos Fratrum dicti Ordinis transferri mandauit, & sub excommunicationis pœna inhibuit Procuratoribus, & Syndicis dictæ Domus, & alijs quibuscunque ecclesiasticis, & secularibus personis, ne de dicta Domo, & Fratribus prædictis se intromitterent, nisi de Prioris illius, & Vicarij Congregationis prædictæ pro tempore existentium consensu.

§. 2. Cum autem sicut fide digna relatione accepimus, inter Fratres dictæ Congregationis, & eos, qui dictum Conuentum ante dictam vnionem inhabitabant, non parua controuersia orta sit, & in dies in dicti Ordinis dedecus, & scandalum plurimorũ, maior oriri possit, quòdq. ad sedanda huiusmodi scandala, & ad omnia, quæ dicto Conuentui, & Fratribus tàm dictæ Cõgregationis, quàm Prouinciæ necessaria, & opportuna videntur disponenda, illuc te conferre de commissione dilecti filij nostri R. Sancti Georgij Diaconi Cardinalis Protectoris vestri decreueris, vt cuncta secundùm Deum, & tui Ordinis instituta, & conscientiã tuam plenè, rectèq. disponere valeas.

§. 3. Nos, qui diuinum cultum, & Christifidelium deuotionem, ac Ordinis prædicti augmentum intensis desideramus affectibus, discretioni tuæ, de cuius solertia, & diligentia fiduciam in Domino gerimus, specialem, plenam, & omnimodam auctoritatem, & facultatem, dictum Conuentum ordinandi, disponendi, reformandi, dismembrandi, restituẽdi, Fratres ipsos à quocunque vinculo excommunicationis absoluendi, & super quacunque irregularitate propter hoc per eos incursa dispensandi, & singula faciendi, quæ in præmissis, & circa præmissa noueris oportuna, committimus pariter, & concedimus; non obstantibus præmissis, etiam Prædecessoris tui institutis, & cessione, & vnione: necnon literis apostolicis in forma Breuis prædicta confirmantibus, ceterisq; contrarijs quibuscunque.

Anselmus de Montefalchio ad controuersias dirimendas.

§. 4. Districtiùs inhibēdo Procuratoribus, Syndicis, siuè œconomis dictæ Domus, & quibusuis alijs ecclesiasticis, etiam Religiosis, præsertim dictæ Congregationis de Carbonaria professoribus, & secularibus personis, etiam quacunque dignitate fulgentibus, ne contra ea, quæ per te, vel deputandos à te, vigore præsentium facta fuerint, venire, nève de dicta Domo, & illius Fratribus, & bonis sine expresso consensu Prioris, & Fratrum pro tempore in illa degentium, ac Prioris Prouincialis Fratrum dicti Ordinis Prouinciæ Terræ laboris, illarum partium se vllatenus impedire quoquo modo, directè, vel indirectè præsumant, sub excommunicationis latæ sententiæ pœna, per eos, qui contrafecerint eo ipso incurrenda.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub anulo Piscatoris, die decima

cima Maij, Millesimo quadringentesimo nonagesimo quinto, Pontificatus nostri anno . . . .

Constit. III.

Ex Bullario Romano tomo primo sub Alexandro Sexto, constitut. nu. 5.

Summarium.

Officium Sacristiæ Sanctissimi Domini Papæ ab innumerabili tempore Ordini nostro concessum, eidem Ordini confirmatur.

1497. *ALEXANDER EPISCOPVS Seruus Seruorum Dei.*

Ad perpetuam rei memoriam.

§. 1. AD sacram Ordinis Fratrum Eremitarum Sancti Augustini Religionem, quam in charitatis visceribus pia veneratione semper habuimus, & habemus, nostræ dirigentes considerationis intuitum, & attentè prospicientes, quòd ipsius Religionis palmites, per vniuersum orbem diffusi, eorum claris moribus, & exemplari vita, ac singulari doctrina in agro militãtis Ecclesiæ fructus honoris, & honestatis continuè afferunt salutares: dignũ, quin potiùs debitum reputamus, vt ipsius Religionis iura, & priuilegia non solùm sibi conseruemus, verùm etiam innouemus, & augeamus, ac nostræ declarationis ministerio Religionem eandem dignis honoribus attollamus.

§. 2. Sanè licèt officium Sacristiæ Capellæ Palatij Apostolici à tanto tempore citra, de cuius initio, siuè contrario memoria hominum non existit, per Romanos Põtifices prædecessores nostros alicui ex professoribus dicti Ordinis semper committi, & concedi consueuerit, & dilectus filius Ioannes Paulus de Bossis Abbas monasterij Sancti Sebastiani extra muros Vrbis Cisterciensis Ordinis dictæ Capellæ modernus Sacrista antequam in Abbatem ipsius Monasterij per fel. rec. Sixtum Papam Quartum prædecessorẽ nostrum præficeretur, dicti Ordinis Eremitarum professor foret; tamen quia dum persona sua eidem Monasterio tunc certo modo vacanti prouisum fuit, ipsum ad dictum Cisterciensem Ordinem translatus extitit: ac etiam quia in certo libro cæremoniarum dictæ Capellæ per nonnullos tempore piæ memoriæ Innocentij Papæ Octaui prædecessoris nostri compilato, scriptum inuenitur, officium prædictum alicui Religioni non deberi, sed cuicunque (dummodò Prælatus ecclesiasticus existat) conferri posse.

Officiũ Sacristiæ tenetur ab Ordine ab immemorabili.

Abbas S. Sebastiani erat Professus Ordinis.

§. 3. Et propterea dilecti filij Marianus de Genezano Prior Generalis, ceteriq; Professores ipsius Ordinis Eremitarum formident dictam Religionem iure, seù priuilegio obtinendi, ac regendi, & gubernandi dictum officium in posterum frustrari posse.

§. 4. Nos, ad quos pertinet tàm Religionis ipsius, cui singulari deuotione afficimur, quàm fidelium omnium priuilegia, & iura conseruare, & tueri, ne Religio ipsa super dicto officio in posterum molestetur, prouidere cupientes; Motu proprio, non ad alicuius Nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed de nostra mera deliberatione, ac certa scientia, auctoritate apostolica tenore præsentium statuimus, decernimus,

Officiũ Sacristię semper dandũ ẽ alicui de Ordine.

nimus, & ordinamus, quòd deinceps perpetuis futuris temporibus officiũ Sacristiæ prædictum alicui dicti Ordinis Eremitarum professori, quamuis aliter Prælatus ecclesiasticus non existat, committi, concedi, & assignari debeat.

§. 5. Decernentes quamcunque commissionem, concessionem, & assignationem de dicto officio aliter faciendam, & literas desuper pro tempore confectas, etiam quascunque derogatoriarum derogatorias, ac alias fortiores, & efficaciores clausulas in se continentes, etiamsi in illis de præsentibus de verbo ad verbum, & cum illarum totali insertione, mentio haberetur, & illis expresse derogaretur: & quæcunque pro tempore inde secuta, nulla, irrita, & inania, nulliùsq; fore roboris, vel momenti.

§. 6. Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus, & ordinationibus apostolicis, necnon statutis, & consuetudinibus dicti Ordinis Eremitarum, iuramento, confirmatione apostolica, vel quauis alia firmitate roboratis, ceterisq. contrarijs quibuscunque.

§. 7. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostrorum statuti, constitutionis, ordinationis, & decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire: Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum.

Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ, Millesimo quadringentesimo nonagesimo septimo, Idibus Octobris, Pontificatus nostri anno sexto.

Constit. IV.

Ex Breue originali asseruato Romæ in Archiuo Ordinis. num. 4.

Summarium.

Confirmatur F. Marianus in Generalem, & datur ei auctoritas super omnes Congregationes Religionis.

A tergo

Dilecto filio Magistro Mariano Ordinis Sancti Augustini Priori Generali.

ALEXANDER PAPA SEXTVS.

Dilecte fili Salutem, & Apostolicam benedictionem.

§. 1. Inter graues nostræ huius Apostolicæ celsitudinis curas, illud vel maximè Nobis cordi est, vt hominum vitia extinguantur, fluxi Clericorũ mores reformentur, Religiosorum præsertim Mendicantium, qui verbo, & exemplo ecclesiã benè instituere soliti sunt, viuẽdi modus ad saniora cõsilia reuocetur, vbi Christianorũ populi tanquàm in speculo intendentes, ad vitæ honestaté, religionisq; cultum se componant.

§. 2. Itaque bo. mem. Anselmus de Montefalcone Prior Generalis Ordinis tui cum adhuc viueret, nobiscum multis precibus egit per dilectum filium nostrum Ra. Cardinalẽ S. Georgij Camerariũ nostrũ, & tui Ordinis Protectorem, vt te sibi propter aduersam sui corporis valetudinem, & viuenti coadiutorẽ, & defuncto Vicarium, ac successorẽ instituere dignaremur. Quod cum cognita singulari virtute tua libenter impleremus, biennio hoc proximo, quo tu Ordinem ipsum Vicarius administra-

niſtraſti, intelleximus eum Nobis certè gratiſſimum opus, & cæremonijs non mediocriter reparatum, & moribus egregiè auctum. In hoc autem tui Ordinis generali Capitulo, quod his diebus in hac noſtra Alma Vrbe celebratum eſt, vt ab eodem Protectore audiuimus, octoginta tres ex Prouincijs omnibus Vocales affuerunt, qui vnanimiter, ne vno quidem diſcrepante ſuffragio, te in Priorem Generalem elegerunt. Quod quidem propter eam, quam de tua optima adminiſtratione ſpem habebamus, Nobis ſupraquam dici poteſt, gratum fuit, atque iucundum.

§. 3. Quoniam autem ab eodem Cardinali Protectore accepimus, te maiorem in modum reformationis tui Ordinis cupidum eſſe, quo gratius Nobis eſſe nihil poteſt, & Diffinitores Capituli generalis, quaſdam te cognoſcente diffinitiones ad vniuerſi Ordinis reformationem, incrementùmq; neceſſarias ſanxiſſe, & in eccleſia Sancti Auguſtini, eodem Protectore veſtro præſidente, publicaſſe; Nos vt vbìque ab omnibus religiosè, ſanctèque viuatur; cupientes, vt ea, quæ à Nobis ſtatuta, & decreta ſunt, omne Apoſtolicæ etiam auctoritatis robur habeant; Motu proprio, & ex certa noſtra ſcientia illis diffinitionibus Apoſtolica auctoritate benedicimus, eàſque & laudamus, & approbamus; volentes inſuper eas ab vniuerſis tui Ordinis Fratribus tàm Conuentualibus, quàm de Obſeruantia aſſertis quarumcunque Congregationum, ſiuè extra Italiam, vt eſt illa Andreæ proles in Germania, ſiuè in Italia, vt Congregatio Liceti, Sanctæ Mariæ de Populo, Sancti Ioannis in Carbonaria, Lombardiæ, Sanctæ Mariæ de Monte Ortono, & Fratris Ioannis Baptiſtæ de Ianua, ſinè vlla exceptione in perpetuum inuiolabiliter obſeruari. Te vero in Priorem Generalem tui Ordinis eadem Apoſtolica auctoritate confirmamus; dantes tibi in vniuerſum tuum Ordinem, & ſingulas eius Prouincias, Congregationes, Monaſteria, Fratres, & Sanctimoniales vbilibet gentium poſitas, omnem auctoritatem, quæ Priori Generali à Conſtitutionibus, Additionibus, & Diffinitionibus tui Ordinis conceditur. Ac inſuper, vt ea, quæ acturus es, maiori robore munita ſint, noſtram etiam tibi in Prouincias, Congregationes, Fratres, & Sanctimoniales tui Ordinis in his, quæ ad reformationem Religionis pertinere videbuntur, Apoſtolicam auctoritatem concedimus, vt ea munitus inſtituere, reformare, corrigere, & emendare omnium vitam, mores, cæremonias, & inſtituta poſſis: ſcientes te pro reliqua tua prudentia nonniſi modeſtè, religiosè, & ſanctè tali auctoritate eſſe vſurũ. Mandantes omnibus, & ſingulis Prælatis Prouincialibus, Vicarijs, Prioribus, Fratribus, & Sanctimonialibus Ordinis tui, vt ijs, quæ per te omnibus præcepta, mandata, & conſtituta fuerint ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna humiliter pareant, & religiosè obediant.

Confirmatio Generalis.

Generalis auctoritas ſupra omnes congregationes.

§. 4. Non obſtantibus quibuſcunque priuilegijs, indultis, conceſſionibus, alicui Congregationũ tàm Fratrum, quàm Monialium, ſiuè in Italia, ſiuè extra Italiam degentium, ſiuè à Nobis, ſiuè ab alijs prædeceſ-

ſoribus noſtris Romanis Pontificibus conceſſis, quocunque robore, & quibuſcunque verbis, & clauſulis, ne vnquam infringi poſſint, munitis, etiamſi eorum mentio expreſsè facienda, & verba ſingula inſerenda eſſent, quæ omnia pro expreſſis haberi volumus, ac ſi de verbo ad verbum hìc poſita, & explicata fuiſſent: quibus omnibus derogatum eſſe volumus, & expreſsè derogamus: volentes, præfatum Ordinem vniuerſum Eremitarum S. Auguſtini auctoritati tuæ, qui Prior Generalis exiſtis, plenè, & ſimpliciter in omnibus, & per omnia abſque aliqua diminutione ſubiacere.

Datum Romæ apud S. Petrum ſub anulo Piſcatoris, die vigeſima ſexta Maij, Milleſimo quadringenteſimo nonageſimo ſeptimo, Pontificatus noſtri anno quinto.

Conſtit. V.

Ex Tranſumpto ſimplici, deſumpto ex Regiſtro Vaticano, & aſſeruatur Romæ in Archiuo Ordinis. nu. 5.

Summarium.

Continet deciſionem quandam circà effigiem D.ui Patris Auguſtini.

ALEXANDER EPISCOPVS Seruus Seruorum Dei.

Venerabili fratri Guidoni Archiepiſcopo Mediolanenſi Salutem, & Apoſtolicam benedictionem.

§. 1. IVſtis petentium votis, per quæ ſcandalis obuiatur, ac perſonarum quarumlibet præſertim ſub regulari habitu Altiſſimo famulantium quieti conſulitur, libentèr annuimus, eàque fauoribus proſequimur oportunis. Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilecti filij Mariani de Genezano Ordinis Fratrum Eremitarum Sancti Auguſtini Vicarij Generalis petitio continebat, quòd licèt à decem, & octo annis citra quædam imago ipſius Sancti Auguſtini in ſummitatæ eccleſiæ tuæ Mediolanenſis cum habitu Fratrum Eremitarum eiuſdem Sancti, habita ſuper hoc tunc matura deliberatione, ſculpta poſita fuerit, & vnà cum imaginibus aliorum Eccleſiæ Doctorum inibi permanſerit, quia tamen ad præſens agitur, quòd illa, & aliæ imagines ibìdem exiſtentes propter eorum nimiam ponderoſitatem in minori ſtatura reponantur, nonnulli tentant, quòd prædicta imago Sancti Auguſtini reincidatur in lapide marmoreo cum camiſia ſinè ſcapulari, & corrigia, quod profectò in non modicum dicti Ordinis ſcandalum cederet, & detrimentum; quare pro parte eiuſdem Mariani aſſerentis aliàs fel. record. Sixtum Papam Quartum prædeceſſorem noſtrum ſuperuacuam, & pernicioſam contentionem, & controuerſiam inter dilectos filios Canonicos Regulares dicti Ordinis Congregationis Lateranenſis, & Fratres Eremitarum Ordinis, ſuper habitu, & pictura Sancti Auguſtini huiuſmodi tunc exortas, eis, & cuilibet eorum ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ inhibendo, & præcipiendo mandaſſe, vt ab eis penitùs abſtinerent, & ex tunc ampliùs de illis mentionem aliquam facere non auderent, per ſuas literas amputaſſe, & penitùs extin-

extinxiſſe, Nobis humiliter fuit ſupplic tum, vt eidem Ordini, in præmiſsis oportunè prouidere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. 2. Nos igitur, qui de præmiſſis certam notitiam non habemus, huiuſmodi ſupplicationibus inclinati fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta committimus, & mandamus, quatenus, ſi eſt ita, per te ipſum dictam imaginem S. Auguſtini, prout priùs, ſub eiſdem habitu, modo, & forma reincidi, & deinde in eodem loco reponi facias, nec aliquid deſuper innoues, ſeù per alium, ſeù alios innouari permittas, & ſi quid circa dictam imaginem Sancti Auguſtini innouatum eſſet, ad priſtinam formam reducas; contradictores per cenſuras eccleſiaſticas omni appellatione poſtpoſita compeſcendo.

§. 3. Non obſtantibus præmiſſis, ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis contrarijs quibuſcũque, aut ſi aliquibus communiter, vel diuiſim ab Apoſtolica ſit Sede indultum, quòd interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam de verbo ad verbum de indulto huiuſmodi mentionem.

Datum Romæ apud Sanctũ Petrum, anno Incarnationis Dominicæ 1494. decima octaua Decembris, Pontificatus noſtri anno quarto.

BENEDICTI VNDECIMI.

Conſtit. Vnica.

Ex originali Bulla, quæ cum ſigillo plumbeo aſſeruatur Romæ in Archiuo Ordinis. nu. 1.

Summarium.

Prior Generalis poteſt abſoluere Fratres à caſibus reſeruatis: diſpenſare ſuper irregularitate: & eandem auctoritatem alijs Superioribus committere poteſt.

1334. *BENEDICTVS EPISCOPVS Seruus Seruorum Dei.*

Dilecto filio Priori Generali Fratrum Eremitarum Ordinis S. Auguſtini Salutem, & Apoſtolicam benedictionem.

§. 1. Licèt ad hoc Fratrum tui Ordinis pia deſudet intẽtio, vt ab eis in ijs, quæ faciunt prudenter, & prouidè procedatur, per hæc & ſuæ Religioni proficere, & Dei cupientes Eccleſiam honorare: tamen aliquando ex conditionis humanæ fragilitate contingit, quòd quidam ex ipſis excedũt in caſibus, in quibus excommunicationis ſententiam, & notam irregularitatis incurrunt. Quare à Nobis ſupplicatione humili poſtulaſti, vt cum viri contemplationi dediti ſint in Religionis fauorem à diſcurſibus cohibendi, ac propter viarum pericula

 eiſ-

eisdem Fratribus ad nostram, & Diœcesanorum præsentiam impediatur accessus, super hoc prouidere de benignitate solita curaremus.

§. 2. Nos itaque piè volentes, quòd in ijs, quæ dignè possumus, Sedem Apostolicam ijdem Fratres se reperisse gaudeant gratiosam, vt prædictis Fratribus absolutione, ac dispensatione indigentibus, siuè priusquàm Ordinem intrauerint, siuè postea in casibus excesserint memoratis, de consilio discretorum Fratrum præfati Ordinis, qui literati sint, & Deum timentes impertiri valeas absolutionis beneficium, & dispensare cum eis, prout secundum Deum expedire videris.

A casibus reseruatis Fratres possunt absolui à suis Superioribus.

§. 3. Absolutionem quoque, ac dispensationem huiusmodi Prioribus Prouincialibus dicti Ordinis cómittere quoties, & quando fuerit oportunum, plenam, & liberam tibi concedimus tenore præsentium facultatem: nisi adeò fuerit grauis, & enormis excessus, quòd tales meritò sint ad Sedem Apostolicam destinandi.

Datum Lateran. quarto Idus Februarij, Pontific. nostri anno primo.

BONIFACII VIII. Constit. I.

Ex Bulla originali, quæ cum sigillo plumbeo asseruatur Romæ in Archiuo Ordinis. nu. 1.

Summarium.

Cognitio causæ ædificationis Monasterij in fundo Capituli Osnaburgēsis committitur Decano, & Archidiacono Bremēsi, Fratribus recusantibus iudicium Ordinarij vigore priuilegiorū.

BONIFACIVS EPISCOPVS Seruus Seruorum Dei. 1295.

Dilectis filijs Præposito Decano, & Archidiacono Rostria in ecclesia Bremensi Salutem, & Apostolicam benedictionem.

§. 1. SVa Nobis Prior, & Fratres Eremitarum Osnaburgensis Ordinis Sancti Augustini petitione monstrarunt, quòd Decanus, & Capitulum ecclesiæ Sancti Ioannis Osnaburgensis prætendentes minùs veraciter, quòd ipsi Prior, & Fratres locum eorum in fundo dictorum Decani, & Capituli post denunciationem noui operis, per iactum lapidis factam (vt dicebant) duxerant construendum, ipsos super hoc petendo eos ad demoliendum quidquid ibi post denunciationem prædictam fuerat superædificatum compelli coram Thesaurario ecclesiæ Osnaburgensi, cui venerabilis frater noster Episcopus Osnaburgensis auctoritate ordinaria, causam huiusmodi audiendam commiserat, & fine debito terminandam, fecissent ad iudicium euocari, ex parte ipsorum Prioris, & Fratrum fuit coram eo excipiendo propositum, quòd cum ipsi, & totus Ordo, ac loca eorum ab omni iurisdictione ordinaria Diœcesanorum Episcoporum, & cuiuscunque alterius per specialia priuilegia Sedis Apostolicæ sint exempta, ita quòd ratione delicti, seù contractus, siuè rei, de qua agitur, vbicunque committatur delictum, iniatur contractus, aut res ipsa consistat, non possint ijdem Prior, & Fratres, seù aliæ personæ ipsius Ordinis coram locorum Ordinarijs conueniri, prout erant per exhi-

Ordo exēptus est à iurisdictione Episcoporū.

exhibitionem dictorum priuilegiorum legitimè docere parati, respondere super prædictis coram eodem Thesaurario minimè tenebantur, & quia idem Thesaurarius eos super hoc audire contra iustitiam recusauit, ipsi sentientes ex hoc indebitè se grauari, ad Sedem appellarunt eandem.

§. 2. Quò circa discretioni vestræ de vtriusque partis Procuratorum assensu per apostolica scripta mandamus, quatenus apud Ciuitatem Bremensem vocatis qui fuerint euocandi, & auditis hinc inde propositis, quod iustum fuerit (appellatione postposita) decernatis; facientes quod decreueritis per censuram ecclesiasticam firmiter obseruari. Testes autem qui fuerint nominati, si se gratia, odio, vel timore subtraxerint, censura simili (appellatione cessante) cogatis veritati testimonium perhibere. Quòd si non omnes ijs exequendis potueritis interesse, duo vestrum ea nihilominùs exequantur.

Datum Lateran. quinto Idus Martij, Pontificatus nostri anno primo.

Constit. II.

Ex Bulla originali, quæ cum sigillo plumbeo Romæ in Archiuo Ordinis asseruatur. num. 2.

Summarium.

Locus Fratrum de Pœnitentia Ordini concessus à Rege Galliæ, conceditur, & confirmatur auctoritate Sedis Apostolicæ.

BONIFACIVS EPISCOPVS 1296.
Seruus Seruorum Dei.

Dilectis filijs Priori, & Fratribus Eremitarum loci Parisiensis Ordinis Sancti Augustini Salutem, & Apostolicam benedictionem.

§. 1. VEstræ Religionis inducimur meritis, vt paternis vos affectibus prosequentes, eam vobis gratiam fauorabiliter impendamus, quam vestris esse conspicimus necessitatibus oportunam. Sanè petitio vestra Nobis exhibita continebat, quòd claræ memoriæ Ludouicus Rex Francorum cupiens terrena pro cælestibus, & transitoria pro æternis salubri commercio commutare, quendam locum in Ciuitate Parisiensi Fratribus de pœnitentia Iesu Christi in puram contulit eleemosynam intuitu pietatis. Eisdem verò Fratribus, locum ipsum deserentibus, Charissimus in Christo filius noster Philippus Rex Francorum Illustris nolens locum ipsum, qui dictorum contemplatione Fratrum deditus, & attributus in pios vsus fuerat aliquatenus ad profanos reuerti, ac habens ad vos specialis deuotionis affectum, præfatum locum cum iuribus, & pertinentijs suis, vobis, & successoribus vestris in perpetuum regia liberalitate concessit: ac postmodum Venerabilis frater noster Parisiensis Episcopus concessionem huiusmodi auctoritate ordinaria cōfirmauit, prout in patentibus literis super hoc confectis ipsorum Regis P. & Episcopi sigillis munitis pleniùs dicitur contineri. *Donatio Ludouici Regis Francorum cōfirmatur.*

§. 2. Verùm quia huiusmodi loca dictorum Fratrum, quorũ Ordo est

est de Mendicantibus fuerunt per constitutioné fel. rec. Gregorij Papæ Decimi prædecessoris nostri dispositioni Sedis Apostolicæ reseruata, propter quod dictæ concessio regia vobis facta de loco prædicto, & confirmatio subsecuta, fuerunt inualidæ, Nobis super hoc vobis, vt locus ipse, quem (vt asseritis) ex cõcessione prædicta pacificè possidetis, perpetuò vsibus vestris cedat prouidere volentes, vestris supplicationibus inclinati, locum prædictum cum iuribus, & pertinentijs suis, vobis, & successoribus vestris apostolica auctoritate concedimus, & in perpetuum donamus de gratia speciali. Decernentes irritum, & inane quidquid secus à quoquam contigerit attentari.

§. 3. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ donationis, concessionis, & constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire: Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum.

Datum Anagniæ Idibus Septembris, Pontificatus nostri anno secundo.

Constit. III.

Ex Bulla originali, quæ cum sigillo plumbeo Romæ asseruatur in Archiuo Ordinis. nu. 3.

Summarium.

Ordo Fratrum Eremitarum exemptus est à iurisdictione Diœcesani, contra quem sententiæ, & censuræ publicatæ nullæ sunt, in solido, firmo, & stabili statu permansurus.

BONIFACIVS EPISCOPVS 1298.
Seruus Seruorum Dei.

Dilectis filijs Priori Generali, & vniuersis Prioribus, & Fratribus Ordinis Eremitarum S. Augustini tàm præsentibus, quàm futuris religiosam vitam professis Salutem, & Apostolicam benedictionem.

§. 1. SAcer Ordo vester in agro Dominico diuina dispositione plantatus, apostolicis gratijs dignè meretur attolli, cuius professores mundanis à se relegatis illecebris, cælestium contemplationi vacantes, insistunt iugiter profectibus animarum. Nos autem ad dictum Ordinem, quem in statu firmo, solido, & stabili decreuimus, & volumus permanere, apostolicæ considerationis intuitum dirigentes, ad ea libenter intendimus, per quæ professores iam dicti nullum internæ pacis patiantur excidium, nullùmq; religiosi status perferant detrimentum, sed eò deuotiùs diuino cultui, ac salutis insistant operibus, quò quietior status fuerit eorundem, ipsiq; ampliori fuerint libertate dotati.

Hæc constitutio habetur in Magno Mare Sixti IV. const. 5.

§. 2. Ea propter dilecti in Domino filij deuotionis vestræ precibus fauorabiliter annuentes, vos & prædictum Ordinem, personas, & ecclesias, oratoria, domos, res alias, & loca vestra, ac spectantia ad eadẽ, in quibus inhabitatis ad præsens, vel inhabitabitis in futurum, cum omnibus iuribus, & pertinentijs suis, ac personis degentibus in eisdem, in ius, & proprietatem Beati Petri, & Apostolicæ Sedis assumimus, illàq; à cuiuscunque Diœcesani, & cuiuslibet alterius potestate, iurisdictione, & dominio omnimodè in perpetuum prorsus eximimus de gratia speciali.

Eximitur Ordo à iurisdictione Ordinariorum.

speciali. Decernentes ex nunc vos, & Ordinem vestrum, ac personas, ecclesias, oratoria, domos, & loca præfata, ac pertinentia ad eadem, soli Romano Pontifici, & dictæ Sedi tàm in spiritualibus, quàm in temporalibus absque vllo medio subiacere: ita quòd nec locorum Ordinarij, nec alia quæuis persona ecclesiastica in vos, & Ordinem, personas, ecclesias, oratoria, domos, & loca prædicta, (vtpotè prorsus exempta) possint excommunicationis, suspensionis, aut interdicti promulgare sententias, vel aliàs potestatem, seù iurisdictionem aliquam exercere. Quòd si forsan quidquam in contrarium à quacunque fuerit attentatum, illud omnino sit irritum, & inane.

Excommunicari, & suspēdi nō possunt; neque interdici.

§. 3. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ assumptionis, exemptionis, & constitutionis, infringere, vel ei ausu temerario contraire: Si quis autē hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorū Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum.

Datum Lateran. duodecimo Calēdas Februarij, Pontificatus nostri anno quarto.

Constit. IV.

Ex Bulla originali cum sigillo plumbeo, quæ asseruatur Romæ in Archiuo Ordinis. num. 4.

Summarium.

Prior Generalis potest reddere officium in manibus Diffinitorum, & ab eisdem confirmari.

BONIFACIVS EPISCOPVS Seruus Seruorum Dei. 1298.

Dilectis filijs Priori Generali, & Fratribus Eremitarum Ordinis S. Augustini Salutem, & Apostolicam benedictionem.

§. 1. SAcræ Religionis merita, in qua mundanis derelictis illecebris, quærentes cælestia, Domino militatis, exposcunt, vt Nos Ordinem vestrum pijs affectibus fauorabiliter prosequamur.

§. 2. Hinc est, quòd Nos deuotionis vestræ supplicationibus inclinati, vobis, & successoribus vestris, ac eidem Ordini auctoritate præsentium indulgemus, quòd tu Generalis Prior, ac successores tui Generales Priores dicti Ordinis, quorū confirmatio ad Sedem Apostolicam noscitur pertinere, qui pro tempore fuerint, à Diffinitoribus, & Discretis ipsius Ordinis, qui secundùm ipsius instituta Ordinis electi fuerint, vel assumpti, absolui possitis ab huiusmodi Generalis Prioratus officio, & etiam amoueri, quòdque in manus ipsorum Diffinitorum, & Discretorum ipsum officium resignare, eisq; tradere sigillum ipsius officij ad requisitionem, & mandatum teneamini eorundem.

Prior Generalis ab officio pōt amoueri à Diffinitoribus, & Discretis.

§. 3. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire: Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum.

Datum Romæ apud S. Petrum, sexto Idus Aprilis, Pontificatus nostri anno quarto.

Con-

Constit. V.

Ex Bulla originali cum sigillo plumbeo, quæ Romæ asseruatur in Archiuo Ordinis num. 5.

Summarium.

Decretum Concilij Lugdunensis extenditur ad Eremitas S Augustini, & Carmelitas, quod incipit *Religionum diuersitatem nimiam*.

1298. *BONIFACIVS EPISCOPVS Seruus Seruorum Dei.*

Vniuersis præsentes literas inspecturis Salutem, & Apostolicam benedictionem.

§. 1. TEnorem cuiusdam constitutionis, editæ à fel. rec. Gregorio Papa Decimo prædecessore nostro in generali Concilio Lugdunensi cum quibusdam mutationibus, & detractationibus per Nos nuper Romæ apud Sanctum Petrũ, quinto Nonas Martij, Pontificatus nostri anno quarto, in eadem constitutione factis, præsentibus fecimus adnotari, qui talis est.

§. 2. Religionum diuersitatem nimiam ne confusionem induceret, generale Concilium consueta prohibitione vitauit; sed quia non solũ importuna petentium inhiatio illarum postmodum multiplicationem extorsit, verùm etiam aliquorũ præsumptuosa temeritas, diuersorum Ordinum, præcipuè Mendicantium, quorum nõdum approbationis meruere principium, effrænatam quasi multitudinem adinuenientes, apostolica constitutione districtiùs inhibentes, ne aliquis de cetero nouum Ordinem, aut Religionem inueniat, vel habitum nouæ Religionis assumat.

§. 3. Cunctos affatim Religiones, & Ordines Mendicantes, post dictum Concilium adinuentos, qui nullam confirmationem Sedis Apostolicæ meruerunt, perpetuæ prohibitioni subijcimus, & quatenus processerant, reuocamus. Confirmatos autem per Sedem eandem, post idẽ tamen Concilium institutos, quibus ad congruam sustentationem, redditus, aut possessiones habere, professio, siuè regula, vel constitutiones quælibet interdicunt, sed per quæstum publicum, tribuere victum solet incerta mendicitas, modo decernimus subsistere infrascripto. *Prohibentur Ordines qui approbationem nondum habuerunt.*

§. 4. Vt professoribus eorundem Ordinum ita liceat in illis remanere si velint, quòd nullum deinceps ad eorum professionem admittant, nec de nouo domum, aut aliquem locum acquirant, nec domos, seù loca, quæ habent, alienare valeant sine Sedis eiusdem licentia speciali: Nos enim ea dispositioni Sedis Apostolicæ reseruamus in Terræ Sanctæ subsidiũ, vel pauperum, vel alios pios vsus, per locorum Ordinarios, vel eos, quibus Sedes ipsa commiserit, conuertenda. Si verò secus præsumptũ fuerit, nec personarum receptio, nec domorum, vel locorum acquisitio, aut ipsorum, ceterorùmq; bonorum alienatio valeat, & nihilominùs contrarium facientes sententiam excommunicationis incurrant.

§. 5. Personis quoque ipsorum Ordinũ omninò interdicimus (quoad extraneos) prædicationis, & audiendæ confessionis officium, ac etiã sepulturam. Sanè ad Prædicatorum, & Minorum Ordines, quos euidens ex eis vtilitas ecclesiæ vniuersali proueniens perhibet approbatos, præsentem *Constitutio nõ extẽditur ad Prædicatores, neq; Minores.*

Ordo Eremitarum, & Carmelitarum in solido statu relinquuntur.

sentem non patiantur constitutionē extendi. Ceterum Eremitarum Sancti Augustini, & Carmelitarum Ordines, quorum institutio dictū Concilium generale præcessit, in solido statu volumus permanere.

§. 6. Ad hæc personis Ordinum, ad quos Constitutio præsens extenditur, transeundi ad reliquos Ordines approbatos, licentiam concedimus generalem: ita quòd nullus Ordo ad alium, vel Conuentus ad Cōuentum se, ac loca sua totaliter transferat, Sedis eiusdem super hoc permissione specialiter non obtenta.

Datum Romæ apud S. Petrum, tertio Nonas Maij, Pontificatus nostri anno quarto.

Constit. VI.

Ex Bulla originali cum plumbeo sigillo, quæ Romæ asseruatur in Archiuo Ordinis. nu. 6.

Summarium.

Non obstante distantia minore centum quadraginta cannarum, Conuentus Castri noui Alberstadensis Diœcesis fabricatur, Fratribus Minoribus contradicentibus.

1300. BONIFACIUS EPISCOPUS *Seruus Seruorum Dei.*

Dilectis filijs Priori Prouinciali, & Fratribus Eremitarum Ordinis S. Augustini, in Prouincia Thuringiæ, & Saxoniæ, Salutem, & Apostolicam benedictionem.

§. 1. EXhibita nuper Nobis vestra petitio continebat, quòd vos iam quatuor annis elapsis, & ampliùs in Castro nouo Quidelingborch Alberstadensis Diœcesis de consensu Venerabilis fratris nostri Episcopi Alberstadēsis loci Diœcesani, locum ad construendum, ædificandum, inhabitandum, & permanendum pro vobis, & Fratribus vestri Ordinis recepistis, ibiq; ad hoc construxistis, & ædificastis Oratoriū, & domos, ac ea inhabitastis, & tenuistis, & inhabitatis etiam, & tenetis. Verùm Guardianus, & Fratres Ordinis Minorum loci alterius Castri, quod dicitur, Castrum antiquū Quidelingborch, prætextu priuilegij eis ab Apostolica Sede concessi, per quod aliorum Religiosorum loca infra mensuram centum quadraginta cannarum propè loca ipsorum Fratrum Minorum haberi, vel fieri prohibentur, asserentes prædictum locum vestrum de Castro nouo, propè iam dictum locum eorum de Castro antiquo infra mensuram cannarum huiusmodi esse situm, nituntur ipsum locum vestrum facere demoliri. Quare Nobis humiliter supplicastis, vt cum prædicta Castra sint sub diuersis dominijs, & iurisdictionibus cōstituta, & flumen quoddam decurrat per medium inter ea, dictùsque locus vester distet à prædicto loco eorum vltra huiusmodi mensurā centum quadraginta cannarū, si per viam scilicet, per quam itur de altero ad alterum eorundem, & per terram tantummodo mensuretur, licèt si fieret mensuratio per aerem, & supra domos, muros, & flumen, prædicta mensura centum quadraginta cānarum comprehenderet loci distātiam vtriusque, prouidere vobis super hoc de benignitate apostolica dignaremur.

Centum quadraginta cānæ distātiæ mensurātur per viā qua itur de loco ad locū.

§. 2. Nos igitur intendentes, vt præfatum priuilegium, seù cannarū terminatio, vel mensura locum non habeat inter Religiosorum loca, sita

in

in diuersis Ciuitatibus, Castris, aut Terris, seù Villis, & maximè consistentibus sub diuersis dominijs, & iurisdictionibus, sed in ijs tãtùm Religiosorum locis factis, vel faciendis, quæ sub vno, & eodem corpore alicuius Ciuitatis, vel Castri, seù Terræ, vel Villæ comprehendere, seù attingere posset cannarum mensura, vel terminatio prædictarum, præsentiũ vobis auctoritate concedimus, vt huiusmodi priuilegio, seù oppositione dictorum Fratrum Minorum, aut quibuscunque priuilegijs, gratijs, indulgentijs, & literis eis à prædicta Sede concessis nequaquam obstantibus, possitis vos, & alij Fratres vestri Ordinis in prædicto loco vestro de Castro nouo, licitè, ac liberè remanere, nec ad dirutionem, seù destructionem ipsius loci vestri, vel ad illum quomodolibet relinquendum aliquatenus teneamini, neque ad id à quoquam compelli, vel coarctari quomodolibet valeatis.

§. 3. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ cõcessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire: Si quis autẽ hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorũ Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum.

Datum Lateran. decimo octauo Calendas Februarij, Pontificatus nostri anno sexto.

Constit. VII.

Ex Bulla originali cum plumbeo sigillo, quæ Romæ asseruatur in Archiuo Ordinis. nu. 7.

Summarium.

Fratres Mendicantes in paupertate viuentes Monasteria fabricare non possunt infrà cannas centũ quadraginta.

BONIFACIVS EPISCOPVS 1295.
Seruus Seruorum Dei.

Dilectis filijs Generali, alijsq; Prouincialibus Prioribus, ac vniuersis Fratribus Ordinis Eremitarum S. Augustini Salutem, & Apostolicam benedictionem.

§. 1. AD consequendam gloriam cælestis patriæ sic diuina pietas per suam gratiam humilitatem vestram cernitur allexisse, quòd semper ad hoc intenti estis, & vigiles, vt illam vobis, & proximis per innocentis vitæ studium acquiratis. Hæc & alia sancta pauperrimæ Religionis vestræ merita Nos inducunt, quòd simus ex intimo cordis affectu soliciti, vt in omnibus, quæ ad laudem Dei, & tranquillum statũ deuotionis vestræ cupitis, habeamus prouidentiæ studium efficacis.

§. 2. Sanè non sine quadam turbatione animi frequẽter audiuimus, quòd inter vos, & Religiosos aliquos illa de causa æmulationis, & dissensionis materia oritur, quòd ipsi domos, & ecclesias regulares iuxtà loca vestra non sine graui vestro præiudicio, & scandalo manifesto quãdòque construere præsumebant.

§. 3. Cum itaque ad apostolici spectet officij dignitatem de regno militantis Ecclesiæ cuilibet scandali materiam abolere, Nos dignè volentes, quòd huiusmodi æmulationis, & dissensionis occasio per diligentiæ nostræ studium amputetur; auctoritate præsentium ordinamus, & districtiùs inhibemus, quòd nulli liceat amodo de Minorum, Prædicatorum, Pœnitentiæ Iesu Christi, Sanctæ Mariæ de Monte Carmelo, Sanctæ Claræ, alijsq; Ordinibus in paupertate fundatis, nulliq; mulierũ de prædi-

prædictis, seù quibuslibet alijs Ordinibus, aliquod Monasterium, Ecclesiam, vel Oratorium ædificare, seù construere: nulli quoque seculari, vel Religioso cuiuscunque professionis, Ecclesiam, vel Monasterium, seù Oratorium iam ædificatum, in aliquem transferre de Ordinibus memoratis, infrà spatium centum quadraginta cannarum, à vestris Ecclesijs mensurandarum, per aërem etiam, vbi aliàs rectè mensurari loci dispositio non permittit.

§. 4. Præterea statuimus, vt quidquid contra huiusmodi ordinationis, & inhibitionis nostræ tenorem ex nunc in antea ædificatum fuerit, diruatur: & ne de notitia Ordinum, & quantitate cannarum huiusmodi aliqua possit dubitatio exoriri; illos Ordines intelligi volumus in paupertate fundatos, qui ex regula, vel cōstitutionibus suis extra septa Ecclesiarum, Monasteriorum suorum, vel officinarum eorum, & clausuram ipsorum nullas debent possessiones habere.

§. 5. Quòd si aliquis de Ordinibus ipsis possessiones in aliquibus membris suis habere, in alijs verò non habere noscatur; eum ad ordinationem, & inhibitionem huiusmodi, de prædictis Ordinibus in paupertate fundatis, annumerari volumus, & quamlibet cannarum ipsarum octo palmorum longitudinem continere.

§. 6. Non obstantibus varia locorum consuetudine, seù priuilegijs, indulgentijs, siuè literis quibuscunque, tàm supradictis Ordinibus, quàm mulieribus, vel alicui eorum, ab Apostolica Sede sub quacunque forma concessis, seù etiam concedendis, quæ de præsentibus specialem, & expressam non fecerint mentionem.

§. 7. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ ordinationis, inhibitionis, & constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire: Si quis autē hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorū Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum.

Datum Lateran. vndecimo Calendas Martij, Pontificatus nostri anno primo.

Constit. VIII.

Ex Bulla originali cum sigillo plumbeo, quæ Romæ asseruatur in Archiuo Ordinis num. 8.

Summarium.

Controuersia dirimitur pro fabrica Monasterij Agennensis, inter Fratres Minores, & Eremitas S. Augustini.

BONIFACIVS EPISCOPVS 1299.
Seruus Seruorum Dei.

Dilecto filio Archidiacono Bruliensi in ecclesia Agennensi Salutem, & Apostolicam benedictionem.

§. 1. IN causa, quæ inter Priorem, & Conuentum Fratrum Ordinis Eremitarum Sancti Augustini Agennensis ex parte vna, & Guardianum, & Fratres Ordinis Minorum eiusdem loci ex altera, super eo quòd dicti Prior, & Conuentus proponunt dictos Guardianum, & Fratres quendam eorum locum de nouo ædificasse propinquum Oratorio dictorum Prioris, & Conuentus infra spatium centum

& quadraginta cannarum contra tenorem priuilegij Fratribus dicti Ordinis Eremitarum, ab Apostolica Sede concessi, in eorundem Prioris, & Conuentus præiudicium, & grauamen, vertitur, seù verti speratur, dilectum filium nostrum Ioannem tituli Sanctorum Marcellini, & Petri Presbyterum Cardinalem deputauimus Auditorem.

§. 2. Verùm quia ipsis Guardiano, & Fratribus Minoribus citatis pluries de mandato Cardinalis ipsius in Audientia publica (vt est moris) vt coram ipso Cardinali per se, vel per Procuratorem idoneum legitimè comparerent in eadem causa mediante iustitia processuri, ipsisq; non comparentibus in terminis competentibus, ad hoc eis peremptoriè assignatis, non potest in eadem causa procedi, discretioni tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus eosdem Guardianum, & Fratres ex parte nostra peremptoriè citare procures, vt infra duorum mensium spatium post citationẽ tuam huiusmodi per Procuratorem idoneum cum omnibus actis, iuribus, & munimentis causam huiusmodi cõtingentibus, apostolico se conspectui repræsentent, facturi, & recepturi super præmissis quod ordo exegerit rationis. Diẽ verò huiusmodi citationis, & formam, & quidquid inde duxeris faciendum, Nobis per tuas literas harum seriem continentes fideliter intimare procures.

Datum Lateran. secundo Idus Martij, Pontificatus nostri anno quinto.

Constit. IX.

Ex Bulla originali, quæ cum sigillo plumbeo asseruatur Romæ in Archiuo Ordinis. num. 9.

Summarium.

Pro confessionibus audiendis, prædicatione, & mortuorum sepultura, priuilegia conceduntur.

BONIFACIVS EPISCOPVS *Seruus Seruorum Dei.* *1302.*

Dilectis filijs Generali, & Prouincialibus Prioribus Fratrum Eremitarum Ordinis S. Augustini, præsentibus, & futuris Salutem, & Apostolicam benedictionem.

§. 1. INter solicitudines nostras, illa debet esse præcipua, vt super dominicum gregem, commissum Nobis, obseruemus vigilias, indefessam exerceamus curam, & exactam diligentiam apponamus, ne illum lupus rapax inuadat, & eius sanguis secundùm Prophetam de nostris (quod absit) manibus, requiratur. Hoc autem benè fit, si oleo dulcedinis verbi Dei foueantur subditi, increpationis vino peccatorum suorum medeantur vulnera, & pœnitentiæ acrimonia purgata tegantur. Ad id verò exequendum, scientia diuinæ legis exposcitur, desideratur ordo, vitæ integritas flagitatur: scriptum est enim, Tu scientiam repulisti, & ego te repellam, ne sacerdotio fungaris mihi, quia labia Sacerdotis custodiunt scientiam; & legem requirunt ex ore eius; aliàs (prout ad eum pertinet) inter lepram, & lepram non posset discernere: nec peccator existens, Dei deberet narrare iusti-

Habetur in Mare Magno Six. IV const. 5. nu. 3.

iustitias, & testamentum illius assumere per os suum; nam cuius vita despicitur, consequens est, vt eius prædicatio contemnatur.

§. 2. Quapropter, vt ipsi gregi eadem cura nostra eò plenior impendatur, quò plures operarij in agro Domini fuerint constituti, vesterq; Ordo, qui sacerdotibus abundat, & in suis Fratribus viget scientia, & vitæ synceritate per Dei gratiam pollet, in eodem agro fructus vberes afferat, tibi fili Prior Generalis per te, vobis verò Prouinciales Priores in Prouincialibus vestris Capitulis cum Diffinitoribus ipsorum Capitulorum, Fratribus eiusdem vestri Ordinis sacerdotibus, in sacra pagina eruditis, examinatis, & approbatis à vobis, prædicationis, & tàm ipsis, quàm alijs Fratribus dicti Ordinis, ad id idoneis, audiendi confessiones, absoluendi confitentes, iniungendi eis pœnitentias salutares, officia auctoritate apostolica committendi, eisdem quoque Fratribus, quibus dicta officia per vos taliter commissa fuerint, quòd illa liberè valeant exercere, plenam tenore præsentium damus, & concedimus facultatem: districtiùs inhibentes, ne quis, Fratres ipsius Ordinis, quibus dicta officia taliter cōmittenda duxeritis, in executione officiorum ipsorum audeat quomodolibet impedire.

Confessiones audire possunt.

Prædicare possunt.

Libera est sepultura in ecclesijs nostris.

§. 3. Ad hæc, sepulturam in ecclesijs, & locis vestris, liberam esse censemus, vt eorum deuotioni, & extremæ voluntati, qui se illic sepeliri deliberauerint, nisi excommunicati, vel interdicti, aut etiam publicè vsurarij fuerint, nullus obsistat.

§. 4. Statuentes, vt nulli Religiosi, vel seculares (vobis inuitis) aliquorum corpora defunctorum in vestris cœmeterijs sepelire, aut in ecclesijs vestris Missarum solemnia, vel pro animabus eorum, qui ad loca vestra tumulandi feruntur, ibìdem exequias celebrare sine vestro assensu, & voluntate præsumant . . . constitutionem . . . quam super prædicationibus faciendis, confessionibus audiendis, iniungendis pœnitentijs, absolutionibus impendendis . . . portione obuentionum tàm funeralium, quàm relictorum, datorum, & donatorum, in personis Fratrum Prædicatorum, & Minorum Ordinum olim edidimus, in vobis, & vestri Ordinis Fratribus per omnia volumus integraliter, & inconcussè seruari: Ita quòd considerata personarum, quas ad id habueritis idoneas, & Cleri, ac populi quantitate eorum, quos ad huiusmodi audiendarum confessionum officium eligetis, metiamini numerum; vos infra medium congruum continentes, & nunquam in aliquo excedentes, vt sic moderatione seruata, nec alios, quibus hoc per eandem constitutionem nostram concessimus, ad inuidiam, vel scandalum, nec locorum Episcopos, quibus à vobis electos præsentare debetis, ad repulsam prouocetis ipsorum.

§. 5. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ dationis, concessionis, inhibitionis, constitutionis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire: Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationē Omnipotentis Dei, & Beatorum

Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum.

Datum Lateran. decimo septimo Calendas Februarij, Pontificatus nostri anno octauo.

Constit. X.

Ex Transumpto authentico cum sigillo appenso, quod Romæ asseruatur in Archiuo Ordinis. num. 10.

Summarium.

Ordo recipitur sub protectione immediata Sedis Apostolicæ, & eximitur à iurisdictione cuiusuis Ordinarij.

BONIFACIVS EPISCOPVS Seruus Seruorum Dei.

Dilectis filijs Priori Generali, & vniuersis Prioribus, & Fratribus Ordinis Eremitarum S. Augustini tàm præsentibus, quàm futuris, religiosam vitam professis, Salutem, & Apostolicam benedictionem.

§. 1. SAcer Ordo vester in agro Dominico diuina dispositione plantatus, Apostolicis gratijs dignè meretur attolli, cuius professores mundanis à se relegatis illecebris, cælestium contemplationi vacantes, insistunt iugiter profectibus animarum: Nos autem ad dictum Ordinem, quem in statu firmo, solido, & stabili decreuimus, & volumus permanere, Apostolicæ considerationis intuitum dirigentes, ad ea libenter intendimus, per quæ professores iam dicti nullum internæ pacis patiantur excidium, nullùmque Religionis status perferat detrimentum, sed eò deuotiùs diuino cultui, ac salutis insistant operibus, quò quietior status fuerit eorundem, ipsiq; ampliori fuerint libertate dotati.

Status Ordinis firmus, solidus, & stabilis.

§. 2. Eapropter dilecti in Domino filij deuotionis vestræ precibus fauorabiliter annuentes; vos, & prædictum Ordinem, personas, & ecclesias, oratoria, domos, res alias, & loca vestra, ac spectantia ad eadem, in quibus inhabitatis ad præsens, vel inhabitabitis in futurum, cum omnibus iuribus, & pertinentijs suis, ac personis degentibus in eisdem, in ius, & proprietatem Beati Petri, & Apostolicæ Sedis assumimus, illàque à cuiuscunque Diœcesani, & cuiuslibet alterius potestate, iurisdictione, & dominio omnimodè in perpetuũ prorsus eximimus de gratia speciali. Decernentes, ex nunc vos, & Ordinem vestrum, ac personas, ecclesias, oratoria, domos, & loca præfata, ac pertinentia ad eadem soli Romano Pontifici, & dictæ Sedi tàm in spiritualibus, quàm in temporalibus absque vllo medio subiacere. Ita quòd nec locorum Ordinarij, nec alia quæuis persona ecclesiastica in vos, & Ordinem, personas, ecclesias, oratoria, domos, & loca prædicta, vtpotè prorsus exempta possint excommunicationis, suspensionis, aut interdicti promulgare sententias, vel aliàs potestatem, seù iurisdictionem aliquam exercere: Quòd si forsan quidquam in contrarium à quocunque fuerit attentatum, illud omninò sit irritum, & inane.

Loca Ordinis immediatè Romano Pontifici subiecta.

Ab Ordinarijs exempta.

§. 3. Nulli ergo omninò hominũ liceat hanc paginam nostræ assumptionis, exemptionis, & constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire: Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem

nem Omnipotentis Dei, & Beatorũ Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum.

Datum Lateran. duodecimo Calendas Februarij, Pontificatus nostri anno quarto.

BONIFACII IX.

Constit. I.

Ex Bulla originali, quæ cum sigillo plumbeo asseruatur Romæ in Archiuo Ordinis. nu. 1.

Summarium.

Prior Generalis potest dare Pinzocheris, & Mantellatis habitum, sicut Fratres S. Dominici, & S. Francisci.

1401. *BONIFACIVS EPISCOPVS Seruus Seruorum Dei.*

Ad perpetuam rei memoriam.

Habetur in Mare Magno Sixti IV. cost. 5. n. 12.

§. 1. IN sinu Sedis Apostolicæ sacer Ordo Fratrum Eremitarum S. Augustini consistens, sic splendet per incrementa virtutum, quòd dignè meretur præcipuis attolli fauoribus, ac specialibus gratijs confoueri. Et Nos equidẽ Ordinem ipsum libentèr prosequimur prærogatiua fauoris, & augmenta suorum successuum, in ijs præsertim, quæ diuini cultus augmentum, & sacræ religionis propagationem respiciunt, paternis affectibus promouemus.

§. 2. Hinc est, quòd Nos dilectorum filiorum Prioris Generalis, & Fratrum dicti Ordinis precibus annuentes, ac cupientes, vt Ordo prædictus eò felicioribus proficiat incrementis, quò maioribus fuerit gratijs à Sede Apostolica communitus; apostolica auctoritate, præsentium tenore statuimus, concedimus, volumus, & ordinamus, quòd de cetero perpetuis futuris temporibus, tàm Generali, quàm cuilibet Prouinciali Prioribus dicti Ordinis secundùm morem, & instituta eiusdem Ordinis in quibuscunque Prouincijs constitutis, tàm præsentibus, quàm futuris, sit licitum, ac permissum, quascũque mulieres (si aliàs sint idoneæ, & aliquod impedimentum canonicum non obsistat, quæ habitum regularem prædicti Ordinis, ad instar Mantellatarum, seù Pinzocherarum Ordinum Fratrum Minorũ, ac Prædicatorum, habere voluerint, & gestare) tàm virgines, & matronas, quàm viduas, in Mantellatas, seù Pinzocheras dicti Ordinis Eremitarum recipere, & admittere, ac earum singulis habitum regularem, ac regulam eiusdem Ordinis Eremitarũ, ad instar huiusmodi Mantellatarũ, seù Pinzocherarum Ordinum Fratrum Minorum, ac Prædicatorum, præfatorum, prout secundùm Deũ, saluti animarum earundem visum fuerit salubriùs expedire, etiam exhibere.

Pinzocheras, & Mãtellatas ad habitũ possumus recipere.

Mãtellatæ gaudẽt priuilegijs.

§. 3. Quæ sic recipiendæ auctoritate præfata gaudeant, & gaudere possint, & debeant tam exemptionis priuilegio, quàm omnibus immunitatibus, libertatibus, indulgentijs, ac alijs priuilegijs quibuscũque præfato Ordini Eremitarum, eiusq; Fratribus, ac personis, per Sedem Apostolicam iam concessis, & quæ in posterum concedentur, quatenus huiusmodi exemptionis priuilegiũ, immunitates, libertates, indulgentiæ, ac quæcunque alia priuilegia ipsis

sis Prioribus, & Fratribus Ordinis Eremitarum competunt, vel competere possunt, seù poterunt, & Priores, ac Fratres, & loca ipsa esse capacia eorundem.

§. 4. Volentes insuper, & auctoritate prædicta decernentes, quòd exemptionis præfatæ priuilegium, immunitates, libertates, & alia supradicta, etiā ad iam per ipsos Priores, & Fratres Ordinis Eremitarum, receptas Mantellatas, seù Pinzocheras huiusmodi, plenariè se extendāt, ipsæq; illis gaudere possint, & debeant, prout de recipiendis Mantellatis, & Pinzocheris huiusmodi superiùs est expressum: Constitutionibus apostolicis, ac statutis, & consuetudinibus tàm vestri, quàm aliorum Ordinum quorumcunque, & alijs contrarijs non obstantibus quibuscunque.

§. 5. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ cōcessionis, decreti, statuti, voluntatis, & constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire: Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum.

Datum Romæ apud S. Petrum, septimo Idus Nouembris, Pontificatus Nostri anno vndecimo.

Constit. II.

Ex Bulla originali, quæ cum sigillo plumbeo asseruatur Romæ in Archiuo Ordinis. nu. 2.

Summarium.

In Capella S. Nicolai de Tolentino iuxta ecclesiam S. Augustini de Camerino, est Indulgentia Asisij, quæ dicitur Portiunculæ.

BONIFACIVS EPISCOPVS 1401.
Seruus Seruorum Dei.

Vniuersis, & singulis præsentes literas inspecturis Salutem, & Apostolicam benedictionem.

§. 1. Licèt is, de cuius munere venit, vt sibi à suis fidelibus digne, & laudabiliter seruiatur, dè abundantia suæ pietatis, quæ merita supplicum excedit, & vota, benè seruientibus sibi multo maiora retribuat, qua valeant promereri: nihilominùs tamen desiderātes Domino populum reddere acceptabilem, & bonorum operum sectatorē, fideles ipsos ad complacendum ei quasi quibusdam allectiuis muneribus, indulgentijs videlicet, & remissionibus inuitamus, vt exindè reddantur diuinæ gratiæ aptiores.

§. 2. Cupientes igitur, vt Capella S. Nicolai de Tolentino sita iuxta ecclesiam S. Augustini Camerinensis Diœcesis congruis honoribus frequentetur, & vt Christifideles eò libentiùs causa deuotionis confluant ad eandem, quò ex hoc ibidem dono cælestis gratiæ vberiùs conspexerint se refectos; De Omnipotentis Dei misericordia, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus verè pœnitentibus, & confessis, qui in Dominica festum eiusdem S. Nicolai immediatè sequente à primis Vesperis, vsque per totum diem ipsius Dominicæ, Capellam ipsam deuotè visitauerint, annuatim illam Indulgētiam, & remissionem peccatorum auctoritate apostolica, concedimus, qua visitantes ecclesiam Beatæ Mariæ in Portiuncula, aliàs dictam de Angelis extra muros Asisinates prima,

Indulgentia Portiūculæ in ecclesia S. Nicolai de Tolentino.

ma, & secunda diebus mensis Augusti annuatim auctoritate præfata quomodolibet consequuntur.

§. 3. Et nihilominùs, vt fideles ipsi in huiusmodi Dominica ad dictã Capellam confluentes, conscientiæ pacem, & animarum salutem (Deo propitio) vberiùs consequantur, ac Indulgentiæ huiusmodi participes efficiantur, dilecto filio Priori S. Augustini de Tolentino dictæ Diœcesis, qui pro tempore fuerit, vt ipse per se, & quinque sacerdotes idoneos seculares, vel Religiosos, qui, ac etiam ipse Prior confessionibus omnium Christifidelium huiusmodi per decem dies ante dictam Dominicam, & per eandem, ad Capellam ipsam confluentium annuatim, & eis confiteri volentium, confessionibus diligenter auditis, eis pro commissis, præterquàm in casibus Sedi Apostolicæ reseruatis, absolutionis debitæ beneficium, auctoritate nostra impendere, & pœnitentiam salutarem iniungere valeant, deputare possit auctoritate prædicta tenore præsentium concedimus facultatem.

§. 3. Volumus autem, quòd si aliàs visitantibus Capellam ipsam, vel ad eius fabricam, seù conseruationẽ, manus porrigentibus adiutrices, vel aliàs inibi pias eleemosynas erogantibus, aut aliàs aliqua alia Indulgentia in perpetuum, vel ad certũ tempus nondum elapsum duratura, per Nos concessa fuerit, huiusmodi præsentes literæ nullius existant roboris, vel momenti.

Datum Romæ apud S. Petrum, Calendis Martij, Pontificatus nostri anno vndecimo.

Constit. IV.

Ex Bulla originali, quæ cum sigillo plumbeo asseruatur Romæ in Archiuo Ordinis. nu. 3.

Summarium.

Parochialis ecclesia, in Valle, quæ dicitur Speciosa Ratisponensis Diœcesis, Ordini vnita est.

BONIFACIVS EPISCOPVS 1403.
Seruus Seruorum Dei.

Dilectis filijs Priori, & Fratribus domus Beatæ Mariæ Virginis in Valle Speciosa, aliàs dicta in Schontal Ordinis Fratrum Eremitarum S. Augustini Ratisponensis Diœcesis Salutem, & Apostolicam benedictionem.

§. 1. Pijs, & honestis supplicũ votis, illis præsertim, quę Monasteriorum, & aliorum piorum locorum commodum, & vtilitatem concernunt, libenter annuimus, illàq; fauoribus prosequimur opportunis. Cum itaque sicut exhibita Nobis nuper pro parte vestra petitio continebat, Parochialis ecclesia in Schontal Ratisponensis Diœcesis, cuius ius patronatus ad vos pertinere dignoscitur; per secularem presbyterum regi sit consueta, essètq; vobis, & vestræ domui conueniens, quòd per vnum ex Fratribus eiusdẽ domus vestræ pro tempore regeretur, pro parte vestra Nobis fuit humiliter supplicatum, vt vobis, quòd dicta ecclesia per aliquem ex Fratribus huiusmodi vestræ domus, ad hoc idoneum de cetero regatur, concedere de benignitate apostolica dignaremur.

§. 2. Nos itaque huiusmodi supplicationibus inclinati, vobis quòd ecclesiam ipsam de cetero perpetuis futuris

futuris temporibus (sine tamen præiudicio illius, qui eandem ecclesiam nũc obtinet) per vnum ex huiusmodi Fratribus, ad hoc idoneum per te fili Prior, & successores tuos Priores dictæ vestræ domus existentes pro tempore, ad hoc deputandum, & deponendum, regi, & gubernari facere, eàmq; cedente, vel decedente Rectore ipsius, qui nunc est, vel ecclesiam ipsam aliàs quomodolibet dimittente, in proprios vestros vsus perpetuò retinere liberè, & licitè possitis, alicuius licentia super hoc minimè requisita, auctoritate apostolica tenore præsentiũ de speciali gratia indulgemus. Constitutionibus apostolicis, & alijs contrarijs non obstantibus quibuscunque. Prouiso quòd ecclesia ipsa debitis propterea non fraudetur obsequijs, & animarum cura in ea nullatenus negligatur, quòdq; vos teneamini Episcopalia iura soluere, & alia incumbentia onera supportare ratione ecclesiæ memoratæ.

§. 3. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginã nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire: Si quis autem hoc attẽtare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum.

Datum Romæ apud S. Petrum decimosexto Calendas Maij, Pontificatus nostri anno duodecimo.

Constit. IV.

Ex transumpto authentico, quod Romæ asseruatur in Archiuo Ordinis num. 4. originale seruatur in Conuentu Sancti Augustini Papiæ, & in Registro Bonifatij lib. 3. de Regularib. fol. 281.

Summarium.

Medietas ecclesiæ S Petri in Cælo Aureo Papiæ, concessa est Ordini in proprietatem.

BONIFACIVS EPISCOPVS 1401.
Seruus Seruorum Dei.

Ad futuram rei memoriam.

§. 1. PRo singulorum fideliũ, præsertim religiosarum personarum statu salubriter dirigendo, prout ex iniuncti Nobis à Domino pastoralis officij debito tenemur, apostolicæ considerationis intuitum extendentes, per quæ personarũ earundem scandalis obuiatur, & ipsarum quieti, & tranquillitati consulitur, libenter adhibemus solicitudinis nostræ partes.

§. 2. Ad nostrum siquidem peruenit auditum, quòd apud ecclesiã Monasterij S. Petri in Cælo Aureo Papiensi Ordinis S. Augustini, quæ primò Monachorum S. Benedicti extitit, deinde ex indulto Sedis Apostolicæ ad Regulares Canonicos S. Augustini deuenit, vltimò verò priuilegio speciali sanctæ mem. Ioannis Papæ XXII. prædecessoris nostri, ad honorem ipsius Beatissimi Doctoris Augustini decretum est, vt Conuentus Fratrum Eremitarum ipsius S. Augustini iuxta dictam ecclesiam construeretur, qui quidem in dicta ecclesia maiorem altariũ partem obtinerent, diuiniq; officij, ac prædicationũ verbi Dei distributionem, necnon vocandi ad diuina mysterium campanarum, & pulsationũ, & alia, quæ in dicto priuilegio pleniùs continentur, ad dictorum Fratrum robur, & fauorem, ac ipsius loci

Ecclesia S. Augustini Papiæ, primò fuit Monachorũ deinde Canonicorũ, postea Eremitarũ S. Aug. ex indulto Ioan. XXII.

loci decorem, vt qui filij ipſius Patris dignoſcuntur eſſe: licèt variè ſimul vna ſub Deo eidem Patri iubilent eodem in templo vtriſque communi, licèt diſtinctas, ſeparatàſque habeant manſiones, clauſtra, & officinas ex parte vna ſub Abbate, ex altera ſub Priore ſecundum ipſorum Ordinum ſtatuta.

§. 2. Quòdque inter Abbatem, Canonicos, Priorem, & Fratres huiuſmodi diuerſa pacta, & conuentiones ad declarationem ſtatutorum, & ordinatorum per dictum fel. rec. Ioannem Papam XXII. prædeceſſorem noſtrum in ſuis literis apoſtolicis, datis Auenioni tertiodecimo Calendas Februarij, Pontificatus ſui anno vndecimo, inita fuerunt, de quibus conſtat publico inſtrumento manu Auguſtini Panizarij Notarij publici, ſub anno Domini Milleſimo trecenteſimo trigeſimo primo, die mercurij, quinto menſis Iunij, quarum literarum pactorum, & conuentionum tenores haberi volumus ex certa ſcientia pro ſufficienter expreſſis: & deindè propter prætenſam transgreſſionem tàm in literis, quàm pactis, & conuentionibus prædictis, contentorum inter dictos Abbatem, & Canonicos, ac Priorem, & Fratres, ac Conuentum eorum, diuerſæ lites, & controuerſiæ fuerint exortæ, & inter partes eaſdem aliquandiu litigato, vna fuit diffinitiua contra dictos Priorem, & Fratres, pro dictis Abbate, & Conuentu, lata ſententia, per Venerabilem Fratrem noſtrũ Guilelmum Epiſcopum Papienſem ſubdelegatum à Venerabili fratre noſtro Petro Epiſcopo Nouarienſi, Conſeruatore à Sede Apoſtolica dictis Abbati, & Canonicis deputato, cum poteſtate cognoſcendi ſummariè, & de plano, ac ſine ſtrepitu, & figura iudicij de his, quæ iudicialem cognitionem exigerent: per quam ſententiam inter alia pronuntiauit, Priorem, & Fratres, ac Conuentum prædictos teneri, & obligatos eſſe ad obſeruationem pactorum, & cõuentionum, de quibus ſupra fit mentio, & ad obſeruationem contentorum in dictis literis apoſtolicis.

Conſtitutiones Ioannis XXII.

§. 3. Pronunciauit inſuper, & declarauit, dictam eccleſiam cũ omnibus ſuis iuribus, & pertinẽtijs, pleno iure ſpectare, & pertinere ad dictos Abbatem, Canonicos, & Conuentum: & præfatos Priorem, Fratres, & Conuentum in eccleſia ipſa nullum ius habere, niſi in quantum ſibi conceſſum eſt, & exprimitur in literis Prædeceſſoris noſtri prædicti.

Sententia Epiſcopi Papienſis.

§. 4. Pronuntiauit etiam, Cœmeterium, quod eſt ante faciem dictæ eccleſiæ, ſpectare, & pertinere pleno iure ad dictos Abbatem, Canonicos, & Conuentum.

§. 5. Pronuntiauit etiam dictum Abbatem habere debere in dicta eccleſia primam Sedem, iuxta formam dictarum literarum dicti Prædeceſſoris, & dictorum pactorum, & conuentionum: & plura alia dictus ſubdelegatus pronuntiauit. A qua ſententia pro parte dictorum Prioris, Fratrum, & Conuentus extitit ad Sedem Apoſtolicam appellatum, & cauſa appellationis huiuſmodi commiſſa dilecto filio noſtro Coſmato tituli Sanctæ Crucis in Hieruſalem Presbytero Cardinali, in quem poſtea vtraque partium prædictarum, ad parcendum laboribus, & expenſis, tanquam arbitrum, & arbitratorem compromiſit. Qui dictam ſententiam,

Appellarunt à ſententia.

Sententia fuit reformata. tentiam, quoad ea, quæ supra specialiter sunt expressa, confirmauit: & quoad funeralia, & quædam alia reuocauit, & reformauit, prout in sententijs huiusmodi, & Instrumentis publicis, hæc, & alia seriosiùs cōtinentur, quarum etiam tenorem haberi volumus ex eadem scientia pro sufficienter expressis.

§. 6. Et quia ex eo quòd præfata ecclesia, in qua corpus eiusdē Sancti Augustini venerabiliter requiescit, ipsorum Abbatis, & Canonicorum, necnon Prioris, & Fratrum quoad vsum iuxtà formam dictarum literarum apostolicarum communis est, & per ipsos tenetur pro indiuisa: ac etiam super funeralibus, & oblationibus nonnunquàm controuersiæ, rixæ, dissensiones, & grauia scandala, in non modicum Religionis opprobrium, hactenus fuerunt exorta, & quandòque verbera, & vulnerum lethalium inflictiones exinde secuta, & alia inconuenientiora, nisi super hoc per Sedem Apostolicam de cōgruo remedio prouideatur, in futurum exoriri (dictis sententijs nō obstantibus) verisimiliter formidatur. *Ecclesia tenetur pro indiuisa.*

§. 7. Nos igitur, qui inter cunctos Christicolas, & præsertim Regularium Ordinis professores, pacē, & tranquillitatem vigere intensis desiderijs affectamus, & eorum scandalis libenter (quantùm cum Deo possumus) obuiamus, super præmissis, Motu proprio, non ad alicuius Nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, de nostra mera liberalitate salubriter prouidere volentes; ecclesiam prædictam cum atrio, & alijs pertinentijs suis per medium in longitudine ecclesiæ, & atrij huiusmodi, auctoritate apostolica tenore præsentium diuidimus, ipsàmq; ex nunc in antea perpetuis futuris temporibus diuisam fore censeri, & reputari debere decernimus, & mandamus in hunc modum, videlicet: quòd medietas dictæ ecclesiæ, quæ tendit versus habitationem dictorū Abbatis, & Canonicorū cum parte atrij prædicti, eidem medietati in facie ipsius ecclesiæ correspondētis, & alijs pertinentijs suis, ad Abbatem, & Canonicos huiusmodi, qui nunc sunt, & erunt pro tempore, perpetuò spectare noscatur: & quòd liceat ipsis Abbati, & Canonicis in dicta eorum medietate, iuxta eorum voluntatis arbitrium disponere, & ordinare, prout ipsis, quoad ipsorum Abbatis, & Canonicorum commodum, & vtilitatem, ac dictæ ecclesiæ decorem, & honestatem meliùs videbitur expedire. *Diuisio ecclesiæ Papiæ.* *Medietas Canonicorum.*

§. 8. Altera verò medietas ecclesiæ prælibatæ, tendens versus habitationem Prioris, & Fratrum prædictorum cum parte atrij huiusmodi, ei in facie Ecclesiæ correspondente, & alijs suis pertinentijs, ad Priorem, & Fratres huiusmodi præsentes, & posteros, perpetuò permaneat, liceàtq; ipsis Priori, & Fratribus de ipsa altera medietate in omnibus, & per omnia disponere, & ordinare, prout superiùs de Abbate, & Canonicis est expressum. *Medietas Eremitarū libera.*

§. 9. Saluo quoad portam maiorem dictæ ecclesiæ, quæ cadit in diuisione huiusmodi, & per quam communis transitus habetur, tàm Abbas, & Canonici, quàm Prior, & Fratres præfati, consimiles claues habere, & illis vti possint, & debeāt pro ipsorum libito voluntatis.

§. 10. Et quoniam in priuilegio præ-

prædicto reseruatū extitit Sedi Apostolicæ de sepulturis, & funeralibus defunctorum, quæ apud dictum Monasterium sepelientur, disponere, & ordinare: statuimus, & auctoritate prædicta ordinamus, & mandamus, quòd perceptiones funeralium annualium, exequiarum, eleemosynarum, & aliorum quorumcunque introituū, siuè sint funera funeralia, & legata, vel alia quæcunque emolumēta, quæ dictæ medietati ecclesiæ, & atrij, & clausuræ Abbatis, & Canonicorum eorundem, aut sub quacunque expressione verborum idem importent, offerri, donari, concedi, aut in vltimis voluntatibus relinqui contigerit ad eosdem Abbatem, & Canonicos, absque eo quòd de illis Priori, & Fratribus prædictis portionem aliquam exhibeant, ad vsum Abbatis, & Canonicorum, ac Monasterij prædictorum liberè conuertantur.

Funeralia Canonicorum.

§. 11. Et quòd simili modo perceptiones funeralium annualium, exequiarum, eleemosynarum, & aliorum quorumcūque introituum, siuè sint funera funeralia, legata, vel alia quæcunque emolumenta, quæ dictæ medietati ecclesiæ, & atrij, ac clausuræ Prioris, & Fratrum antedictorum, vel sub quacunque alia expressione verborum, quæ idem importent, offerri, donari, concedi, vel in vltimis voluntatibus relinqui contingat ad eosdem Priorem, & Fratres, plenè & integrè pertineant, & in eorum vsum absque alicuius portionis exhibitione præfatis Abbati, & Canonicis, vel quibuscunque alijs facienda, liberè conuertantur Parochianis antiquis duntaxat dictorum Abbatis, & Canonicorum exceptis, saluo semper in omnibus præmissis, eo quòd Abbas, & Canonici, ac Prior, & Fratres præfati alios ex dispositione iuris communis obligātur.

Funeralia Fratrum.

§. 12. Ad sumptus verò, & expensas in dicta ecclesia, & campanili, tàm in magnis, quàm in paruis requisitos, vel requisitas, aut necessarias, tàm Abbas, & Canonici, quàm Prior, & Fratres supradicti æquali portione teneantur: Excepto, quòd ipsi Prior, & Fratres eorū sumptibus, & expensis, libros, qui pro diuinis officijs diurnis pariter, & nocturnis, in dicta ecclesia peragendis necessario requiruntur tempore, quo eadem officia peraguntur dumtaxàt ministrare debeant.

Expensæ in ecclesia, & campanili communes.

§. 13. Et quoniam altare maius, & altare inferius iuxtà corpus ipsius Beati Augustini per indiuisum veniunt, & possent circa hæc, quæ vitamus, oriri scandala, & lites, eadem auctoritate ordinamus, & mādamus quòd obuentiones, ac oblationes, quæ in solemnitatibus Beati Petri Apostoli, & ipsius Beati Augustini, & similiter in annualibus quondam Galeaz, & Violantis eius filiæ offerri contigerit inter Abbatem, & Canonicos prædictos, & Priorem, & Fratres præfatos communiter diuidantur, æquis scilicet partibus. Ceteris verò diebus, quæ in missis Canonicorum prædictorum obuenerint, vel offerri contigerit, ad Monasterium ipsorum Abbatis, & Canonicorum pertineat. Similiter quod obuenerit, vel offerri contigerit in missis dictorū Fratrum, ad Monasterium Prioris, & eorundem Fratrum etiam proueniat. Quod verò alijs horis, quàm in missis, in dictis altaribus offerri contigerit, nisi exprimeretur pro Abbate, &

Cano-

Canonicis, aut pro Priore, & Fratribus prædictis, illud sit commune, & per æqualia diuidatur. Aliòquin in integrum cedat parti nominatæ, cuius causa offerens afficitur ad sic, vel sic faciendum.

§. 14. Mandantes expressè dictis Priori, & Fratribus, & Conuentui, quòd prædictis nostris gratijs vtantur, & eis liberè gaudeant, etiamsi per dictos Abbatem, Canonicos, & Conuentum, seù alios quoscunque prætenderetur prædicta, per Nos gratiosè concessa, seù eorũ aliquod fore talia, vel essent, per quæ derogaretur, seù derogari posset libertatibus, priuilegijs, dignitatibus, statutis, honoribus, seù iuribus aliquibus Abbatis, & Canonicorum prædictorum, qui nunc sunt, aut per tempora erunt.

§. 15. Constitutionibus apostolicis, necnon statutis, & consuetudinibus Monasteriorum, & Ordinum prædictorum contrarijs, iuramento, confirmatione apostolica, vel quacunque firmitate alia roboratis, necnon pactis olim inter Abbatem, & Canonicos, Priorem, & Fratres, qui pro tempore erant dictæ ecclesiæ, initis in ordinationibus factis per sanctæ mem. Ioannem Papã XXII. prædecessorem nostrum prædictum super communione dictorum Religiosorum; necnon sententijs inter partes prædictas per Venerabilem Fratrem nostrum Guilelmum Episcopum Papiensem, & dilectum filiũ nostrum Cosmatum tituli Sanctæ Crucis in Hierusalem Presbyterum Cardinalem præfatos, ex delegatione apostolica latis, quorum omnium tenores haberi volumus ex certa scientia pro sufficienter expressis, & specificatis, quibus quoad prædicta, motu, & scientia similibus derogamus, & alijs contrarijs non obstantibus quibuscunque. Nos insuper ex nunc irritum decernimus, & inane si secus super his à quoquam, quauis auctoritate, scienter, vel ignoranter, contigerit attentari.

§. 16. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostrorum voluntatis, diuisionis, constitutionis, mandati, statuti, ordinationis, & derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire: Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, vndecimo Calendas Maij, Pontificatus Nostri anno vndecimo.

CLEMENTIS QVARTI.

Constit. I.

Ex Bulla originali cum sigillo plumbeo, quæ asseruatur Romæ in Archiuo Ordinis. nu. 1.

Summarium.

Fratres Ordinis nostri exempti sunt à solutione portionis canonicæ eorum, quæ relicta sunt ecclesijs nostris pro fabrica ecclesiæ, pro luminaribus, pro septimo, vigesimo, vel trigesimo.

1265. *CLEMENS EPISCOPVS Seruus Seruorum Dei.*

Dilectis filijs Generali, & ceteris Prioribus, & Fratribus Eremitis Ordinis S. Augustini Salutem, & Apostolicam benedictionem.

§. 1. DEuotionis augmẽtum vobis Deo propitio prouenire confidimus, si super ijs, quæ dignè cupitis, promptos Nos ad gratiam habeatis. Hinc est, quòd Nos vestris supplicationibus annuentes, vt de ijs, quæ in ornamentis, vel pro eis, seù fabrica, luminaribus, anniuersario septimo, vigesimo, trigesimo, siuè alijs ad perpetuum cultum diuinum, vobis, aut ecclesijs vestris legantur; dummodò in hoc aliqua fraus non fiat, nulli portionem canonicam teneamini exhibere, auctoritate vobis præsentium indulgemus. Districtiùs inhibentes, ne quis eam à vobis de ijs exigere, vel extorquere præsumat.

Portionẽ canonicã de legatis exhibere nõ tenemur.

§. 2. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ cõcessionis, & inhibitionis infringere, vel ei ausu temerario contraire: Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum.

Datum Perusij decimo Calendas Iulij, Põtificatus Nostri anno primo.

Constit. II.

Ex Bulla originali cum sigillo plumbeo, quæ Romæ asseruatur in Archiuo Ordinis. num. 2.

Summarium.

Per literas Apostolicas non possunt conueniri Fratres Ordinis nostri, nisi illius specialis mentio fiat in eisdem literis.

CLEMENS EPISCOPVS Seruus Seruorum Dei. 1266.

Dilectis filijs Generali, & vniuersis Prioribus, atque Fratribus Eremitarum Ordinis S. Augustini Salutem, & Apostolicam benedictionem.

§. 1. PAcis vestræ quærentes commodum, & quietis, libenter vobis ea concedimus, per quæ materia submota grauaminis, status vestri tranquillitas procuretur. Cum igitur vix credatur ab ijs, qui contra vos literas impetrant vestri Ordinis titulus sine malitia sub-

ticeri. Nos & illorum obuiare fraudibus, & veſtram innocentiam fauorábiliter confouere volentes, ad inſtar fel. rec. Alexandri Papæ prædeceſſoris noſtri, auctoritate vobis præſentium indulgemus, vt nequeatis vniuerſaliter, ſeù ſingulariter ſuper aliquibus negotijs, per Apoſtolicæ Sedis literas conueniri, quæ de Ordine veſtro ſpecialem non fecerint mentionem.

Per literas apoſtolicas nõ poſſumus conueniri niſi fiat ſpecialis mentio Ordinis noſtri.

§. 2. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ conceſſionis infringere, vel ei auſu temerario contraire: Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum.

Datum Viterbij tertio Idus Iulij, Pontificatus noſtri anno ſecundo.

Conſtit. III.

Ex Bulla originali, quæ cum ſigillo plumbeo Romæ aſſeruatur in Archiuo Ordinis. nu. 3.

Summarium.

Committitur Riccardo Diacono Cardinali, ne permittat Fratres Ordinis moleſtari contra priuilegia.

1266. *CLEMENS EPISCOPVS Seruus Seruorum Dei.*

Dilecto filio R. Sancti Angeli Diacono Cardinali Salutem, & Apoſtolicam benedictionem.

§. 1. SVb Religionis habitu vacantibus ſtudio piæ vitæ, ita debemus eſſe propitij, vt in diuinis beneplacitis exequendis, malignorum non poſſint obſtaculis impediri.

§. 2. Cum itaque dilecti filij Prior Prouincialis, & Fratres Eremitarum Ordinis Sancti Auguſtini Prouinciæ Piſanæ, à nonnullis, qui nomen Domini recipere in vacuum non formidant, graues (ſicut accepimus) patiantur moleſtias, & iacturas. Nos eorum prouidere quieti, & malignãtium malitijs obuiare volentes; diſcretioni tuæ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus dictos Priorẽ, & Fratres, pro diuina, & noſtra reuerentia, fauoris oportuni præſidio proſequens, non permittas eos contra indulta priuilegiorum Apoſtolicæ Sedis ab aliquo indebitè moleſtari: Moleſtatores huiuſmodi per cenſuram eccleſiaſticam (appellatione poſtpoſita) compeſcendo. Attentiùs prouiſurus, ne de ijs, quæ cauſæ cognitionem exigunt, vel quæ indulta huiuſmodi non contingunt, te aliquatenus intromittas. Nos enim ſi ſecus præſumpſeris, tàm præſentes literas, quàm etiam proceſſum, quem per te illarum auctoritate haberi contigerit, omninò carere iuribus, ac nullius fore decernimus firmitatis. Huiuſmodi ergo mandatum noſtrum ſic ſapienter, & fideliter exequaris, quòd eius fines quomodolibet non excedas. Præſentibus poſt triennium minimè valituris.

Moleſtantes Ordinẽ contra Priuilegia per cenſuras eccleſiaſticas sũt compeſcendi

Datum Viterbij ſexto Idus Iunij, Pontificatus noſtri anno ſecundo.

Conſtit. IV.

Ex Bulla originali cum plumbeo ſigillo, quæ in Archiuo Ordinis Romæ aſſeruatur. num. 4.

Sum-

Summarium.

Conceditur facultas celebrandi Missam cum altare portatili.

1266. *CLEMENS EPISCOPVS Seruus Seruorum Dei.*

Dilectis filijs Priori, & Fratribus Eremitis Ordinis S. Augustini Salutem, & Apostolicam benedictionem.

§. 1. QVasdam literas fel. rec. Alexandri Papæ prædecessoris nostri exhibitas Nobis ex parte vestra inspeximus, & earum tenorem, vt de ipsis in posterum certitudo habeatur præsentibus de verbo ad verbum ad vestræ supplicationis instantiam fecimus annotari, qui talis est.

§. 2. Alexander Episcopus Seruus Seruorum Dei. Dilectis filijs Priori, & Fratribus Eremitis Ordinis S. Augustini Salutem, & Apostolicã benedictionem. In Regesto fel. rec. Innocentij Papæ prædecessoris nostri quarundam literarum tenor inscribitur, qui talis est.

§. 3. Innocentius Episcopus Seruus Seruorum Dei. Dilectis filijs Priori, & Fratribus Eremitis Ordinis S. Augustini Salutem, & Apostolicã benedictionem. Deuotionis augmentum vobis (Deo propitio) prouenire confidimus, si super ijs, quæ piè cupitis, Nos benignos ad gratiã habeatis. Hinc est, quòd Nos humilitatis vestræ precibus inclinati auctoritate vobis præsentium indulgemus, vt in locis, & Oratorijs vestris cum viatico altari possitis Missarum solemnia, & alia diuina officia celebrare; omni parochiali iure parochialibus ecclesijs reseruato: & ne de iure huiusmodi possit aliqua quæstio suboriri, illud circa oblationes, decimas, & primitias intelligimus, quæ à laicis solent clericis exhiberi, quibus defraudari nolumus parochiales ecclesias occasione indulgetiæ supradictæ. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire: Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum.

In Oratorijs nostris cũ altare viatico diuina facere possum'.

Datum Lugduni duodecimo Calendas Octobris, Pontificatus nostri anno octauo.

§. 4. Nos autem vestris precibus annuentes, tenorem ipsum ex eodẽ Regesto fideliter sumptum, sub Bulla nostra de verbo ad verbum fecimus annotari. Datũ Lateran. quarto Calendas Maij, Pontificatus nostri anno tertio.

Datum Viterbij Idibus Iulij, Pontificatus nostri anno secundo.

Constit. V.

Ex Bulla originali cum plumbeo sigillo, quæ Romæ asseruatur in Archiuo Ordinis num. 5.

Summarium.

Renouatnr Constitutio Vrbani contra Apostatas, contra quos Generalis, & alij Superiores per censuras ecclesiasticas procedere possunt.

CLEMENS EPISCOPVS Seruus Seruorum Dei. 1269.

Dilectis filijs Generali, & Prouincialibus Prioribus presbyteris Ordinis Eremitarum Sancti Augustini Salutem, & Apostolicam benedictionem.

 §. 1.

§. 1. PRouiſionis veſtræ cupimus prouenire ſtudijs, vt Religio veſtra ſemper in meliùs (Deo propitiante) proficiat, & ſi quid obſtare dignoſcitur, publicè corrigatur. Vobis itaque, quos in diuini nominis amore vigiles delectat extirpare vitia, & plantare virtutes, vt apoſtatas veſtri Ordinis, niſi veſtris ſalubribus monitis acquieſcant, excommunicare, aut capere (ſi videbitur expedire) poſſitis, ad inſtar fel. rec. Vrbani Papæ prædeceſſoris noſtri auctoritate præſentium, concedimus facultatem.

Apoſtatas excõmunicare, & capere facere poſſumus.

§. 2. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginã noſtræ conceſſionis infringere, vel ei auſu temerario contraire: Si quis autem hoc attẽtare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum.

Datum Viterbij decimo Calendas Iunij, Pontificatus noſtri anno quarto.

Conſtit. VI.

Hæc Conſtitutio habetur infra inter Conſtitutiones Martini Quinti, conſtit. 3. ad quam Lector remittitur.

CLEMENTIS VI. Conſtit. Vnica.

Ex Bulla originali, quæ cum ſigillo plumbeo aſſeruatur Romæ in Archiuo Ordinis.

Summarium.

Confirmatur Conſtitutio Bonifacij VIII. qua Ordo recipitur ſub protectione S. Petri, & eximitur à iuriſdictione Ordinariorum.

CLEMENS EPISCOPVS *Seruus Seruorum Dei.* 1346.

Dilectis filijs Generali, & alijs Prioribus, ac Fratribus Ordinis Eremitarum S. Auguſtini Salutem, & Apoſtolicam benedictionem.

§. 1. AD fructus vberes, quos ſacer Ordo veſter in agro militantis Eccleſiæ cæleſtis agricolæ diſpoſitione plantatus, indeſinenter producit, conſiderationis noſtræ aciem conuertentes; & conſiderantes attentè, quòd voluntariam eligentes pro Chriſti nomine paupertatem ſub arctæ Religionis iugo, deuotum Deo inceſſanter obſequiũ exhibetis; dignum ducimus, vt vos, & Ordinem veſtrum, ſpecialis Sedis Apoſtolicæ libertate, ac priuilegio muniamus.

Hæc eſt, & habetur in Mare Magno Sixti IV. conſt. ſ. n. 35.

§. 2. Sanè petitio veſtra nuper Nobis exhibita continebat, quòd licèt fel. rec. Bonifacius Papa VIII. prædeceſſor noſter, tunc in humanis agens, vos, & Ordinem veſtrum, ac perſonas, & Eccleſias, Oratoria, domos, res alias, & loca veſtra, ac ſpectantia ad eadem, in quibus inhabitàbatis tunc, vel inhabitaretis in poſterum, cum omnibus iuribus, & pertinentijs ſuis, ac perſonis degentibus in eiſdem, in ius, & proprietatem Beati Petri Apoſtolorũ Principis, ac Sedis Apoſtolicæ aſſumpſiſſet, illàq; à cuiuſcunque Diœceſani, & cuiuſlibet alterius poteſtate, iuriſdictione, ac dominio in perpetuum exemiſſet omninò, decernens ex tunc vos, & Ordinem ipſum, ac perſonas, Eccleſias, Oratoria, domos, & loca præfata, necnon pertinentia ad eadem ſoli Romano Pontifici, & eidem Sedi in ſpiritualibus, & tem-

A poteſtate quacunque Diœceſanorũ exẽptio, & ſolutione collectarũ.

& temporalibus absque vllo medio subiacere; ita quòd nec locorum Ordinarij, nec alia quæuis persona ecclesiastica in vos, & Ordinem, personas, Ecclesias, Oratoria, domos, & loca prædicta, (vtpotè prorsus exempta) possent excommunicationis, suspensionis, aut interdicti promulgare sententias, vel aliàs potestatem, seù iurisdictionem aliquam exercere, ac omninò irritum, & inane, si quid foret in contrarium attentatum: tamen quia in indulto exemptionis huiusmodi non cauetur, quòd vos ratione delicti, seù contractus, aut rei, de qua agitur, conueniri minimè valeatis; vos timentes super ijs posse forsan in posterũ molestari, Nobis humiliter supplicastis, vt prouidere vobis super hoc de oportuno remedio, dignaremur.

§. 3. Nos igitur, qui vos, & Ordinem ipsum speciali prosequimur in Domino charitate, cupientes attentè, vt eò sit quietior status vester, quò ampliori dictæ Sedis dotati fueritis libertate, vestris supplicationibus inclinati, vobis & successoribus vestris in perpetuũ auctoritate Apostolica tenore præsentium indulgemus; vt huiusmodi eiusdem Prædecessoris indulto in suo robore permanente, coram quibusuis Diœcesanis, & locorum Ordinarijs, ac alijs Iudicibus quibuscunque ratione delicti, contractus, seù rei, de qua agitur, conueniri, vel impeti nullatenus valeatis: fel. rec. Innocentij Papæ Quarti prædecessoris nostri, & alijs constitutionibus Apostolicis contrarijs non obstantibus quibuscunque. Decernentes ex nunc irritum, & inane, si secus super ijs à quoquam, quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Confirmantur exẽptiones datę à Bonifatio Octauo.

§. 4. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis, & constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire: Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum.

Datum Auenioni decimoquarto Calendas Augusti, Pontificatus nostri anno sexto.

CLEMENTIS VII. Constit. I.

Ex Breue sub Annulo Piscatoris, quod Romæ asseruatur in Archiuo Ordinis.

Summarium.

Confirmantur indulta, & priuilegia Ordini concessa, & aliorum Ordinum Mendicantium ad nostrum extenduntur, & ad Mantellatos, & Corrigiatos; & præcipuè Clementis Quarti super ædificatione locorum aliorum Mendicantium, quæ per trecentas cãnas distare debẽt ab Ecclesijs nostris.

A tergo

Dilecto filio Gabrieli Veneto, totius Ordinis Fratrum Eremitarum S. Augustini Priori Generali.

CLEMENS PAPA SEPTIMVS. 1530.

Dilecte fili Salutem, & Apostolicam benedictionem.

§. 1. Romanus Pontifex quãdòque per Prædecessores suos Romanos Pontifices pro personarũ, sub Religionis iugo, & re-

gulari castimonia Deo seruientium, prospero, & felici successu, ac quietè cõcessa, approbat, & innouat, ac innouata communit, & alia de nouo concedit, prout in Domino conspicit salubriter expedire.

§. 2. Sanè præ ceteris curis, quæ permultæ sunt de mandato tibi Generalatus officio incumbẽtibus, hæc cura potissima est, vt priuilegia, exẽptiones, gratias, & indulta, ab eisdẽ Romanis Pontificibus Ordini S. Augustini tibi commisso, & illius Fratribus concessa in suo robore conseruentur, & firmiter obseruentur. Et propterea Nobis humiliter supplicari fecisti, vt omnia, & singula priuilegia, indulta, immunitates, exemptiones, libertates, & gratias, ab ipsis Prædecessoribus concessa, & forsan etiam per viam communicationis, & ampliationis extensa, & ampliata, approbare, & innouare, ac aliàs in præmissis oportunè prouidere de benignitate Apostolica dignaremur.

Confirmatio Priuilegiorũ, & extẽsio.

§. 3. Nos ad vberes fructus, quos in agro Dominico præfatus Ordo produxit, debitum respectũ habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, ex nostra mera deliberatione, & ex certa scientia, omnia, & singula priuilegia, gratias, concessiones, immunitates, libertates, facultates, & exemptiones, etiam per modum extensionis, & communicationis, ac ampliationis tibi, & dicto tuo Ordini, & vtriusque sexus etiam Corrigiatis, & Mantellatis, atq; alijs personis, Congregationibus, Confraternitatibus, domibus, Monasterijs, ecclesijs, & locis quibuscunque, per eosdem Romanos Pontifices prædecessores nostros, & præsertim per fel. record. Bonifacium Octauũ, Sixtum Quartum, Iulium Secundũ, & Leonem Decimum, aliòsq; Romanos Pontifices prædecessores nostros hactenus quomodolibet concessa, & innouata, quorum omnium tenores, ac si de verbo ad verbum, præsentibus insererentur, pro expressis, & insertis haberi volumus, auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & innouamus, ac perpetuæ firmitatis robur obtinere, & inuiolabiliter obseruari debere decernimus, ac pro potiori cautela, illa cum illorum extensionibus, ampliationibus, communicationibus etiam de nouo concedimus; ipsòsq; Fratres, Moniales, Sorores, personas, Monasteria, domos, ecclesias, & alia loca Religionis huiusmodi, omnibus, & singulis priuilegijs, exẽptionibus, indultis, & gratijs quibusuis dicti, & aliorum quorumcunque Ordinum, etiam Mendicantium, etiam de Obseruatione nuncupatorum, ac Ordinis Prædicatorum, Carmelitarum, Beatæ Mariæ Seruorum, ac Minimorum, & aliorum quorumcunque Ordinum Fratribus, & personis, ac Congregationibus, Confraternitatibus, illorùmq; Ecclesijs, Oratorijs, domibus, & alijs pijs locis, illorùmq; Prioribus, Fratribus, & Sororibus, Conuersis, & Oblatis, Corrigiatis, Mantellatis, & de Pœnitentia nuncupatis, & alijs vtriusque sexus personis, per eosdem Prædecessores, ac etiam per Nos hactenus quomodolibet, etiam viuæ vocis Oraculo in genere concessis, & in posterum forsan concedendis, & præsertim fel. rec. Clementis Quarti prædecessoris nostri, inter alia disponentis, quòd nulli ex Mendicantium Ordinum

De nouo concedũtur.

Communicatio Priuilegiorum aliorum Ordinũ.

Etiã priuilegia, communicãtur per viuæ vocis oracula facta.

Pro-

Professoribus, Ecclesias, Oratoria, loca, vel domos propè Ecclesias, Oratoria, vel domos Fratrum Minorum, & Prædicatorum Ordinū prædictorum per trecentas cannas, per aera distantes, construere, vel ædificare, seù construi, vel ædificari facere possent, vti, frui, & gaudere posse, & debere, in omnibus, & per omnia perinde, ac si tibi, & Ordini tuo, ac Fratribus, Monasterijs, Ecclesijs, & locis eiusdem Ordinis tui concessa fuissent, scientia, auctoritate, & tenore prædictis etiam decernimus, illorùmq; transumpta, tibi, dictòq; tuo Ordini, illiùsq; personis, locis, & bonis, in iudicio, & extra illud vbicunque per te, vel alias dicti Ordinis tui personas, seù illarum nomine fuerint exhibita, vel ostensa, suffragentur, ac si in eis dictus tuus Ordo, illiùsq; Prælati, personæ, & loca nominatim fuissent, & essent expressa.

§. 4. Non obstantibus quibuscunque Apostolicis, suspensionibus, reuocationibus, & restrinctionibus, ac in Prouincialibus, & Synodalibus Concilijs editis generalibus, & specialibus constitutionibus: necnon Parisiensis, & aliorum locorum generalium Studiorū Vniuersitatibus, & Curiæ Vicesgerentis Auenionen̄, & quibuscunque ordinarijs Prælatis, & personis concessis literis, ac priuilegijs, etiamsi ad illorum derogationem de illis, eorùmq; totis tenoribus, specialis, specifica, ac de verbo ad verbum, non autem per generales clausulas, id importantes, mētio, seù quæuis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma seruanda esset, illorum tenores præsentibus pro sufficienter expressis, & insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hàc vice dumtaxàt quoad præmissa, specialiter, & expresè derogamus, & illa nemini in præiudicium præmissorum suffragari posse, aut debere etiam decernimus: necnon omnibus illis, quæ præfati Prædecessores in suis literis voluerunt non obstare, ceterìsque contrarijs quibuscunque.

§. 5. Volumus autem, quòd trāsumptis præsentium manu publici Notarij subscriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides vbicunque adhibeatur tàm in iudicio, quàm extra illud, quæ ipsis originalibus literis adhiberetur, si illæ essent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Petrum, sub Anulo Piscatoris die vltima Octobris, Millesimo quingentesimo trigesimo, Pontificatus nostri anno septimo.

Constit. II.

Ex Transumpto authentico cuius originale asseruatur Tolosæ in Conuentu S. Augustini.

Summarium.

Confirmat priuilegium à Ioanne XXII. concesū quo immediatè vult subijci Fratres Augustinenses Prouinciæ Tolosanæ, & Aquitaniæ Sūmo Pontifici.

CLEMENS EPISCOPVS 1524.
Seruus Seruorum Dei.

Dilectis filijs Priori Prouinciali, & Fratribus Ordinis Eremitarum S. Augustini, Prouinciæ Tolosan. iuxta morem dicti Ordinis Salutem, & Apostolicam benedictionem.

§. 1. MEritis vestræ deuotionis inducimur, vt petitionibus vestris, quæ vestrorum, & Ordi-

Ordinis vestri priuilegiorum, libertatum, & iurium conseruationem respiciunt, fauorabiliter annuamus.

Petitio affirmationis Priuilegiorum Ioann. XXII.

Sanè pro parte vestra Nobis nuper extitit humiliter supplicatum, vt literas super conseruatione priuilegiorum, libertatum, & iurium vobis, & Ordini vestro ab Apostolica Sede concessorum per fel. rec. Ioannem Papam XXII. prædecessorem nostrum contra vestros, & Ordinis eiusdem iniuriatores, & molestatores vobis concessas, quæ incipiunt vetustate consumi, quarùmq; tenorem de verbo ad verbum præsentibus fecimus annotari, innouare de benignitate Apostolica dignaremur. Dictus verò tenor talis est.

Priuilegiū Ioā. XXII. Ordini cōcessū.

§. 2. Ioannes Episcopus Seruus Seruorum Dei, Venerabilibus fratribus Archiepiscopo Burdegalensi, & Tolosanensi, ac Lemouicensi Episcopis, Salutem, & Apostolicam benedictionem. Etsi quibuslibet Religiosis, & personis, & locis ex iniunctæ Nobis seruitutis officio assistere defensionis præsidio teneamur, illis tamen specialiùs, & efficaciùs adesse Nos conuenit, qui Sedi Apostolicæ immediatè subiecti, non habent, præter Romanum Pontificem, aliū defensorem. Cum itaque sicut ex parte dilectorum filiorum Prioris Generalis, & Fratrum Ordinis Eremitarū S. Augustini fuit propositum coram Nobis, quòd ipsi à nonnullis super prædicationibus liberè ab eisdem Fratribus faciendis, & audiendis cōfessionibus, eis peccata sua volentiū confiteri, & alijs iuribus, & libertatibus, ipsis ab Apostolica Sede concessis, à Prælatis, Rectoribus, & Clero, alijsq; personis contra indulta priuilegiorum dictæ Sedis, eis ab eadem Sede concessorum, multipliciter molestetur, & grauamina ipsis multiplicia inferantur.

§. 3. Nos volentes eis super hoc de oportuno remedio prouidere, Fraternitati vestræ per Apostolica scripta mādamus, quatenus vos, vel duo, aut vnus vestrum, per vos, vel per alium, seù alios, Fratribus eiusdem Ordinis Prouinciæ Tolosañ efficaci præsidio defensionis assistentes, non permittatis contra tenorem priuilegiorum ipsorum à prædictis, vel alijs quibuscunque molestari, nec eis aliqua grauamina, vel iniurias irrogari, facientes ipsis Fratribus de illatis eis iniurijs, molestationibus, & grauaminibus contra tenorem eundem, in illis videlicèt, quæ iudicialem requirunt indaginem per viam iudicij, in alijs verò prout qualitas ipsorum exegerit, iustitiæ complementum; ita quòd officium, potestas, & iurisdictio vestra ex nunc perpetuata cēseatur: molestatores, & iniuriatores huiusmodi, necnon contradictores, & rebelles quandocunque, & quotiescunque expedierit per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita compescendo. Non obstantibus tàm de duabus dietis in Concilio generali, quàm fel. rec. Bonifacij Papæ VIII. prædecessoris nostri, quarum prima cauetur, ne quis certis exceptis casibus extra suam Ciuitatem, & Diœcesim: secunda verò, ne reus alterius Diœcesis vltra vnam dietam à finibus eiusdem Diœcesis, ad iudiciū euocetur; & alijs quibuscunque cōstitutionibus, ab eisdem Prædecessoribus nostris, tàm de iudicibus delegatis, quàm conseruatoribus, aut alijs editis, quæ nostræ possent in hac parte iurisdictioni, aut potestati, eiùsq;

Specialiter Tolosano Monasterio applicatur

Defendēdi sūt Fratres Tolosani à grauaminibus illatis.

Per censurā ecclesiasticā cōpescendi sunt molestatores, & iniuriatores.

eiúsq; libero exercitio quomodolibet obuiare, seù si aliquibus à Sede Apostolica sit indultum, quòd excommunicari, suspendi, vel interdici non possint per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, & quibusuis alijs indulgentijs, priuilegijs, & literis Apostolicis quibuscunque, & in quacunque forma verborum concessis, per quæ præsentibus non expressa, vel totaliter non inserta dictæ iurisdictionis, siuè potestatis explicatio possit quomodolibet impediri, & de quibus, quorùmque totis tenoribus de verbo ad verbum oporteat in nostris literis fieri mentionem. Datũ Auenione decimoquarto Calendas Maij, Pontificatus nostri anno primo.

Innouãtur literæ Ioan. XXII. §. 4. Nos igitur huiusmodi supplicationibus inclinati, dictas literas quas in Cancellaria nostra inspici fecimus diligenter, auctoritate Apostolica tenore præsentium innouamus, & præsentis scripti patrocinio communimus: Per hoc autem nullum ius de nouo vobis acquiri volumus, sed antiquum tantummodò conseruari; Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ innouationis, communitionis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire: Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorũ Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum.

Datum Auenione sexto Calendas Septembris, Pontificatus nostri anno primo.

Constit. III.

Ex Transumpto authentico, cuius originale asseruatur Tolosæ in Conuentu S. Augustini.

Summarium.

Eximuntur Religiosi Augustinenses Tolosani à quacunque iurisdictione Ordinarij.

CLEMENS PAPA SEPTIMVS. *1527.*

Dilecti filij Salutem, & Apostolicam benedictionem.

§. 1. Vacantibus sub regulari obseruantia studio piæ vitæ, Apostolici fauoris præsidium libenter impendimus, & in ijs, quæ eorum tranquillitatem respiciunt, Nos eis gratiosos, & fauorabiles exhibemus.

§. 2. Cum itaque, sicut Nobis nuper exponi fecistis, licèt fel. recor. Innocentius VIII. Ordinem vestrum Eremitarum S. Augustini, ác pro tẽpore existentem illius Generalem, & alios, personas, necnon Ecclesias, Oratoria, domos, & loca cum omnibus iuribus, & pertinentijs suis, in ius, & iurisdictionẽ Beati Petri Apostolorum Principis, & Sedi Apostolicæ per literas suas assumpserit, illàq; à cuiuscunque Ordinarij potestate, iurisdictione, & dominio in perpetuũ omninò exemerit, ac ex tunc Ordinem, Priorem, Ecclesias, personas, Oratoria, domos, & loca præfata soli Romano Pontifici, & eidẽ Sedi in spiritualibus, & temporalibus absque vllo medio subiecerit: Ita quòd nec locorum Ordinarij, nec alia quæuis persona ecclesiastica in Ordinẽ, Priores, Fratres, personas, Ecclesias, Oratoria, domos, & loca prædicta *Petitio cõfirmationis Priuil. Innoc. VIII.* *Innouatur constit. Innocentij VIII. pro exẽptione personarũ, & locorum à iurisdictione Ordinarij.*

vtpotè

Nō possunt excōmunicari, suspēdi, & interdici ab Ordinarijs loca Ordinis, & personæ.

vtpotè prorsus exempta, possent excommunicationis, suspensionis, aut interdicti sententias promulgare, aut aliàs potestatem, seù iurisdictionem aliquam exercere; ac si quid in contrarium attentatum foret, omninò irritum decreuerit.

Nec rōe loci, vel delicti, vel rei de qua agitur Fratres cōueniri non possunt coram Ordinarijs.

§. 3. Et piæ mem. Clemens VI. similiter per suas literas Prioribus, & Fratribus prædictis, vt coram quibusuis Diœcesanis, & locorum Ordinarijs, ac alijs Iudicibus quibuscūque, ratione delicti, vel contractus, seù rei, de qua ageretur, conueniri, vel impeti nullatenus valerent, indulserit, ac ex tunc si secus super his scienter, vel ignoranter contingeret attentari, irritum, & inane decreuerit; ac diuersi alij Romani Pontifices prædecessores nostri, literas Innocentij, & Clementis prædecessorum huiusmodi approbauerint, & innouauerint, & Priores, ac Fratres Ordinis huiusmodi in pacifica possessione, seù quasi susceptionis, exemptionis, & indulti huiusmodi fuerint: Nihilominùs cum ea vberiorem obtineant firmitatem, & firmiùs obseruentur, quæ frequentiori Apostolico munimine roborantur, vos pro maiori vestri quiete desideratis illa nostræ approbationis munimine roborari, & specialiter concedi.

Ad vberiorē firmitatē innouātur const. Innocentij, & Clementis.

§. 4. Nos igitur, qui Religioni deditorum quietem, & profectum synceris desideramus affectibus, singularum literarum prædictarū præsentibus pro expressis haberi volentes, vestris in hac parte supplicationibus inclinati, susceptionem, exemptionem, indultum, & decretum, ac cum omnibus, & singulis in eis contentis, singulas literas Prædecessorū huiusmodi, quoad domum vestram, ac vos, & pro tempore existentes ipsius domus vestræ Priorem, & Fratres, auctoritate Apostolica, tenore præsentium approbamus, & innouamus, ac perpetuæ firmitatis robur obtinere, & firmiter obseruari, vòsq; illis potiri, gaudere, & frui debere, ac iuxta tenorem literarum Prædecessorum huiusmodi, vos ab Archiepiscopi Tolosañ, eiùsq; Vicariorū in spiritualibus generalium, & officialium pro tempore existentium, & aliorum Iudicum Ordinariorum, & delegatorum quorumcunque potestate, iurisdictione, & dominio omninò exemptos, ac Nobis, & pro tēpore existenti Romano Pontifici, necnon dictæ Sedi immediatè subiectos esse, ipsòsq; Archiepiscopum, Vicarios, Officiales, & Iudices Ordinarios, vel delegatos præfatos, seù quoscunque alios contra susceptionem, exemptionem, indultum, & literas huiusmodi quomodolibet pro tempore habitas, & latas, ac gesta, seù potiùs attentata, nulla, & inualida, nulliùsq; roboris, vel momenti fore, & sic per quoscunque Iudices, quauis auctoritate fungentes, sublata eis quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari, & diffiniri debere decernimus.

Constit. præfatæ in specie cōfirmātur Fratribus Tolosanis, contra Archiepiscopos, & eorū Vicarios Tolosanos.

Immediatè Sedi Apostolicæ subditi sunt.

§. 5. Et nihilominus pro potiori cautela, præmissa omnia, & singula vobis, & domui vestræ prædictæ, de nouo specialiter, & expresè concedimus, & indulgemus, districtiùs inhibentes Archiepiscopo sub interdicti ingressus ecclesiæ, ac suspensionis à diuinis, necnon Vicarijs, Officialibus, & Iudicibus ordinarijs, & delegatis, ac alijs præfatis, sub excommunicationis latæ sententiæ pœnis,

Molestantes Fratres Tolosanos sunt excōmunicati absque alia declaratione.

pœnis, quas singulos contrafaciẽtes eo ipso absque alia declaratione incurrere volumus, & decernimus, ne vos desuper molestare, inquietare, seù perturbare quoquo modo præsumant, ac decernentes ex nunc irritum, & inane, si secus super his à quoquam, quauis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Episcopi deputati Cõmissarij. §.6. Quocirca Venerabilibus Fratribus Condomiensi, & Taruiensi, ac Olorensi Episcopis, per hæc scripta mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut vnus eorum, per se, vel alium, seù alios Vobis in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra præsentes literas, & in eis contenta quæcunque firmiter obseruari; vòsq; illis pacificè gaudere, non permittentes vos per Archiepiscopum, Vicarios, Officiales, & Iudices præfatos, seù quoscunque alios quomodolibet molestari, inquietari, seù perturbari, contradictores, molestatores, perturbatores quoslibet, & rebelles, per censuras, & pœnas ecclesiasticas, appellatione postposita, compescendo, ac legitimis super his habendis processibus, censuras, & pœnas ipsas iteratis vicibus aggrauando, inuocato etiam ad hoc auxilio brachij secularis.

§.7. Non obstantibus præmissis, ac Bonifacij Papæ VIII. etiam prædecessoris nostri de vna, & Concilij generalis de duabus dietis, dummodò vltra tres dietas aliquis vigore præsentium non trahatur, ac priuilegijs, & indultis apostolicis, Archiepiscopo, Vicarijs, Officialibus, Iudicibus, & alijs præfatis sub quibuscũque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis clausulis, & decretis per Sedem prædictã pro tempore factis, quibus omnibus tenorem illorum pro expressis habentes, quoad præmissa specialiter, & expressè derogamus; necnon quibusuis molestationibus, & exactionibus vobis per eosdem Archiepiscopum, seù Vicarios, Officiales, & Iudices præfatos ordinarios, vel delegatos, ac quoscunque alios, hactenus forsan quomodolibet illatis, contrarijs quibuscunque. Aut si Archiepiscopo, Vicarijs, Officialibus, & Iudicibus antedictis, vel quibusuis alijs communiter, vel diuisim à dicta sit Sede indultum, quòd interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas, non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Datum Romæ apud S. Petrum, sub Anulo Piscatoris, die 10. Aprilis 1527. Pontificatus nostri anno quarto.

Constit. IV.

Ex Transumpto authentico, cuius originale asseruatur Tolosæ in Conuentu S. Augustini.

Summarium.

Committitur DD. Episcopis Condomiẽsi, Olorensi, ac Taruiensi, vt indultis concessis tùm ab ipso, tùm à Prædecessoribus, gaudere faciant Religiosos Augustinenses Tolosan.

CLEMENS EPISCOPVS Seruus Seruorum Dei. 1527.

Venerabilibus fratribus Condomiensi, & Taruiensi, ac Orolensi Episcopis Salutem, & Apostolicam benedictionem.

§. 1. SVa Nobis dilecti filij Prior, & Fratres S. Augustini Tolosañ, Ordinis Eremitarũ eius-

eiusdem Sancti, petitione monstrarunt, quòd licèt fel. rec. Innocentius Papa VIII. prædecessor noster dictũ Ordinem, ac pro tempore existentes illius Generalem Priorem, & personas, necnon Ecclesias, Oratoria, domos, & loca cum omnibus iuribus, & pertinentijs suis, in ius, & iurisdictione B. Petri Apostolorum Principis, & Sedi Apostolicæ per suas literas assumpserit, illaq; à cuiuscunque ordinaria potestate, iurisdictione, & dominio in perpetuum omninò exemerit, ac ex tunc Ordinem, Priorem, personas, Ecclesias, Oratoria, domos, & loca præfata sibi Romano Pontifici, & eidem Sedi in spiritualibus, & temporalibus absque vllo medio subiecerit: ita quòd nec locorum Ordinarij, nec alia quæuis persona ecclesiastica in Ordinem, Priores, Fratres, personas, Ecclesias, Oratoria, domos, & loca prædicta, vtpotè prorsus exempta, possent excommunicationis, suspensionis, aut interdicti sententias promulgare, vel aliàs potestatem, seù iurisdictionem aliquam exercere, & siquid in contrarium foret attentatum, omninò irritum decreuerit.

Loca, personæ, Oratoria ab Ordinarijs, exẽpta à cẽsuris ecclesiasticis ordinariorũ sunt immunes.

§. 2. Et piæ memoriæ Clemens Papa VI. etiam prædecessor noster similiter per suas literas Prioribus, & Fratribus prædictis, vt coram quibusuis Diœcesanis, & locorum Ordinarijs, ac alijs Iudicibus quibuscunque ratione delicti, vel contractus, seù rei, de qua ageretur, conueniri, vel impeti nullatenus valerent, indulserit, ac ex tunc, si secus super his, scienter, vel ignoranter contingeret attentari, irritum, & inane decreuerit; ac diuersi alij Romani Põtifices prædecessores nostri literas Innocentij, & Clementis prædecessorum huiusmodi approbauerint, & innouauerint, ac Priores, & Fratres huiusmodi domus in pacifica possessione, seù quasi susceptionis, exemptionis, & indulti huiusmodi fuerint, ac Nos ad dictorum Prioris, ac Fratrum supplicationem, susceptionem, exemptionem, indultum, & decretũ cum omnibus, & singulis in eis contentis, singulas literas Prædecessorũ huiusmodi, quoad dictam domum S. Augustini Tolosañ, ac præfatos, & pro tempore existentes ipsius domus Tolosan. Priorem, & Fratres auctoritate Apostolica approbauerimus, & innouauerimus, ac perpetuæ firmitatis robur obtinere, & firmiter obseruari, ipsòsq; Priorem, & Fratres domus Tolosan. illis vti, potiri, gaudere, & frui debere, ac iuxta tenorem literarum Prædecessorum huiusmodi, eosdem Priorem, & Fratres domus Tolosan., ab Archiepiscopi Tolosan., eiùsq; Vicariorum in spiritualibus generalium, & Officialiũ pro tempore existentium, & aliorum Iudicum ordinariorum, & delegatorum quorumcunque potestate, iurisdictione, & dominio omninò exemptos, ac Nobis, & pro tempore existenti Romano Pontifici, necnon dictæ Sedi immediatè subiectos esse, ipsòsq; Archiepiscopum, Vicarios, Officiales, & Iudices ordinarios, vel delegatos, aut quoscunque alios quàm dicti Ordinis Superiores, in ipsos Priorem, & Fratres, ac domum S. Augustini Tolosan. huiusmodi, tanquam prorsus exemptos, excommunicationis, suspensionis, & interdicti sententias promulgare, vel potestatem, seù iurisdictionem aliquã, etiam ratione delicti, vel contractus, aut

Priuilegia specialiter extẽduntur ad Fratres Tolosanos.

Fratres Tolosani exẽpti ab Ordinarijs.

aut rei, de qua ageretur, exercere, aut de causis dictorum Prioris, & Fratrũ ciuilibus, vel criminalibus cognoscere, seù se intromittere nullatenus posse; necnon omnes, & singulos processus, sententias, censuras, & pœnas, ac alia quæcũque per Archiepiscopum, Vicarios, Officiales, Iudices ordinarios, vel delegatos præfatos, seù quoscunque alios, contra susceptioné, exemptionem, indultum, & literas huiusmodi quomodolibet pro tẽpore habitos, & latas, ac gesta, seù potiùs attẽtata, nulla, & inualida, nulliùsq; roboris, vel momenti fore: & sic per quoscunque Iudices, quauis auctoritate fungẽtes, sublata eis, quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari, & diffiniri debere decreuerimus: & nihilominùs pro potiori cautela, præmissa omnia, & singula, eisdẽ Priori, & Fratribus, ac domui Tolosañ huiusmodi de nouo specialiter, & expresse concesserimus, & indulserimus, districtiùs inhibentes Archiepiscopo sub interdicti ingressus ecclesiæ, & suspẽsionis à diuinis, necnon Vicarijs, Officialibus, & Iudicibus ordinarijs, & delegatis, ac alijs præfatis sub excommunicationis latæ sententiæ pœnis, quas singulos cõtrafacientes eo ipso absq; alia declaratione incurrere voluerimus, & decreuerimus, ne ipsos Prioré, & Fratres domus Tolosañ huiusmodi desuper molestare, inquietare, seù perturbare, quoquo modo præsumerent, ac decernẽtes ex tunc irritum, & inane, si secus super his à quoquam quauis auctoritate, sciẽter, vel ignoranter contingeret attẽtari, prout in nostris in forma Breuis inde confectis literis pleniùs continetur.

§. 3. Cum autẽ sicut exhibita Nobis nuper pro parte Prioris, & Fratrũ domus Tolosañ huiusmodi petitio continebat, Venerabilis frater noster modernus Archiepiscopus Tolosañ, eiùsq; Vicarij in spiritualibus generales, ac Officiales, & quidã alij clerici, & laici contra susceptioné, exemptionem, indultum, inhibitioné, decretum, ac literas huiusmodi temerè venientes, eosdẽ Priorem, & Fratres domus S. Augustini Tolosan., quominùs ipsi Prior, & Fratres singulis literis prædictis pacificè vti, frui, & gaudere possint, & valeãt, contra iustitiã impedire, nisi fuerũt hactenus, & nitantur in animæ eorum periculum, dictorùmq; Prioris, & Fratrũ domus S. Augustini Tolosan. præiudicium non modicũ, & grauamen, ac scandalum plurimorũ. Quare pro parte dictorum Prioris, & Fratrũ domus Tolosan. Nobis fuit humiliter supplicatũ, vt susceptionem, exemptioné, indultum, inhibitionem, decretum, & literas huiusmodi per aliquos discretos obseruari mandare, aliàsq; eis super his oportunè prouidere paterna diligentia curaremus.

Archiepiscop⁹, & eius Officiales molestantes. Fratres S. Augustini prohibẽtur, & compescũtur

§. 4. Quocirca fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus vocatis qui fuerint euocãdi, & auditis hinc inde propositis, quod iustum fuerit, appellatione remota, decernatis, facientes quod decreueritis, ab ipso Archiepiscopo auctoritate nostra, ab alijs verò per censurã ecclesiasticam firmiter obseruari. Testes autem qui fuerint nominati, si se gratia, odio, vel timore subtraxerint, censura simili appellatione cessante, cõpellatis veritati testimoniũ perhibere. Quòd si non omnes his exequẽdis potueritis interesse, duo, aut vnus vestrum ea nihilominùs exequantur.

Iudices deputantur ad cognoscẽda grauamina Fratru.

G Datum

Datum Romæ apud S. Petrũ, anno Incarnationis Dominicæ 1527. quintodecimo Calendas Maij, Pontificatus nostri anno quarto.

CLEMENTIS VIII. Constit. I.

Habetur infra inter Constitutiones Pauli V. Constitutione sexta, & septima.

Summarium.

Assistentiũ Prioris Generalis institutio, & alia quædã ad Assistentes pertinentia.

Constit. II.

Ex literis monitorialibus Auditoris Cameræ, quæ asseruantur Romæ in Archiuo Ordinis. nu. 2.

Summarium.

In Prouincijs Indiarum, & Hispaniarum sex Magistri deputantur, omniàq; vota ex gratia in Capitulo Prouinciali tolluntur.

IOannes Dominicus Spinula Protonotarius Apostolicus, vtriusque Signaturæ S.D.N. Papæ Referendarius, necnon Curiæ causarũ Cameræ Apostolicæ Generalis Auditor, Romanæq; Curiæ Iudex ordinarius, sententiarum quoque, & censurarũ tàm in eadem Romana Curia, quàm extra eam latarum, ac literarum Apostolicarum quarumcunque vniuersalis, & merus exequutor ab eodem S.D.N. Papa specialiter deputatus. Vniuersis, & singulis RR. DD. Abbatibus, Prioribus, Præpositis, Decanis, Archidiaconis, Scholasticis, Cãtoribus, Custodibus, Sacristis, Thesaurarijs, parochialiùmq; ecclesiarum Rectoribus, earùmq; Plebanis, Curatis, ceterìsq; Presbyteris, Clericis, Notarijs, Tabellionibus quibuscunque, illìque, vel illis, ad quem, vel ad quos nostræ literæ peruenerint, vel præsentabũtur, Salutem in Domino, & nostris huiusmodi, imò veriùs Apostolicis firmiter obedire mandatis.

Nouerint, quòd aliàs Sanctissimus in Christo Pater, & D. N. D. Clemẽs Diuina prouidentia Papa Octauus, quasdã suas literas Apostolicas more solito expeditas edidit, atquè concessit, huiusmodi sub tenore, videlicet.

CLEMENS PAPA OCTAVVS. 1600.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. 1. ADmonet Nos Apostolici muneris Nobis licèt immeritis diuinitùs iniuncti debitum, vt circa Religiosorum prosperam directionem solicitè intẽdamus, prout in Domino salubriter conspicimus expedire.

§. 2. Sanè cum sicut accepimus in infrascriptis Prouincijs Ordinis Fratrum Eremitarum S. Augustini ob Magistrorum, & priuilegiorum multitudinem magna in dies prouenniant incommoda, ac regulariorum institutorum obseruantia relaxetur. Nos præmissis, quantum cum Domino possumus, occurrere, ac Ordinis prædicti prospero regimini, & directioni prospicere cupientes, felicis etiã recordationis Sixti Papæ Quinti prædecessoris nostri, qui Magistrorum numerũ in Prouincia Castellæ ad senarium magna cum eiusdẽ Prouinciæ vtilitate reduxit, exemplo adducti; Motu proprio, & ex certa sciẽtia, ac matura deliberatione nostra, dèq; Apostolicæ potestatis plenitu-

nitudine, quòd in singulis Bethica, Mexicana, de Mechoacan, del Perù, del Chitto, noui Regni dicti Ordinis Fratrum Eremitarum Prouincijs, nullus ex nunc de cetero ad Magisterij gradum promoueatur, aut promotus priuilegijs, ac immunitatibus, quibus alij earundem Prouinciarum Magistri hactenus in qualibet earum Prouinciarum respectiuè vti, seù potiri consueuerunt, neque alicui alteri priuilegia Magistri, seù Præsentati concedantur, quousque alij dictarum Prouinciarum Magistri, qui in qualibet earundem Prouinciarum senarium numerum Magistri nõ excedant: Sicq; deinceps in perpetuũ seruari debeat, nec vllo vnquam tempore quauis de causa cuiquam in aliqua ex dictis Prouincijs numerum sex Magistrorum completum, quauis auctoritate, excedere liceat, auctoritate apostolica tenore præsentium perpetuò statuimus, & ordinamus, ac numerũ Magistrorum in qualibet ex dictis Prouincijs ad senarium perpetuò reducimus, & limitamus.

Magistrorum numer⁹ senarius in Hispania, & Indijs.

§. 3. Præterea, quia (vt similiter accepimus) in eisdem Prouincijs, aut aliquibus illarum, permulti vocem in electionibus ex gratia habuerunt, ex quo propter magnum Vocalium numerum in Capitulis Prouincialibus vt plurimum confusiones, & perturbationes oriri solent. Nos ad eas omninò tollendas, vt de cetero in perpetuum, vt in quacunque dictarum Prouinciarum nulli, præter eos, quibus de iure iuxta Ordinis constitutionem licet, vocem actiuam in Capitulis Prouincialibus habeant: sed ij, quibus ex gratia concessa existit, voce actiua omninò careant, & ex nunc priuati sint, & esse censeantur, prout Nos ex nunc illos, & quemlibet eorum perpetuò priuamus, auctoritate, & tenore præfatis similiter in perpetuum, statuimus, & ordinamus.

Vota de gratia prohibentur.

§. 4. Decernentes statuta, & ordinationes huiusmodi, ab omnibus, & singulis Prouinciarum, & Ordinis huiusmodi Superioribus, & alijs, quorum interest, intererit, aut interesse poterit quomodolibet in futurum perpetuò inuiolabiliter obseruari, & nullo vnquam tempore, quauis occasione, vel causa, alterari, immutari, vel innouari, seù aliam aliquam declarationem, præterquàm per Sedem Apostolicam desuper fieri posse: præsentes quoque literas de subreptionis, vel obreptionis vitio, seù intentionis nostræ, vel alio quocunque defectu notari, impugnari, redargui, retractari, rescindi, vel annullari, etiam ex eo quòd interesse habentes, seù prætendentes, ad hoc vocati, vel auditi non fuerint, nullatenus posse: Sicque, & non aliter per quoscumque dicti Ordinis Prælatos, & Superiores, ac alios Iudices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores vbique iudicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inane quidquid secus super his à quoquam quauis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§. 5. Non obstantibus quibusuis constitutionibus, & ordinationibus apostolicis, ac Prouinciarum, & Ordinis prædictorum, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, priuilegijs quoque, indultis, & literis

Apostolicis dictis Ordini, ac Prouincijs, illorùmq; Superioribus, ac Fratribus, seù quibusuis alijs in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & approbatis. Quibus omnibus, & singulis eorum tenores præsentibus pro expressis habentes, hac vice dumtaxàt specialiter, & expresè derogamus, cetèrìsq; contrarijs quibuscunque.

§. 6. Volumus autem, vt præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius publici Notarij subscriptis, & sigillo alicuius personæ in ecclesiastica dignitate cõstitutæ munitis, eadem fides habeatur, quæ eisdem præsentibus haberetur, si essent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Petrum, sub Anulo Piscatoris, die decimatertia Septembris, Millesimo sexcentesimo, Pontificatus nostri anno nono.

M. Vestrius Barbianus.

Nuper autem fuit coram Nobis comparitum, & expositum pro parte, & ad instantiam R. P. P. de Fuentes, noui Regni Granatensis in Indijs occidentalibus Ordinis Eremitarum S. Augustini, principalis, quòd licèt literæ Apostolicæ prædictæ ab omnibus seruari debeant; nihilominùs ad eius notitiam deuenit, quòd nonnulli Fratres prædicti Ordinis, prædictas literas Apostolicas paruipendendo, contra earum formam, & tenorem exequi, & procedere curant, & fortasse etiam processerunt, & procedunt. Nos igitur de oportuno iuris remedio requisiti, tenore præsentium, vobis omnibus, & singulis supradictis, & vestrum cuilibet insolidum committimus, & in virtute sanctæ obedientiæ districtè præcipiendo mandamus, quatenus statim visis, & receptis præsentibus, & postquam vigore præsentium fueritis requisiti, seù alter vestrum fuerit requisitus ex parte nostra, imò veriùs Apostolica auctoritate moneatis, & requiratis primò, secundò, tertiò, vltimò & peremptoriè, prout nos monemus, & requirimus per præsentes supradictos Fratres in exequutione præsentium nominandos, & cognominandos, eìsq; præcipiatis, & mandetis, prout nos præcipimus, & mãdamus eisdem sub mille ducatorum auri R. Cameræ Apostolicæ applicandorum, & pro illis mandati exequutiui, & in iuris subsidium, quatenus opus sit, excommunicationis, suspensionis, & interdicti, alijsq; ecclesiasticis sententijs, censuris, & pœnis, & in præinsertis literis apostolicis contentis, debeant prædictas literas apostolicas, & omnia, & singula in eis contenta, ad vnguem obseruasse, illìsque, & præsentibus nostris monitorialibus literis paruisse, & obediuisse, dèq; eorum paritione, nos quantò citiùs certiorasse. Aliòquin prædictos sic monitos, & requisitos, exequutione dictarum literarũ non retardata, si mandatis nostris huiusmodi, & monitorialibus, in omnibus, & per omnia obtemperare distulerint: contradictorèsq; omnes, & rebelles, & molestatores in exequutione præsentium nominandos, & cognominandos in eorum proprijs personis, si eorum personas commodè habere poteritis, sin autẽ in hospitijs habitationum suarum, si ad eas vobis tutus pateat accessus, aliòquin per affixionem ad valuas maioris ecclesiæ illius loci, publica, & alta voce citetis, & citare curetis, prout nos citamus eosdem per præ-

sentes,

ſentes, quatenus infra terminũ trium menſium poſt præſentium exequutionem, ſi dies ipſa iuridica fuerit, aliòquin prima dies iuridica compareat Romæ in iudicio legitimè coram nobis, vel noſtro in ciuilibus Locumtenente generale, per ſeſe, vel per procuratores ad videndum ſeſe excommunicationes, aliàsq; ſententias, cenſuras, & pœnas prædictas incidiſſe, & incurriſſe declarari, ac ad omnes eos ſingulos terminos neceſſarios, & oportunos gradatim vſque ad ſententiam, & cenſurarum prædictarum aggrauationem, & brachij ſecularis inuocationẽ procedi, citatorum contumacia, vel abſentia in aliquo non obſtante: Abſolutionem verò omnium, & ſingulorum præmiſſorum Nobis, vel Superiori noſtro tantummodò reſeruamus. In quorum omnium, & ſingulorum fidem has præſentes fieri, & per infraſcriptum Curiæ noſtræ ſubſcribi, ſigillìq; R. Cameræ Apoſtolicæ appenſione muniri.

Datum Romæ ex ædibus noſtris anno Domini Milleſimo ſexceteſimo decimo ſeptimo, Indictione decimaquinta, die verò vltima Octob. Pontificatus S. D. N. D. Pauli Diuina prouidentia Papæ Quinti, anno eius decimotertio.

Conſtit. III.

Ex Breue originali ſub Anulo Piſcatoris, quod Romæ aſſeruatur in Archiuo Ordinis. num. 3.

Summarium.

Congregationem Lombardiæ Prior Generalis viſitare poteſt iuxtà conſtitutionem Innocentij Octaui, & Iulij Tertij.

CLEMENS PAPA OCTAVVS. 1604.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. 1. EX iniuncto Nobis Apoſtolici muneris debito, controuerſijs, & differentijs, inter Religioſos vertentibus, finem imponere, ac deſuper de oportuno remedio prouidere tenemur, prout ius, & ratio poſtulat, ac aliàs in Domino ſalubriter conſpicimus expedire.

§. 2. Cum itaque dudum inter dilectos filios Priorem Generalem Ordinis Fratrum Eremitarum S. Auguſtini, eiùsq; Aſſiſtentes ex vna, & Vicarium Generalẽ, & Fratres Congregationis, ſeù Societatis Lombardiæ eiuſdem Ordinis ex altera partibus, controuerſiæ, & differẽtiæ ſuper iure, modo, & forma viſitãdi, rebùsq; alijs viguerint, Nòsq; illas in Congregatione reformationis, & viſitationis apoſtolicæ maturè diſcuti, & examinari fecerimus, & in eadẽ Congregatione ambæ partes pluriès fuerint auditæ: nunc huiuſmodi differẽtias, & controuerſias è medio tollere, ac vtriuſque partis quieti proſpicere volentes, ac Priorem Generalẽ, Aſſiſtentes, & Vicarium Generalem, & Fratres vniuerſos Ordinis, & Congregationis prædictorũ, à quibuſuis excommunicationis, ſuſpẽſionis, & interdicti, alijsq; eccleſiaſticis ſentẽtijs, cenſuris, & pœnis, à iure, vel ab homine, quauis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentiũ dũtaxat conſequendum, harũ ſerie abſoluentes, & abſolutos fore cẽſentes, motu proprio, & ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtris, dèq; apoſtolicæ poteſtatis plenitudine declarãtes in primis, & ante omnia mẽtis, &

intentionis nostræ nō fuisse, nec esse, in literis nostris in forma Breuis sub Datum die decimatertia Iulij præsentis anni Millesimi sexcentesimi quarti expeditis super visitatione per Priorem Generalem facienda in domibus Congregationis Lombardiæ, quarum tenorem præsentibus pro expresso haberi volumus, recedere à dispositione, & priuilegio fel. rec. Innocentij Papæ Octaui prædecessoris nostri super eadē visitatione emanatis, & ab eisdem partibus receptis, & acceptatis in concordia de anno Millesimo quingentesimo quinquagesimo primo, inter eos inita, quarum etiam tenores præsentibus pariter pro expressis haberi volumus: sed eiusdem nostræ mentis, & intentionis fuisse, & esse, statuere, & decernere, prout in dictis priuilegio, & concordia continetur, & nihilominùs prædictas nostras literas ad præscriptum priuilegij, & concordiæ huiusmodi reducētes, harum serie perpetuò statuimus, & decernimus, quòd liceat Priori Generali, quoties ei placuerit insimul cum vno ex Visitatoribus Societatis huiusmodi, quē ad hoc duxerit eligendum, vel per Vicarium eiusdem Societatis dumtaxàt, & non per alium, vnam, vel plures domum, vel domos, ac ipsam Societatem visitare.

Concordia facta sub Innocentio Octauo cōfirmatur.

Prior Generalis visitare pōt quando voluerit

§. 3. Ac vlteriùs volumus, & mandamus, vt in Visitatione huiusmodi Prior Generalis tàm in præcedentia, quàm in alijs quibuscunque actibus publicis, vel priuatis in locis, & domibus Congregationis prædictæ, habeatur, recipiatur, & honoretur, vt Caput, Gubernator, & Administrator totius Ordinis S. Augustini, ab ipso Vicario Generali Congregationis, Visitatoribus, Prouincialibus, Prioribus, & omnibus alijs Fratribus. Et debeant in eadem Visitatione primum ipse Vicarius Generalis, deinde Visitatores, Prouinciales, Priores, & alij supradicti Fratres præstare illi cum effectu omnem obedientiam, vt suo Superiori.

Generalis Caput, & Gubernator totius Ordinis.

Vicari' debet præstare obedientiā.

§. 4. Teneatur Vicarius Generalis, Visitatores, & alij quicunque Fratres Congregationis subire, & recipere prædictam Visitationem, nedū quoad loca, domos, & Conuentus Congregationis; verùm etiam quoad proprias cuiusque ipsorum personas, & debeant vniuersi, ac illorū vnusquisque obedientiam præstare Priori Generali in his, quæ per ipsum in Visitatione fuerint ordinata, necnō subiacere pœnis, & correctionibus, quas iuxtà constitutiones dictæ Congregationis, Prior Generalis illis visitando iniunxerit, & imposuerit, illàsq; omninò adimplere, & exequi debeant.

Visitare potest etiā personas.

§. 5. Visitator Congregationis, qui vocatus à Priore Generali intererit Visitationi, vel Vicarius Generalis ipse, si quando reperietur in Conuentu, vbi fiet visitatio, assistat ipsi Priori Generali, vt illum informet, ac certiorem faciat de statu, & negotijs domorum visitandarum, vitàque, & moribus Fratrum. Verùm nullam habeat vocem actiuam in ipsa Visitatione, & non possit ferre, aut prætendere votum, nisi consultiuum in his omnibus, quæ Prior Generalis voluerit decernere, neque etiam possit, aut debeat interesse scrutinio, aut examini in secreto habendo per Priorem Generalem visitantem, de Fratribus Congregationis, cui scutinio, seù examini ipse solus

In visitatione Vicari' Generalis, seù Visitator habet tantùm votum consultiuū.

solus Prior Generalis debebit interesse.

§. 6. Assistentes Ordinis comitentur, & associent Priorem Generalem in visitatione Cõgregationis, & perpetuò eidem assistant: & ipse Prior Generalis absque eorum consilio nihil decernere possit, iuxtà formam à Nobis præscriptam in literis in forma Breuis super deputatione eorundem Assistentium expeditis. Ijdem Assistentes dum eo munere in dicta visitatione funguntur, in quibuscunque locis, & actibus eiusdem Congregationis, locum habeãt præsente Priore Generali ante Vicarium Generalem Congregationis, ac Visitatores, Procuratorem, Prouinciales, Priores, & alios quoscunque Fratres dictæ Congregationis.

Assistẽtes habẽt locũ supra Vicarium.

§. 7. Teneatur Prior Generalis saltem per mensem ante Visitationẽ denunciare Visitatori, quem voluerit eligere, visitationem faciendam, eiùsq; locum, & tempus: & si Visitator vocatus recusauerit, aut neglexerit in loco, aut Monasterio visitãdo, interuenire, liceat eidem Priori Generali vocare ad eundem officiũ de propinquiori Monasterio Priorẽ, vel eo absente Vicarium, & illis adhuc accedere recusantibus, absque eorum interuentu dicta loca visitare.

In defectu Visitatoris assumitur Prior Conuentus viciniorisi.

§. 8. Quocirca vtrisque partibus prædictis in virtute sanctæ obedientiæ, & sub indignationis nostræ, alijsque arbitrij nostri pœnis districtè præcipiendo mandamus, quatenus præmissa omnia, & singula inuiolatè obseruent, & per eos, ad quos spectat, & spectabit in futurum obseruari curent, & faciant. Et nihilominùs eidem Priori Generali prædictos Vicarium Generalem, Visitatores, Priores, & Fratres dictæ Congregationis Lombardiæ ad obseruationẽ præmissorum per censuras, & pœnas ecclesiasticas, aliàq; oportuna iuris, & facti remedia cogendi, & compellendi, ac inobedientes quoscunque, etiam voce actiua, & passiua perpetuò, vel ad tempus arbitrio suo priuandi, & contra illos censuras, & pœnas supradictas (seruata iuris, & sacrorum Canonum forma) proferendi, & promulgandi facultatem impartimur, ac sententias, siuè pœnas præmissas, quas ritè tulerit, seù statuerit in rebelles, ratas habebimus, & faciemus (auctore Domino) vsque ad satisfactionem condignam inuiolabiliter obseruari.

§. 9. Non obstantibus literis nostris supradictis de mense Iulij præsentis anni expeditis, ac etiam prædicti Innocentij prædecessoris priuilegio, & concordia, in his, quæ præsentibus aduersantur, ac alijs constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon Ordinis, & Congregationis prædictorum, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, priuilegijs quoque, indultis, & literis apostolicis eidem Congregationi, eiùsq; Vicario Generali, alijsq; Superioribus, & Fratribus sub quibuscunque tenoribus, & formis in contrarium præmissorũ quomodolibet concessis, cõfirmatis, & approbatis. Quibus omnibus, & singulis, eorum tenoribus præsentibus pro expressis habentes, hac vice dumtaxàt specialiter, & expresè derogamus, ceterisq; contrarijs quibuscunque.

Datum Romæ apud S. Petrum, sub Anulo Piscatoris die vigesima secunda

secunda Decembris, Millesimo sexcentesimo quarto, Pontificatus nostri anno decimo tertio.

Constit. IV.

Ex Breue originali sub Anulo Piscatoris, quod asseruatur Romæ in Archiuo Ordinis. num. 4.

Summarium.

In visitatione Congregationis Lombardiæ Assistentes habent locum supra Vicarium Generalem, & modus præscribitur in dicta visitatione seruãdus.

1604 *CLEMENS PAPA OCTAVVS.*

Ad perpetuam rei memoriam.

§. 1. Romanum decet Pontificem, Religiosorũ dissensionibus occurrere, & eorũ quieti oportunè prospicere, prout in Domino salubriter conspicit expedire. Cum itaque (sicut accepimus) licèt fel. rec. Innocentius Papa Octauus, & deinde Iulius Papa Tertius prædecessores nostri ad conseruandam vnionem inter Ordinem Fratrũ Eremitarum S. Augustini, & Congregationem Lombardiæ eiusdem Ordinis circa modum, quo Prior Generalis pro tempore existens dicti Ordinis, Congregationem prædictam, eiùsq; Monasteria, seù domos visitare deberet, nonnulla ordinauerint, & ipse præsertim Iulius prædecessor nõnulla capita concordiæ inter Ordinem, & Congregationẽ prædictas initæ stabiliuerit, & confirmauerit, & inter alia, quòd Priori Generali accedenti ad loca Cõgregationis præstetur obedientia à Fratribus, & recipiantur monitiones conformes cõstitutionibus Ordinis, & diffinitionibus Congregationis, & quòd si voluerit dicta loca visitare, seruetur forma præstitura in priuilegio Innocentij Octaui, quò conceditur Generali facultas visitandi dicta loca, seù domos Congregationis vna cũ Vicario Generali, vel altero ex Visitatoribus, quem duxerit eligendum, prout in eorundem Prædecessorum literis desuper expeditis pleniùs continetur: nihilominùs multæ difficultates hactenus circa formam, & modum visitandi, præsertim circa personæ Vicarij Congregationis, vel alteriùs ex Visitatoribus interuentum, & interessentiam ortæ essent, & res aliter, atque putabatur, euenisset, in maximã dictorum Ordinis, & Congregationis perturbationem.

§. 2. Nos illorum quieti oportunè prospicere cupientes, negotiũ huiusmodi in Congregatione reformationis nostræ apostolicæ examinandam duximus: ideò habita à dilectis filijs Prælatis eiusdem Congregationis relatione, ac prædictorum Innocentij Octaui, & Iulij Tertij prædecessorum nostrorum cõstitutionibus inhærentes, harum serie declaramus, & statuimus, vt si de cetero Prior Generalis eiusdem Ordinis pro tẽpore existens Congregationem prædictã visitare voluerit, huiusmodi visitationis munus obeat iuxtà dictam concordiam Iulij prædecessoris prædicti constitutione comprobatam: & si contigerit Vicarium, aut alterum Visitatorum ipsius Congregationis à dicto Priore Generali per octo dies ante visitationem vocatum recusare, aut negligere in loco, & Monasterio visitando interuenire, liceat eidẽ Priori Generali vocare ad eundẽ effectum è propinquiori Monasterio

Visitatio ad libitũ Generalis.

In spatio octo dierum debet visitatio intimari.

Con-

Congregationis Priorem, vel (eo absente) Vicarium, & illis adhuc accedere recusantibus, absque illorum interuentu dicta loca visitare iuxta sibi concessam in prædicta cōcordia facultatem. Sicque, & non aliter per quoscunque Iudices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores iudicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inane quidquid secus super his à quoquam quauis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus.

§. 3. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus apostolicis, ac Ordinis, & Congregationis prædictorum, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, priuilegijs quoque, indultis, & literis apostolicis eisdem Ordini, & Congregationi, illiùsque Superioribus, & Fratribus in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & approbatis. Quibus omnibus, & singulis eorum tenores præsentibus pro expressis, & ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxàt specialiter, & expressè derogamus, ceterisq; contrarijs quibuscunque.

Datum Romæ apud S. Marcum, sub Anulo Piscatoris die decimatertia Iulij, Millesimo sexcentesimo quarto, Pontificatus nostri anno decimotertio.

Constit. V.

Ex Breue originali sub Anulo Piscatoris, quod Romæ asseruatur in Archiuo Ordinis. num. 5.

Summarium.

Recursus ad Tribunalia secularia prohibetur sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, & recursus forma præscribitur à Priore ad Prouincialem, ad Generalem, ad Protectorem, ad Sanctam Sedem.

CLEMENS PAPA OCTAVUS.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. 1. QVoniam nostro pastorali potissimum incumbit officio, vt ea, quæ per regulares personas contra eorum regularia instituta temerè attentatur, quantum Nobis ex alto conceditur, opportunis remedijs compescamus, & amoueamus. Proinde quia nuper dilecto filio Magistro Hippolyto Rauennati Priore Generali Ordinis Eremitarum S. Augustini, non sine animi nostri molestia referente accepimus, quòd nonnullæ dicti Ordinis etiam vtriusque sexus regulares personæ, Dei timore postposito, & suæ professionis immemores, vt in eorum malefactis, & inobedientia se diutiùs confoueant, ab ijs, quæ per Prælatos eiusdem Ordinis, & Priores Prouinciales, & alios Superiores ab ipso Priore Generali pro tempore deputatos, acta sunt, & decreta, ad Tribunalia secularia appellare, & ad ea temerè confugere consueuerunt, in non modicam iurisdictionis ipsorum Superiorum læsionem, & regularis instituti alterationem, ac scandalum plurimorum.

§. 2. Nos præmissis obuiare volentes, vniuersis, & singulis dicti Ordinis vtriusque sexus regularibus personis cuiuscunque dignitatis, status, gradus, & conditionis existentibus,

Recurrentes ad Tribunalia secularia excommunicatur.

bus, apostolica auctoritate tenore præsentium præcipimus, & mandamus, eisq; sub excommunicationis latæ sententiæ, à qua nonnisi à Nobis, seù Romano Pontifice pro tempore existenti (præterquam in mortis articulo) absolui possint, necnon priuationis perpetuæ officiorum per eos obtentorum, & inhabilitatis ad illa, & alia quæcunque dicti Ordinis officia exercenda, ac vocis tàm actiuæ, quàm passiuæ eò ipso absque alia declaratione, incurrendis pœnis districtiùs inhibemus, ne ad ipsa Tribunalia secularia quouis prætextu, aut quæsito colore appellare, vel ad illa cōfugere, aut ea propterea quoquo modo adire audeant, vel præsumant: sed si à Prælatis grauari prætendant, ad Priorem Generalem ipsius Ordinis, seù illius Protectorem, aut Viceprotectorem, siuè Romanū Pontificem pro tempore existentē, supremum in Ecclesia Dei Iudicem, sicut antiquitùs semper facere consueuerunt, recursum habeant, vndè illis breui manu iustitia ministrabitur. Volentes, & ita declarantes, quòd nedum dicti Ordinis regulares personæ contrafacientes, verùm etiā eorum quomodolibet directè, vel indirectè fautores, & consultores easdem personas eò ipso incurrāt: Decernentes irritum, & inane quidquid secus super his à quoquam quauis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Et priuantur voce, & officijs, & gradibus.

Recursus Ordinis præfigitur.

§. 3. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus apostolicis, ac quibusuis, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis statutis, & cōsuetudinibus, priuilegijs quoque, indultis, & literis apostolicis in contrarium quomodolibet concessis, cō firmatis, & innouatis: Quibus omnibus eorum tenores, ac si de verbo ad verbum exprimerentur, & insererentur, præsentibus pro sufficienter expressis, & insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxàt ad effectum præsentium specialiter, & expresšè derogamus, ceterìsque contrarijs quibuscunque.

Datum Romæ apud S. Petrum, sub Anulo Piscatoris, die vigesima tertia Nouembris, Pontificatus nostri anno decimo tertio.

Constit. VI.

Ex Breue originali sub Anulo Piscatoris, quod Romæ asseruatur in Archiuo Ordinis. nu. 6.

Summarium.

Recurrentes ad fauores seculares priuātur voce actiua, & passiua: Superiores fauorum intuitu gratias concedentes sunt excommunicati.

CLEMENS PAPA OCTAVVS. *1605.*

Ad perpetuam rei memoriam:

§. 1. QVoniam nemo debet sibi assumere honorē, nisi vocatus à Deo tanquàm Aaron, & à regularis vitæ instituto valdè alienum est, vt Religiosi viri, quos honorum, & dignitatum gradus, sanctitate vitæ, ac alijs religiosis virtutibus potiùs promereri, quàm appetere, eòsq; gradus, cū ad eos assumuntur, obedienter suscipere, susceptòsq; humiliter administrare decet; mendicatis (seculariū præsertim personarum) studijs, ad eos sibi aditum patefacere contendant,

dant, vnde magna in Ecclesia Dei pernicies adferri solet. Nos, qui pro nostri muneris debito, in hoc potissimùm laborare non desistimus, vt ecclesiastica, regularisq; disciplina pristino candori restituatur, huic malo oportunum remedium adhibendum censuimus.

§. 2. Cum itaque (sicut accepimus) quidam in Ordine Eremitarũ S. Augustini, professionis, & regulæ, quam professi sunt, penitùs immemores, nimiàq; dignitatum, & officiorum ecclesiasticorum in dicta Religione consequendorum ambitione ducti, pro ijs consequendis, ecclesiasticorum, & secularium Principum studia requirant, & à S.R.E. Cardinalibus, alijsq; Prælatis commendatitias literas, aliòsq; fauores, & gratias propterea expetant: quibus adiuti, quos ipsi ex se promeruisse minimè confidunt, gradus, & dignitates in eadem Religione consequi valeant; sicq; eiusdem Religionis quietem, non sinè animarum suarum periculo, perturbant.

§. 3. Nos malum hoc ab eodem Ordine, & Religione, cuius prosperum regimen, & incrementum, ad Ecclesiæ sanctæ vtilitatem, synceris exoptamus affectibus, pro nostra pastorali solicitudine propellere summoperè cupientes; Motu proprio, & ex certa nostra scientia, ac de apostolicæ potestatis plenitudine, eos omnes, & singulos Fratres dicti Ordinis, & Religionis, cuiuscunque status, gradus, conditionis, præeminẽtiæ, qualitatis, & dignitatis existentes, qui de cetero ad prælaturas, gradus, honores, dignitates, administrationes, functiones, & alia officia dicti Ordinis, & Religionis assequenda intenti, ad Principum, & Prælatorũ, ac aliarum quarumcunque personarum tàm ecclesiasticarum, quàm secularium, de gremio dictæ Religionis non existentium, etiam Cardinalatus honore, ac quacunque seculari dignitate, & excellentia, etiam Imperiali, Regali, & Ducali fulgentium, fauores recurrerint, vel etiam pactis, pollicitationibus, alijsq; vijs directè, vel indirectè, palàm, vel occultè, ad prælaturas, gradus, honores, dignitates, administrationes, functiones, & alia officia prædicta obtinenda aspirauerint, vel alijs minùs legitimis, & honestis rationibus ea obtinere quæsiuerint, aut etiam spontè oblatis, & minimè conquisitis vsi fuerint, illorùmq; complices, & fautores, ad quascunque prælaturas, dignitates, & officia, gradùsque, honores, administrationes, & munera in ipsa Religione obtinenda, perpetuò inhabiles declaramus, ac obtentis per eos prælaturis, gradibus, honoribus, dignitatibus, administrationibus, functionibus, & officijs huiusmodi eò ipso priuamus, ac priuatos, voce tàm actiua, quàm passiua carere decernimus, & declaramus.

Recurrẽtes ad fauores seculares priuantur obtẽtis, & voce actiua, & passiua.

Complices, & fautores in eadẽ pœna.

§. 4. Atque in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub excommunicationis latæ sententiæ pœna omnibus dicti Ordinis, & Religionis Fratribus, Superioribùsque, & Prælatis, quocunque titulo nuncupatis, etiam Priori Generali, præsentibus, & futuris præcipimus, districtèq; mandamus, ne quempiam vllo tempore, precibus, literis, vel fauoribus adducti, vel aliàs ad instantiam, seù requisitionem, vel contemplationem Principum, vel Prælatorum, aut aliorum quorumcunque tàm secularium, quàm ecclesia-

clesiasticarum extra dictum gremiũ existentium, etiam Cardinalium, Imperatoris, Regum, Ducum, ad cuiusuis generis prælaturas, gradus, honores, dignitates, administrationes, functiones, & officia prædictæ Religionis promouere, vel pœnas aliquas remittere audeant, vel præsumant. Decernentes, electiones, & promotiones ad monasteria, seù prioratus, vel officia dicti Ordinis, & Religionis contra præsentium dispositionem (quod absit) quandocunque faciendas, & pro tempore obtentas, nullas prorsus, inualidásq; fore, & esse, nullísq; iuribus subsistere.

§. 5. Ac omnes, & singulos, in præmissis delinquentes, nulla alia monitione præcedente, & absq; processu desuper habendo, sententias, & pœnas præmissas irremissibiliter eo ipso incurrere, & ad illas sententias, & pœnas præmissas damnabiliter incurrisse legitimè probandum, & omninò conuincendum, solas præmissarum personarum instantias, preces, & fauores, etiam oretenùs porrectas, plenam, indubiam, & sufficientem in iudicio, & extra, fidem facere, nec ad id probationis alterius adminiculum requiri. Et ita per quoscunque Iudices, & Commissarios quauis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, & S. R. E. Cardinales, sublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate iudicari, & diffiniri debere, ac irritum quoque, & inane, si secus super his à quoquã, quauis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 6. Non obstantibus quibusuis Apostolicis, ac in Prouincialibus, & Synodalibus Concilijs editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, & ordinationibus, ac Ordinis, & Religionis huiusmodi iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis statutis, & cõsuetudinibus, priuilegijs quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium quomodolibet, concessis, approbatis, & innouatis: Quibus omnibus eorũ tenores præsentibus pro expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxàt specialiter, & expresè derogamus, contrarijs quibuscunque. Aut si prædictis Fratribus, vel quibusuis alijs communiter, vel diuisim ab Apostolica sit Sede indultũ, quòd interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

§. 7. Vt autem harum literarum notitia ad omnes dicti Ordinis Eremitarum Fratres faciliùs deueniat, volumus, illas etiã in Capitulis Prouincialibus, seù Congregationibus, & postea in Capitulo generali publicè legi, illásq; in dictis Capitulis Prouincialibus, seù Congregationibus, & Capitulo generali lectas sic arctare, ac si legitimè vnicuique intimatæ fuissent: illarùmq; exemplis etiam impressis manu Scribæ dicti Capituli, vel Notarij publici subscriptis, & sigillo Prioris Generalis ipsius Religionis, vel alterius personæ in ecclesiastica dignitate cõstitutæ obsignatis, eandem prorsus fidem haberi, quæ præsentibus haberetur, si eædem exhiberentur.

Datum Romæ apud S. Petrum, sub

sub Anulo Piscatoris, die prima Decembris, Millesimo sexcentesimo quarto, Pontificatus nostri anno decimotertio.

Constit. VII.

Ex Impressione Camerali asseruata Romæ in Archiuo Ordinis. num. 7.

Summarium.

Vbique terrarum Fratres Ordinis recitare possunt Officium diuinum, & Missam celebrare Beati Ioannis de Sancto Facundo.

1603. CLEMENS PAPA OCTAVVS.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. 1. BEatorum virorum, qui cum Christo gaudent in Cælis, memoriam in terris ad Dei gloriam, & piorum Christifidelium ædificationem, propagare libenter curamus, cum præsertim Catholicorum Regum, & piorum Principum, & aliorum fidelium vota id exposcunt, ac aliàs in Domino salubriter conspicimus expedire. Aliàs siquidem à Nobis emanarunt literæ tenoris subsequentis, videlicet.

§. 2. Ad perpetuam rei memoriam. Quæcunque ad diuinum cultum, & piorum Christifidelium erga Beatos viros pietatem, & deuotionem augendam pertinent, ea libenter concedimus, seù aliàs prouidemus, prout in Domino conspicimus expedire.

§. 3. Sanè postquàm claræ memoriæ Ferdinandus Rex Catholicus fel. recor. Alexandri Papæ Sexti, & eiusdem Ferdinandi exemplum secutus Carolus eius nominis Quintus Romanorum Imperator, Paulo Papæ Tertio, & deinde Philippus Secundus Hispaniarum item Rex Catholicus Pio Quinto, Gregorio Decimotertio, Sixto Quinto Romanis Pōtificibus prædecessoribus nostris, ac demùm idem Philippus Secūdus Nobis supplicarunt, vt Beatus Ioannes à Sancto Facundo Ordinis Eremitarum S. Augustini in Hispaniæ Regnis fidei zelo, vitæ sanctimonia, & miraculis clarus in Sanctorum numerum adscriberetur.

§. 4. Charissimus in Christo filius noster Philippus Tertius Hispaniarū etiam Rex Catholicus, non solùm Regnorum, sed paternarum etiam virtutum, ac pietatis præcipuè hæres negotium huius Canonizationis ad optatum finem perduci cupiens, sæpiùs per dilectum filium Nobilē virum Antonium de Cardona, & Corduba Suessæ Ducē, suum apud Nos, & Sedem Apostolicam Oratorem, & dilecti filij Collegium maximum, & Collegiales, ac Capellani, & personæ S. Bartholomæi Ciuitatis Salamatinensis nuncupatæ, ex cuius gremio, & ex quorum Collegialium, & Capellanorū numero dictus Beatus Ioannes, dum viueret, fuit, per dilectum filium etiam Magistrum Andream Fernandez de Corduba Capellanum nostrum, & Sacri Palatij Apostolici causarum Auditorē, eiusque Collegij collegam, necnon dilecti filij Prior, & Fratres Conuētus S. Augustini Salamantinēsis, ac Prouincialis, & Fratres eiusdem Ordinis Prouinciæ Castellæ per dilectum filium Fratrem Aloysium de los Rios in sacra Theologia Magistrum eiusdem Ordinis professorem, & ipsorū Procuratorē in Romana Curia exi-

stentem à Nobis nouissimè suppliciter petierunt, vt huic causæ iamdiù sub tot Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris inchoatæ, tandē aliquando finē imponere vellemus.

§. 5. Nòsq; in grauissima hac deliberatione maturo, vt decet, consilio vtentes, antequàm aliquid in præmissis statuamus, processum super puritate vitæ, ac miraculorum veritate ipsius Beati Ioannis ab anno Millesimo quadringētesimo octuagesimo octauo in Ciuitate Salamantinensi factum, necnon testes super eiusdem vita, & miraculis anno videlicèt Millesimo quingētesimo vigesimoquinto, & deinde etiam Millesimo quingentesimo quadragesimo secundo pluries receptos, priùs à dilectis filijs Magistris Hieronymo Pamphilio, & Ioanne Garzia Millino Capellanis nostris, & Sacri Palatij nostri causarum Auditoribus diligenter recognosci, & examinari iussimus: & habita ab ipsis Hieronymo, & Ioanne Garzia relatione, dictum processum in forma probanti confectum fuisse, & testes ritè, ac rectè examinatos fuisse comperimus de Venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium super Sacris Ritibus deputatorum, quibus totum hoc negotium examinandum commisimus, votòque, atque sententia pijs eiusdem Philippi precibus, ac Collegij maximi Sancti Bartholomæi, & illius Collegialium Capellanorum, & personarum, necnon Prioris, & Fratrum Conuentus Sancti Augustini Salamantinensis, & Prouincialis, ac Fratrū eiusdem Ordinis Prouinciæ Castellæ prædictorum deuotione aliqua ex parte duximus satisfaciendum.

§. 6. Supplicationibus itaque eorum nomine Nobis super hoc porrectis, inclinati, ipsis Prioribus, & Fratribus eiusdē Ordinis dictæ Prouinciæ Castellæ, vt in eorum ecclesia S. Augustini dictæ Ciuitatis Salamantinensis, in qua dictum Collegium Maximum, seù Collegiales, & Capellani, ac personæ S. Bartholomæi nuncupatæ, quolibet anno in die obitus Beati Ioannis, vnà cum dictis Fratribus congregari, & conuenire consueuerunt, & in qua similiter dicti Beati Ioannis corpus quiescit, & magna cum veneratione, populìque deuotione asseruatur, Officium, ac Missam de Communi vnius Confessoris non Pontificis de dicto Beato Ioanne iuxtà Rubricas Breuiarij, ac Missalis Romani, die scilicet duodecima mensis Iunij, in qua die licèt ipse Beatus Ioannes die vndecima eiusdem mensis obdormiuit in Domino, ob festum S. Barnabæ Apostoli, quod in eundem diem vndecimum incidit, huiusmodi Officium transferendum duximus, vnà cum dictis Collegialibus Capellanis, & personis dicti Collegij, liberè, & licitè celebrare possint, auctoritate apostolica tenore præsentium concedimus, & indulgemus.

§. 7. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac eiusdem Conuentus, & Ordinis, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, ceterìsque contrarijs quibuscunque. Datum Romæ apud S. Petrum sub Anulo Piscatoris die decimanona Iunij, Millesimo sexcentesimo primo, Pōtificatus nostri anno decimo.

§. 8.

§. 8. Cum autem posteà memoratus Philippus Rex Catholicus, vniuersæ Ciuitatis, & ecclesiæ Metropolitanæ, & Cathedrales Regni Castellæ, & Legionis, ac multi Principes, & Proceres eiusdem Regni, præcipuè verò Nobilis Vir Franciscus de Sandoual Dux Lermæ, necnon Prælati, & aliæ personæ ecclesiasticæ, & seculares, Collegia, Religiones, & Vniuersitas Studij generalis Salamantinensis, & præcipuè vniuersus Ordo Fratrum Eremitarum Sancti Augustini per literas, supplicas, libellos, Oratorèsque, & Procuratores eorum respectiuè, ac nominatim per dilectum filium Nobilem virum Antonium Suessæ Ducem, dicti Regis Catholici apud Nos Oratorem, & per Magistrum Aloysium de los Rios Prouinciæ Castellæ Ordinis prædicti Fratrum Eremitarum S. Augustini Procuratorem, Nobis humiliter supplicari fecerint, vt canonizationem dicti Beati Ioannis de Sancto Facundo, prosequi, & interim supradictas literas extendere, & ampliare de benignitate apostolica dignaremur.

§. 9. Nos illorum supplicationibus benignè annuere volentes, ex voto Venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium super sacris Ritibus, & cæremonijs deputatorum, quibus hoc negotium examinandum, & Nobis referendum commisimus, quòsque singulos dilectus filius Magister Franciscus Penia Capellanus noster, & sacri Palatij Apostolici causarum Auditor, de prædicti Antonij Ducis, & Oratoris ordine, ac supradicti Philippi Regis Catholici nomine super eodem negotio diligenter informauit, præinsertas literas ad vniuersum Ordinem Fratrum Eremitarum Sancti Augustini auctoritate Apostolica tenore præsentium extendimus, ac eiusdem Ordinis Fratribus, ac Monialibus vniuersis, & singulis vbique terrarum existentibus, vt sicut vigore literarum prædictarum in Monasterio, & Ecclesia Sancti Augustini Ciuitatis Salamantinensis illius, & Prouinciæ Castellæ Fratribus licet Missam, & Officium de dicto Beato Ioanne recitare, ita in posterum in quacunque domo, & ecclesia dicti Ordinis vbique locorum, publicè, ac priuatim eodem modo Officium, & Missam de dicto Beato Ioanne recitare de Communi vnius Confessoris non Pontificis, iuxtà Rubricas Missalis, & Breuiarij Romani, non tamen sub duplici ritu (nisi vbi Corpus, vel pars insignis Reliquiarum eiusdem Beati Ioannis extiterit) ne Dominica impediatur, cuique illorum liceat, auctoritate, & tenore prædictis concedimus, & indulgemus. Non obstantibus omnibus illis, quæ in suprainsertis literis voluimus non obstare, ceterìsque contrarijs quibuscunque.

§. 10. Volumus autem, vt præsentium transumptis, etiam impressis manu Notarij publici, & sigillo alicuius personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem ipsa fides habeatur, quæ eisdem præsentibus haberetur.

Datum Tusculi sub Anulo Piscatoris, die decima quinta Octobris, Millesimo sexcentesimo tertio, Pontificatus nostri anno duodecimo.

Constit. VIII.

Ex Breue originali sub Anulo Piscatoris, quod asseruatur Romæ in Bibliotheca Angelica in Conuentu S. Augustini.

Summarium.

Angelus Rocca Episcopus Tagastensis, & Sacri Palatij Sacrista, Conuentui, cui voluerit, potest donare Bibliothecam à se acquisitam, è qua sub pœna excommunicationis nihil extrahi potest.

A tergo

Dilecto filio Angelo Roccæ à Camerino Ordinis Fratrum Eremitarum S. Augustini professo, ac in sacra Theologia Magistro, & familiari nostro.

1595. *CLEMENS PAPA OCTAVVS.*

Dilecte fili Salutem, & Apostolicam benedictionem.

§. 1. QVæ Nobis, ac alijs prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus in Typographia nostra Vaticana diù, noctùq; inseruiendo præstitisti, & adhuc præstare non desinis grata obsequia; tuàque probitatis, & virtutum merita iurè poscũt, vt honestis petitionibus tuis, quantum cum Domino possumus, libenter annuamus.

§. 2. Cum itaque sicut Nobis nuper exponi fecisti, Tu Bibliothecam, librorum copia, necnon sacrarum rerum, & Sanctorum, illustriùmq; virorum imaginibus, alijsq; picturis, ornamentis, atque compendijs, siuè tabulis ad varias artes, & scientias spectantibus in modum arborum memoriæ viuandæ causa cõscriptis; mappis etiam, siue iconibus, ad Cosmographiam, Geographiam, & Chorographiã pertinentibus, sphæris item, & globis, vniuersam mundi molem repræsentantibus, instrumẽtisq; mathematicis refertam, summo labore, industria, & impensa comparaueris, eàmq; in dies magìs instruere, & ornare intendas, cupiàsque pro tuo in Eremitanam Religionem matrem, & altricem tuam pietatis, ac grati animi studio illam alicui Conuentui eiusdem tui Ordinis, siuè sit Prouinciæ, siuè Congregationis, per te eligendo, in quo præfata Bibliotheca, & omnia, & singula in ea existentia ad maiorem Religiosorum eiusdem tui Ordinis, in liberalibus artibus, ac sacra præcipuè Theologia, progressum, & studiosorum commoditatem perpetuò cõseruentur, relinquere, Nobìsque propterea humiliter supplicari feceris, vt tuo huiusmodi pio, & laudabili voto, ac desiderio annuere ex benignitate apostolica dignaremur.

§. 3. Nos te specialibus fauoribus, & gratijs prosequi volentes, & à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, alijsq; ecclesiasticis sententijs, pœnis, & censuris, à iure, vel ab homine quauis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existis, ad effectum præsentium dumtaxàt consequendum harum serie absoluentes, & absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, Tibi, vt de Bibliotheca tua prædicta, ac omnibus, & singulis illius libris, figuris, imaginibus, ornamentis, alijsq; superiùs expressis, nunc in ea existentibus, & quæ tu in dictam Bibliothecam deinceps contu-

contuleris ad quamcunque quantitatem, & valorem ascendant, & cuiuscunque qualitatis, & conditionis fuerint, ad cuius malueris domus, seù Conuentus tui Ordinis, siuè (vt præfertur) Prouinciæ, siuè Congregationis fuerit, fauorem disponere, illàmque, illos, & illa eidem domui, seù Conuentui, tàm titulo donationis inter viuos, quàm causa mortis, aut testamento, vel codicillis, sub conditionibus tibi benè visis, licitis tamen & honestis, ac Religioso viro, & dicto Ordine tuo dignis, super quo tecum oportunè per præsentes dispensamus, relinquere, donare, & elargiri liberè, & licitè valeas, auctoritate apostolica, tenore præsentium, licentiam, & facultatē concedimus, & impertimur, ipsàmq; Bibliothecā, & alia omnia supradicta in ea nunc existentia, & quæ in posterum in ea existent, post tuum obitum ad domum, seù Conuentum, cui tu illa, modo, & forma per te perscribendis, dederis, seù reliqueris, aut ad cuius fauorem aliàs (vt præfertur) disposueris, liberè pertinere, & spectare debere, neque super illa, vel illis, aut aliqua ipsorum parte, Cameram nostram Apostolicam, aut Ordinem ipsum, aut quemuis alium, ius habere, aut quauis causa, & quæsito colore prætendere posse, sicq; per quoscunque Iudices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, & S.R.E. Camerarium, & Thesaurarium generalem, & Præsidentes Clericos eiusdē Cameræ, ipsòsq; Ordinis prædicti Superiores, & Religiosos, sublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, vel interpretandi facultate, & auctoritate iudicari, & diffiniri debere, irritum, & inane quidquid secus super his à quoquam quauis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus.

§. 4. Insuper, vt prædicta Bibliotheca, & omnia, & singula in ea contenta, integrè, & perpetuò conseruentur earundem tenore præsentiū statuimus, Bibliothecam ipsam cum omnibus superiùs expressis ex eadem domo, seù Conuentu, nullo vnquàm tempore à quocunque, etiam dicti Ordinis Generale, vel alio Superiore amoueri posse, sed in ea domo, ac Cōuentu semper conseruari debere.

§. 5. Quinimò si quispiam illam inde, aut etiam ex loco ad hoc destinando amouere, aut ex ea libros, figuras, imagines, & ornamenta, vel quæcunque alia supradicta, ac minimam cuiusque libri, aut alterius rei in illa existentis, & ad dictam Bibliothecam spectantis partem, etiam sub prætextu studendi in proprijs cellis, vel cubiculis, extrahere præsumpserit, illum eo ipso excommunicationis sententia innodatum existere; & si Conuentus, aut domus, cui tu ipsam Bibliothecam (vt supra dictum est) reliqueris, aut illius Priores, & Religiosi, vel alij eiusdem Ordinis Superiores, illam, aut aliquam eius quantumuis minimam partem vendere, aut quocunque modo alienare præsumpserint, vltrà præmissa Bibliotheca integrè cum libris, rebùsq; omnibus superiùs narratis, ad Cameram nostram Apostolicam pro Bibliotheca Vaticana eo ipso deuolui, ac deuolutam esse volumus, & declaramus.

§. 6. Non obstantibus quibusuis constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac prædictæ Cameræ,

& Ordinis tui, etiam iuramento, cõfirmatione apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, necnon iure filiationis eius Conuentus, in quo professionem emisisti, ac priuilegijs, indultis, & literis apostolicis in contrarium præmissorum quomodocunque concessis, confirmatis, approbatis, & innouatis, ceterisq; contrarijs quibuscunque.

Datum Romæ apud S. Petrum, sub Anulo Piscatoris, die decimasexta Februarij, Millesimo quingentesimo nonagesimo quinto, Pontificatus nostri anno quarto.

Constit. IX.

Ex Bullario Romano Laertij Cherubini sub Clemente Octauo Constitut. 104. tomo 3. pag. 154.

Summarium.

Diffinitur Habitus Fratrum Prædicatorum Ordinis S. Dominici, & Fratrum Eremitarum Ordinis S. Augustini.

1603. *CLEMENS PAPA OCTAVVS.*

Ad perpetuam rei memoriam.

§. 1. Ex iuncto Nobis pastoralis muneris debito, Religiosorum hominum, qui contẽptis illecebris seculi, diuinis se obsequijs manciparunt, quieti, & tranquillitati præcipua quadam, & singulari solicitudine prouidere tenemur, vt ijs omnibus sublatis, quæ illorum in via Domini progressum retardare possunt, maiori alacritate diuinis laudibus persoluendis, & Christifidelium saluti promouendæ incumbant.

§. 2. Aliàs siquidem cum inter dilectos filios Fratres Ordinis Prædicatorum S. Dominici, & Fratres Ordinis Eremitarum S. Augustini de habitus albi delatione, quo ita consimiles viderentur, vt si absque veste superiori nigra incedant, vix alter ab altero discerni queat, controuersiæ non sine ipsorum Fratrum perturbatione, & laicorum offensione, sæpiùs ortæ fuissent, nonnullæ Romanorum Pontificum prædecessorũ nostrorum, præsertim verò fel. rec. Alexandri Papæ Quarti constitutiones super ea re prodierunt. Et nuper eadem penè controuersia in Regnis Portugalliæ, & Algarbiorum insurgente, ac Fratribus S. Dominici, de præiudicio ab Ordine S. Augustini, ipsum habitum, etiam extra claustra deferente sibi illato conquerentibus.

§. 3. Nos eiusdem Alexandri, & aliorum Romanorum Pontificum priuilegia desuper concessa per literas nostras sub Datum Romæ apud S. Petrum, die duodecimo Martij 1597. seruari mandamus, prout in illis continetur. Verùm quia secuta ipsarum literarum promulgatione, dilectus filius noster Antonius tituli S. Mariæ Transtyberim Presbyter Cardinalis Saulius Protector, & dilectus filius Magister Franciscus Pereira Assistens pro Vltramontanis Prouincijs eiusdem Ordinis S. Augustini Nobis nomine prædicti Ordinis Sancti Augustini exposuerunt, neque per nostrorum prædictorum Prædecessorum constitutiones, neque per huiusmodi nostras literas suis Fratribus interdici amictum proprio instituto congruentem, & ab ineunte ferè Ordine gestari solitum, atque etiam

etiam ab eo, quo Fratres S. Dominici vtuntur, si vterque Ordo intra suos limites consistat, valdè dissimilem, ac exhibitis sui Ordinis constitutionibus, & iuribus, nuper humiliter supplicarunt, vt huic tàm diutinæ quæstioni, & molestiæ auctoritate nostra apostolica finem tandem imponere de benignitate apostolica dignaremur. Propterea Nos iussimus vtriusque Ordinis priuilegia, constitutiones, ac statuta per dilectos filios nostræ Visitationi, & Reformationi apostolicæ Præfectos diligẽtiùs examinari, partiùmq; ipsarum iura, & prætensiones audiri, ac maturiùs ponderari. Qui Reformatores auditis Magistro P. Fratre Ferdinando de Castro Procuratore Prouinciæ Portugalliæ Ordinis Prædicatorum, ac supradicto Francisco, visisq; constitutionibus, alijsq; iuribus vtrinque deductis, Nobis retulerunt, comperijsse, vestes albas tanquàm interiores per amborum Ordinum Fratres, ex proprijs institutis deferri posse, neque vllam inde oriri confusionem si superiorem illam nigram, qua inter se optimè distinguuntur, singuli iuxtà proprias institutiones gestarent.

§. 4. Nos controuersiæ huiusmodi perpetuum silentium imponere, & vtriusque Ordinis prædictorum, ex quibus in Ecclesia Dei vberes in dies fructus prodire solent, quieti prospicere volentes, Motu proprio, non ad dictorum Fratrum, aut aliorum instantiam, sed ex certa nostra scientia, ac de apostolicæ potestatis plenitudine, harum serie statuimus, & ordinamus, vt perpetuis futuris temporibus dicti Fratres Prædicatores S. Dominici cum cappa nigra,

Habitus Fratrũ Prædicatorum, & Fratrũ S. Augustini.

Fratres verò Eremitæ S. Augustini cum tunica etiam nigra ad instar propriarum constitutionum, non solùm in dictis Regnis, sed vbique locorum, tàm si in proprijs Conuentibus, & Ecclesijs eos actus exerceãt, in quibus habitum nigrum constitutiones iubent adhiberi, præcipuè verò in ecclesia, dum confessiones audiunt, Conciones, seù lectiones ad populum habent, quàm extra claustra in quibuscunque actionibus, & functionibus, etiam in itinere, & ad prædia licèt Vrbibus, Oppidis, aut Monasterijs viciniora, animi gratia accedentes, semper incedere debeãt, & teneantur. Ac propterea in virtute sanctæ obedientiæ sub indignationis nostræ pœna eisdem vtriusque Ordinis Fratribus districtiùs inhibemus, ne absque habitu nigro vtrique Ordini constituto, ac propriæ professionis protestatiuo, etiam dum in Conuentibus, & Ecclesijs supradictis actiones exercent, neque extra claustra, præterquam in ædibus, & viridarijs prædiorum suorum, vllo vnquam tempore, aut quouis prætextu patenter deambulare: & vlteriùs dictorum Ordinum Superioribus, & Fratribus vniuersis, & singulis sub excommunicationis latæ sententiæ pœna eo ipso incurrẽda mandamus, ne deinceps in perpetuum, super hoc litem, aut molestiam aliquam, Superiores nimirum, & Fratres Ordinis Prædicatorum Superioribus, & Fratribus Ordinis Eremitarum, nec vicissim Superiores, & Fratres Ordinis Eremitarum ipsis Superioribus, & Fratribus Ordinis Prædicatorum huiusmodi inferre audeant, seù præsumant.

Vbi sit deferendus habitus albus.

Et vbi sit deferendus habitus niger.

§. 5. Nos enim quamcunque litẽ super

ſuper hoc moram ad Nos harum ſerie auocamus, illàmq; penitùs extinguimus, ac vtrique parti per hanc noſtram conſtitutionem perpetuùm ſilentium imponimus, ac impoſitum eſſe volumus, & declaramus.

§. 6. Ac præſens literas nullo vnquam tempore de ſubreptionis, vel obreptionis vitio, ſeù intentionis noſtræ, vel quopiam alio defectu, ex eo quod dicti Fratres ad hoc vocati non fuerint, notari, impugnari, inualidari, aut ad terminos iuris reduci, ſeù in ius, vel controuerſiam reuocari. Sìcq; per quoſcunque Iudices, & Commiſſarios, quauis auctoritate fungentes, etiam cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores, & S.R.E. Cardinales, ſublata eis, & eorum cuilibet, quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, vbìque iudicari, & diffiniri debere: necnon irritum, & inane quidquid ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus.

§. 7. Quocirca Venerabilibus fratribus Archiepiſcopis, Epiſcopis, & alijs locorum Ordinarijs, ac dilecto filio cauſarum Curiæ Cameræ Apoſtolicæ generali Auditori per præſentes motu ſimili mandamus, quatenus ipſi, vel duo, aut vnus eorum, per ſe, vel alium, ſeù alios, præſentes literas, & in eis contenta quæcunque, vbi, & quando opus fuerit, & quoties pro parte dictorum Fratrum, ſeù alicuius eorum fuerint requiſiti, ſolemniter publicantes, eìsq; in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtẽtes, faciant auctoritate noſtra, omnia, & ſingula præmiſſa inuiolabiliter obſeruari. Contradictores quoſlibet, & rebelles, ac præmiſſis non parentes, per ſententias, cenſuras, & pœnas eccleſiaſticas, aliàq; oportuna iuris, & facti remedia, appellatione poſtpoſita compeſcendo, inuocato etiam ad hoc (ſi opus fuerit) auxilio brachij ſecularis.

Epiſcopi requiſiti executores conſtituũtur.

§. 8. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac vtriuſque Ordinis prædictorum, etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, priuilegijs quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum eiſdem Ordinibus, aut cuicunque illorum conceſſis, confirmatis, & approbatis, ceterìsq; contrarijs quibuſcunque.

§. 9. Volumus autem, vt præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo alicuius perſonæ in dignitate eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Datum Tuſculi, ſub Anulo Piſcatoris, die ſecunda Octobris, milleſimo ſexcenteſimo tertio, Pontificatus noſtri anno duodecimo.

Conſtit. X.

Ex Breue originali, quod Romæ aſſeruatur in Archiuo Ordinis. nu. 10.

Summarium.

Confirmantur decreta Andreæ Fiuizanij pro conſanguineis Vocalibus non recipiendis in eodem Capitulo, in primo, & ſecundo gradu.

CLE-

CLEMENS PAPA OCTAVVS.

Ad perpetuam rei memoriam:

§. 1. Vniuersalis Ecclesiæ regimini, meritis licèt imparibus, diuina disponente clemētia præpositi, ac impositi Nobis apostolici muneris officium ad eiusdem Ecclesiæ exaltationem exequi, coadiuuante Domino, cupientes, ea libēter apostolicæ confirmationis robore communimus, quæ ad Religiosorū in eadem Ecclesia Dei assiduè laborantium prosperum regimen, & felicem directionem ab eorum Superioribus prouidè statuta, & ordinata esse noscūtur, prout eorum Religiosorum statui, ac aliàs in Domino salubriter conspicimus expedire.

§. 2. Nuper siquidem dilectus filius Andreas Fiuizanus Ordinis Fratrum Eremitarum S. Augustini Prior Generalis salutaria quædam ad rectum totius Eremitarū Ordinis prædicti gubernium pertinentia decreta edidit in hanc formam, videlicet.

§. 3. Frater Andreas Fiuizanus Ordinis Eremitarum S. Augustini Prior Generalis indignus. Venerabilibus in Christo dilectis quarumcūque Prouinciarum, siuè Congregationū eiusdem Augustinianæ familiæ Patribus, Vicarijs nostris Generalibus, ac Visitatoribus, Prouincialibus, Prioribus, Fratribùsq; vniuersis, Salutem in Domino sempiternā. In eminēti nostri huius Ordinis specula, cui nos prætulit diuina Maiestas, immoto intuitu vigilantes, vt ex hac quasi arce nostram vniuersam refugij Ciuitatem apostolicis lapidibus fabrefactam, & Beati Augustini Parentis nostri laboribus in Christo Iesu Ecclesiæ fundamento ædificatam, inconcussam custodiremus; cuncta hinc emimus, lustrauimus: monentes interdum, interdum minantes: nunc annuentes, nunc renuentes: tutantes fortia, munientes imbecilla: iam proprijs conatibus, pijsq; studijs, atque consilijs nostræ Religionis professoribus insidias inimicorum detegentes: vt hìc, quo aufugibus tanquàm in oram fluctuantis seculi tutissimam, tamdiù moraremur, donec Paradisi portum, fidissimam nostris carinis stationem attingeremus. In hoc igitur munere versantes, hoc vnum nostro desiderio superesse conspeximus, vt vos omnes dilectissimos Fratres ore ad os inuiseremus, viciniori oculo omnia consiceremus, & districtiori, certiorìq; notitia, singula (vt par est) nosceremus. Vetuit hoc temporum criminosa iactura, nostrùmq; tàm salutare institutum (Deo tamen ad meliùs omnia transferente) hucusque effectu priuauit. Nolumus tamen, vt interdum silentio pereant, quæ nostro edicto instaurari, & diutissimè viuere possunt: quo enim Nos ipsi peruenire non possumus, nostra perueniet vox, per quam intelligent Religiosi, quid singulis, quid omnibus sit agendum. Clarissimum equidem habemus classiariū, magnum scilicèt Patrem eundem Beatum Augustinum, Hæreticorum fortissimum malleum, & Christiani exercitus inuictissimum defensorē, sanctam veneramur Regulam, tanto charitatis ardore institutam; iustas ferimus cōstitutiones, à peritis, pijsq; Patribus constitutas, ita vt non desint arci munitiones, non munimenta; deest forsan ea obseruantia, ac vigi-

vigilantia militum, quam Nos semper desiderauimus, quotidie postulauimus, sæpè iussimus.

§. 4. Quarè in militum delectu cogitantes, de cetero cauẽdum esse arbitramur, ne illud (Hominem non habeo) languens clamet, & conqueratur Religio: Hæc igitur (diuino numine inuocato) in Nouitiorum receptione, & Superiorum electione iuxtà sacram Tridentinam Synodũ, ac Ordinis constitutiones in primis sancimus, & sancita obseruari mandamus.

§. 5. Animaduertentes totam regularis vitæ reformationem in humili paupertate, & necessaria commoditate, veluti duobus cardinibus positam esse, nostràmq; præcipuè Regulã sub Sanctis Apostolis fuisse constitutam, quibus etsi nulla esset possessio; nulla tamen erat egestas: seruiebant in siti, inueniebant vnde extinguerent; prædicabant in fame, occurrebat quomodo eam expellerent; ambulabant in frigore, & nuditate, acquirebant vti se operirent; quòd sacrum Concilium Tridentinũ optimè noscens sess. 25. capite præsertim secũdo apertè declarat, proinde & Nos proprietatẽ contagiosam vetantes, superflua prohibentes, paupertatem, quam vouimus, sub pœnis, quas nostis, mandantes, & cõmendantes; volumus, vt nostris Fratribus iuxtà Conuentuum facultatem, nihil necessarium denegetur.

Numerus Fratrum in Conuentibus præfigendus.

Quòd vt commodiùs exequutioni tradatur, id recolimus, in vniuerso Ordine perpetuò obseruandũ, quod tertio capite prædictæ sessionis continetur, quòd in Monasterijs tàm virorum, quàm mulierum, is tantùm numerus constituatur, ac in posterũ conseruetur, qui vel ex redditibus proprijs Monasteriorum, vel ex consuetis eleemosynis commodè possit sustentari. Ad cuius executionem Venerabilibus Prouincialibus, & Visitatoribus in meritum salutaris obedientiæ, & sub arbitrarijs pœnis præcipimus, vt in suis visitationibus singulorum Conuentuum, redditus, eleemosynarum quantitatem, locorum necessitatem, ac Missarum obligationes in visitationum calce significent. Quibus in Diffinitorium delatis, Patres Diffinitorij, primo post harum declarationem Capitulo, habito calculo, ac ratione singulorum Conuentuum, & Fratrum illius Prouinciæ numero computato, statuant quot Fratres singulis Monasterijs adscribi de familia possint, & in codice ad hoc deputato notent, atque chyrographo subscribant. Quam exactam Conuentuum indagationẽ in singulis Prouincialium, ac Visitatorum visitationibus faciendam, & in Diffinitorio referendam mandamus, vt iuxtà redditũum augmentũ, vel decrementum, numerus etiam Fratrum minui, vel augeri possit; & si inuenerint, quòd Fratrum numerus superet cœnobiorum facultatẽ, Fratres hos supranumerarios per omnes eiusdem Prouinciæ Conuentus respectiuè diuidant, & tunc in ea nullus recipiatur Nouitius, quousque huiuscemodi Prouinciæ Fratres ad eum redigantur numerum, quem sacrum Concilium præscribit, quod sub pœna priuationis vocis tàm actiuæ, quàm passiuæ, & cuiuscunque gradus, dignitatis, vel officij per decennium contra omnes, & singulos Superiores, Diffinitores, Visitatores, ceterosq; Patres cõtrafacientes ipso

facto

facto incurrenda præcipimus, & mādamus; nisi tamen quis vel nobilitatis genere, vel virtutum meritis ita præstans, vt Religioni vtilis valdè futurus sit, in Prouincijs Citramontanis habitum pro se petat, tunc nostra, vel Successoris nostri licentia impetretur: aliæ verò Prouinciæ Vltramontanæ ad hoc minimè teneantur, quando talis recipiendus à duabus partibus electorum fuerit receptus; cum ob moram, & magnam locorum distantiam aliqua inconuenientia inde sequi possint. Quapropter in singulis nostri Ordinis Capitulis, & Congregationibus Patres Diffinitorij post huiusmodi familiarum dispositionem videant, an illo biennio aliqui in illa Prouincia Nouitij recipi possint, aut debeant, & quidquid circa hoc statuerint, scribatur in actis Capituli, & executioni omninò mandetur, quo biennio tot tantùm Nouitios, quot prædicti Patres destinauerint sub eisdem pœnis recipi in ea Prouincia posse mandamus.

In recipiendis Nouitijs status Conuentus prius cognoscatur.

§. 6. Cum verò Nouitiorum electio, religiosi progressus præseferat indicia, quamobrem sedulam operā in electione militum adhiberi cernimus; nec immeritò constitutiones nostræ in decimonono tertiæ partis hanc prouinciam tanquàm grauissimam deputatis demandant. Volumus fel. rec. Sixti Papæ Quinti constitutionem à Gregorio Decimotertio confirmatam, necnon Ordinis constitutiones in prædicto Capitulo, & in primo secundæ partis, de ætate, & qualitate eorum, qui ad Ordinem sunt recipiēdi, diligenter obseruari, Nòsque & singula statuta à nostris Prædecessoribus facta, vel in Capitulis, siuè Congregationibus circa hoc instituta innouamus, & confirmamus, atque omnia prædicta respectiuè de Nouitijs vtriusque sexus recipiendis intelligenda esse decernimus, & declaramus; jubentes in vnaquaque Prouincia, vel Congregatione libellum edi debere, in quo prædictarum Bullarum, constitutionum, ac statutorum clausulæ huiusmodi seriatim conscribātur, ac Prouincialis, & Diffinitorū subscriptionibus muniantur. Cuius libelli tria saltèm fiant exempla, quorum aliud Prouincialis, aliud Nouitiorum Magister, aliud Prior præcipui Conuentus, vbi Nouitij recipi consueuerunt, habeant, vt Superiores, quænàm in Nouitiorum receptione obseruare debeant, optimè calleant; & cum quis in Fratrum numerum se cooptari instanter petierit, illi præfatas libelli conditiones præsignificent, aut præsignificandas curent, quibus attentis, si recipiendus nullam earum rationum sibi repugnantem norit, & exposuerit, memoriale conformiter edat, illùdq; Superiori, vel in hoc ab ipso specialiter delegato præsentet. Cuius exposita veritas, vt in lucem prodeat, & luce clarior approbetur, rigorosum indicimus examen, & informationem per duos Patres fidedignos faciendam, qui durante Capitulo, duo erunt ex Iudicibus causarū; expirato verò duo ex Deputatis Conuentus illius, vbi Nouitius recipiendus erit: quibus iuramentum præstet Superior, quòd quocunque humano respectu posthabito, diligenter, secretò, ac fideliter de singulis iuxtà libelli seriem se informent, & separatim scribant, atque subscribāt quidquid vel boni, vel

vel mali relatum inuenerint; deinde informationes illas simul cum memoriali, Superiori hoc deleganti tradant. Et si Superior, & duo prædicti Patres viderint informationes in essentialibus non respondere requisitis qualitatibus; tunc vel idem Superior, vel alius de eius mandato, charitatiuis verbis habitum petenti dicat, quòd eum Conuentus illo biennio recipere non potest &c. ac de illo ampliùs in ea Prouincia sub prædictis pœnis nullatenus agatur. At si dubia res fuerit, vel clara, quòd dictus recipiendus omnes habeat requisitas qualitates, tunc diebus tamen distinctis Patribus Cōsilij proponatur, qui visis omnibus in prædicto memoriali contentis, & informationibus deductis, seruent nostrarum constitutionum formam: At si negatiua sequatur conclusio; dicatur habitum petenti, vt supra; & sub eisdem pœnis, nunquam ampliùs de illo in ea Prouincia agatur. Si autē affirmatiua; tunc recipiendus ad iussum Superioris examinetur de sufficientia iuxtà formam prædictæ Constitutionis, & cum illum sufficienter edoctum, vel apprimè docilem inuenerint, Superior Conuentui præponat, eiq; quidquid circa recipiendū gestum fuerit, exponat, quod examinatores etiamsi is id annuerit, publicè faciant, vt omnes vocales perfectam adipiscantur notitiam recipiendi. Quibus votantibus si fuerit receptus, seruetur constitutio, & ad habitum loco, & tempore à Prouinciali signato, admittatur: sed si non fuerit receptus, tunc octo ad minus elapsis diebus, iterum Conuentui proponatur, quo in eadem sententia persistente, nullatenus de illo in toto Ordine ampliùs agatur. Si verò hac secunda vice fuerit receptus, tertia denuò proponatur, & tunc quidquid concludatur, executioni mandetur. Declarantes, quòd Instrumenta publica, & authentica licèt fidem generent sufficientem de parentibus, patria, nomine, cognomine, ætate, ac similibus, ad iudicialia pertinentibus, in illis tamen, quæ mores respiciunt personales, vitam, & generationem, prædictis tantùm Instrumentis acquiescendum prohibemus, sinè dictarum informationū accessione, vt iuxta dict. §. ca. Priscis, intrantes Religionem super conditione generis, & de statu examinentur, & fides indubitata de vnoquoque, in Ordine nostro professionem emissuro, habeatur. Hactenus quidquid supersit, non est silendum per nugas, iam dudum accepistis Canones, Apostolicas constitutiones audistis, leges nostras præ oculis, vt libuerit, habebitis; illuc in reliquis recurrite, ac si in alteram declinare lancem animo, vel casu duxeritis, arctiorem eligite viam, qua per reformationum tribulos, ad lætissimos, ac latissimos Cæli campos properamus.

Diligentia in receptione Nouitiorum adhibenda.

§. 7. Modò secundum aggrediamur institutū, ac difficilius. Egimus de Nouitijs, agamus de ceteris, quibus munia Religionis demādantur. In quorū electionibus tria cupimus præ ceteris obseruari: Primò canonicam attendentes electionem, præcipimus, quòd in Prouincialibus Capitulis Pater Præsidens postquàm fuerit acceptatus, & Officiales Capituli iuxtà constitutiones parte tertia, capite septimo elegerit, priusquam vocales ad Prouincialis electionem nomi-

nominentur, Prouinciæ visitationes publicè petat, & statim Prouincialis suas, Visitatores item suas afferat, illasq; præsentent. Qui Pater Præsidens simul cum Iudicibus causarũ, eas sedulò, ac breui discurrentes, si quem Capitularẽ inspexerint vocem habẽtem culpatũ, qui ob sua demerita officio, vel voce esset priuãdus, partibus auditis, ea breuitate, quæ tunc requiritur, causam recognoscãt, & iuxta nostri Ordinis leges diffiniant, sententiã singuli subscribẽtes. Qui, si prædictis videbitur, à Conuentu, vbi Capitulũ celebratur, discedere compellatur, & à loco à Patre Præsidente assignato sub pœna grauioris culpæ per duos menses discedere non audeat durãte Capituli celebratione. Et conscientur visitationes, vt iuxtà constitutiones in Diffinitorio reuideantur, & æquiùs familiæ ordinentur.

§.8. Secũdò, vt ambitionis, & dominandi cupiditatis semina radicitùs euellantur, statuimus, & declaramus, quòd qui per continuum sexennium Priores, Diffinitores, Visitatores, siuè Discreti, cuius electio omnino iuxtà formam constitutionũ fiat, alternatim, vel successiuè fuerint, dicto termino extincto, ad aliquod officiũ habẽs votum in Capitulo Prouinciali illius biennij, vel triennij eligi minimè possint. Ne tamen videamur Spiritui Sancto resistere, decernimus, quòd casu emergẽte, in quo Electores de communi omnium consensu, nemine penitùs discrepante quempiam ad quodcunque eligant officiũ, ratam, & validam fore electionem, hoc minimè obstante mandato.

Officiales per sexenniũ cõtinuũ, vacant.

§.9. Postremò, Religiosam eligentium libertatem fouentes, simultates, humanàsq; relationes dissecantes, Religionis beneficiũ prosequentes, & ad nostras electiones trãsferentes, decernimus, vt deinceps in Capitulis nostris Prouincialibus, aut Congregationibus, duo, vel plures in primo, vel secundo gradu cõsanguinei, vel affines, nullatenus simul conueniãt, & votare possint, & multò minùs Diffinitorum simul ingredi, & cõcurrere etiam ad tertium vsque gradum eodẽ biennio, vel triennio valeant, nec tales in præfatis gradibus primo, & secundo coniuncti, si fuerint sacerdotes vocẽ habentes, in eodem Monasterio cõuenualiter degere possint, nisi communi Patrũ Diffinitorij consensu per vota secreta accedente, scilicet in euidentibus casibus ineuitabilis necessitatis. Tunc verò ille, cum quo fuerit dispensandũ, toto dicto tẽpore intercedente in eo Cõuentũ voce passiua omninò careat, & actiuã in illis tantùm electionibus, aut propositionibus habeat, in quibus talis eius consanguineus non votauerit. Quãdo autẽ duo, vel plures huiusce modi consanguinei, vel affines votum casu aliquo haberent, ille tantũ, qui ratione officij digniorẽ locum habuerit, ad Capitulum accedat, ceteri verò nõ accedant, nec accedere permittãtur. At si contingat, quòd multi non ratione officij, sed legis, ac priuilegij cõcurrant, tũc professione antiquior, si voluerit, votare poterit. Et hæc, quę de consanguineis, & affinibus dicta sunt, ità declaramus, quòd illi, qui in officijs actualiter existunt, & vocẽ habent, ac in eodem Conuentu simul cõmorantur, eodem modo, & forma se in omnibus habeãt, sicut hactenus habuerũt, quousque suis officijs functi fuerint, & donec ad proximè celebrandi Capituli Prouincialis, vel Cõgrega-

Duo cõsanguinei votũ non habent in eodẽ Capitulo.

gregationis inchoationem exclusiuè in vnaquaque Prouincia peruentum fuerit; ita tamen quòd dicti consanguinei, siuè affines in nouis electionibus faciēdis in Capitulis prædictis, siuè Cōgregationibus minimè votare simul possint; nec post familiarū dispositionē, & illarum publicationem simul conuentualiter in eodē Conuētu degant. Nā etsi per prædicta alicui in præsentiarū præiudicare non intēdimus; nihilominùs in futurū pro cōi pace, & quiete Religionis, omnia, & singula prædicta in Capitulis, & Cōgregationibus proximè celebrandis executionē omnimodam habere volumus. Hæc sunt, charissimi, quæ circà Nouitiorū receptionem, & Superiorū electionem vobis proponenda duximus, ad plura, & maiora vos in dies hortaturi: quæ ne nostro sensu, vnico marte, aut proprio arbitratu digesta viderentur, super eis, nō solùm Illustriss. & Reuerendiss. D. Antoniū Cardinalem Saulium dignissimū Ordinis nostri Protectorem, sed etiam Sanctiss. D.N.D. Clementem Papam Octauū consulendū esse censuimus; qui paterna, ac Pontificia in vos charitate propensus, omnia prædicta auctoritate sua Apostolica approbauit, & confirmauit. Quarè oēs electiones, & Nouitiorū vtriusque sexus receptiones deinceps contra hasce nostras ordinationes factas, nullas, irritas, ac inualidas esse decernimus, & declaramus, quibuscunque in contrarium non obstantibus. Quicunque verò postquàm præsentium literarū notitiam habuerint, illarum effectum per se, vel per alium quomodolibet, & quotcunque prætextu etiam ad Nos rescribendi, & informandi, impedire, mutare, vel prorogare ausi fuerint, in sententiā excōicationis, quam in his scriptis (licèt inuiti) ferimus, trina canonica monitione præmissa, ipso facto incurrant, à qua absolui à nullo Nobis inferiore possint: & nihilominùs eosdē omni dignitate, officio, ac immunitate perpetuò priuatos iudicamus, & declaramus, & sub eisdem pœnis Superiores omnes in suarum Prouinciarū Conuentibus prædictas literas, vbi primùm ad eorum manus peruenerint, publicari, & ad omnium notitiā deduci, ac Fratribus conuentualiter congregatis publicè legi faciant. Vestrū est fratres in Christo dilectissimi, iussis obtēperare, & quam proponimus boni regiminis rōnem libēter amplecti: Reformamini igitur viri Fratres, reformamini in nouitate sensus vestri, donec formetur Christus in vobis, qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratū corpori claritatis suæ: Accipite loricā fidei, arma iustitiæ assūmite, & induimini Dūm Iesum Christum, viriliter agite, & confortetur cor vestrū, scientes non laureā, aut ex corruptibili materia compositam vobis promissam esse coronā, sed ex perfectissimo cælestis beatitudinis auro inter cælestes beatorū spirituum choros per Saluatorem nostrū sufficienter elaboratā, quæ militibus præparatur, prælliantibus monstratur, & vincētibus donatur: Hanc Fratres vobis acquirite, Nobisq; vestris orationibus, pijsq; operibus obtinete. Benè in Domino valete. Datum Romæ die decima sexta Februarij, Millesimo quingentesimo nonagesimo sexto. Nostri officij affixo paruo sigillo. Frater Andreas Fiuizanus Generalis Indignus.

§. 10. Hæc autē decreta prout ipse Andreas Prior Generalis pro bono

sui

sui Ordinis regimine, zelo Religionis ductus, edidit sic, vt par est, à suis Religiosis humiliter recipi, & prompta obedientia executioni demandari cupit: Verùm Nobis priùs examinanda, & Apostolicæ confirmationis robore approbanda, ea (qua decuit) reuerentia, proposuit, ac humiliter supplicari fecit, vt piæ suæ intentioni in præmissis oportunè fauere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui in his auctoritatis nostræ partes libenter interponimus, quæ ad Religiosorũ statum prosperè dirigendum pertinent, eiusdẽ Andreæ Prioris Generalis pijs votis benignè annuere volentes; decreta, & ordinationes supradictas, quæ à dilecto filio nostro Antonio tituli S. Stephani in Monte Cœlio Presbytero Cardinali Saulio eiusdẽ Ordinis apud Nos Protectori diligẽter examinari voluimus; quæque ex ipsius etiam Antonij Cardinalis approbatione prædicti Ordinis prospero regimini valdè vtilia fore accepimus; Apostolica auctoritate tenore præsentiũ perpetuò confirmamus, & approbamus, illisq; perpetuæ, & inuiolabilis apostolicæ confirmationis robur adijcimus; ac omnes, & singulos tàm iuris, quàm facti defectus (si qui in eisdẽ interuenerint) supplemus. Mandantes propterea in virtute sanctæ obedientiæ vniuersis, & singulis eiusdem Ordinis Fratrum Eremitarum S. Augustini Superioribus, Fratribus, & Religiosis vtriusque sexus, ad quos spectat, & in futurũ spectabit, vt decreta, & ordinationes prædictas inuiolatè perpetuò obseruent, & ab alijs, ad quos spectat, & spectabit, obseruari curent, & faciãt, eòsq; qui aliquo modo ea obseruare renuerint, aut his cõtradixerint, vel se opposuerint, pœnas in eisdẽ decretis, & ordinationibus adiectas eo ipso incurrere, sicq; per quoscũque Iudices ordinarios, & delegatos, sublata eis, & eorũ cuilibet quauis aliter iudicãdi, & interpretãdi facultate, & auctoritate, iudicari, & diffiniri debere, ac irritũ, & inane quidquid secus super his à quoquã quauis auctoritate, sciẽter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus, & declaramus. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus apostolicis, ac alijs eiusdem Ordinis statutis, & consuetudinibus, etiam iuramento, cõfirmatione apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, ceterisq; contrarijs quibuscunque.

§. 11. Volumus autem, præsentiũ exemplis, etiam impressis, manu Notarij publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate ecclesiastica cõstitutæ obsignatis, eandem fidem in iudicio, & extrà illud haberi, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Petrũ, sub Anulo Piscatoris die vigesimaoctaua Februarij, Millesimo quingentesimo nonagesimo sexto, Pontificatus nostri anno quinto.

CÆLESTINI V. Constit. I.

Ex Bulla originali, quæ cum sigillo plumbeo Romæ asseruatur in Archiuo Ordinis. nu. 1.

Summarium.

Personæ, & loca Ordinis à Diœcesanis exempta sunt, quæ coram aliquo Iudice conueniri nequeunt, ratione delicti, vel contractus, vel rei, de qua agitur.

CAELESTINVS EPISCOPVS
Seruus Seruorum Dei.

Dilectis filijs Priori Generali, & Fratribus Ordinis Eremitarum S. Augustini Salutem, & Apostolicam benedictionem.

§. 1. DVm solicitæ considerationis indagine perscrutamur, quòd vos mundi spretis illecebris, voluntariè Religionis subire onera, vt Christi obsequijs liberiùs insistatis, eligitis abnegando (quamuis salubriter) vosmetipsos. Dum etiam intrà mentis arcana reuoluimus, quòd Ordo vester in agro Dominico superna dispositione plantatus, vberes in hortum Domini fructus infert, quòdq; salutis commoda grandia ex vestræ solicitudinis studio, quod laudabiliter continuare satagitis, fidelium proueniat animabus, dignum & rationi conueniens arbitramur, vt vos, dictùmq; Ordinem oportuni fauoris prosequamur auxilio, & specialis gratiæ priuilegio muniamus.

§. 2. Ex parte siquidem vestra fuit propositum coram Nobis, quòd vobis, & Ordini vestro nonnullas libertates, priuilegia, & immunitates Apostolicæ Sedis benignitas duxit hactenus concedendas, quæ quidem omnia auctoritate apostolica tenore præsentium ex certa scientia confirmamus: Sed quidam vestræ quietis otio inuidentes, super eis vos, & Ordinem ipsum molestant multipliciter, & perturbant, propter quod vobis facultas adimitur, liberè diuinis obsequijs insistendo. Quarè suppliciter petebatur à Nobis, vt vobis, & eidem Ordini super ijs prouidere de benignitate solita dignaremur.

§. 3. Nos itaque diligentiùs attédentes, quòd eò efficaciùs, & commodiùs cultui diuinorũ salutis operibus, & animarum profectibus intendere, & vacare poteritis, quò quietior, & tranquillior fuerit status vester: Volentes quoque prærogatiua fauoris, & gratiæ vos, & Ordinem prosequi memoratum; vos, & prædictum Ordinem, personas, & ecclesias, oratoria, domos, res alias, & loca vestra, ac spectantia ad eadem, in quibus inhabitatis, & inhabitabitis, cum omnibus iuribus, & pertinentijs suis, à cuiuscunque Diœcesani, vel cuiuslibet alterius iurisdictione, ac potestate omnimoda in perpetuũ prorsus eximimus de gratia speciali; Ita quòd vos nec ratione delicti, neque rei, de qua agitur, neque ratione cõtractus, neque alia ratione quacunque, valeatis coram quocunque ecclesiastico, vel seculari Iudice quomodolibet impeti, conueniri, seu etiam molestari, sed in supradictis casibus ad Sedem Apostolicam habeatur recursus. Decernentes ex nunc eundem Ordinem, ac personas, ecclesias, oratoria, domos, & loca præfata, & pertinentia ad eadem soli Romano Pontifici, & Romanæ Ecclesiæ tàm in spiritualibus, quàm tẽporalibus absque vllo medio subiacere. Omnes quoque sententias, ac processus spirituales, & temporales contra vos, & vestrum Ordinem, personas, ecclesias, oratoria, domos, & loca præfata, ac spectantia ad eadem, auctoritate apostolica de speciali gratia, & ex certa scientia tenore præsentium de potestatis plenitudine relaxamus.

Confirmantur Priuilegia.

Ne possumus conueniri extra Ordinem, siue coram ecclesiastico, siuè seculari Iudice.

Ordo immediatè sub Sede Apostolica.

§. 4. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ exemptionis, confirmationis, constitu-

stitutionis, & relaxationis infringere, vel ei ausu temerario contraire: Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum.

Datum Neapoli quinto Calendas Decembris, Pontificatus nostri anno primo.

Constit. II.

Ex Bulla originali cum plumbeo sigillo, quæ asseruatur Romæ in Archiuo Ordinis. num. 2.

Summarium.

Priuilegia confirmantur, & Defensor constituitur Cardinalis S. Eustachij cũ auctoritate procedendi per ecclesiasticas censuras.

1294. *CAELESTINUS EPISCOPUS Seruus Seruorum Dei.*

Dilecto filio Petro S. Eustachij Diacono Cardinali Salutem, & Apostolicam benedictionem.

§. 1. EX parte dilectorum filiorũ Prioris Generalis, & Fratrum Ordinis Eremitarum S. Augustini Nobis humiliter porrecta petitio continebat, quòd licèt diuersas immunitates, libertates, & priuilegia à diuersis Summis Pontificibus prædecessoribus nostris, necnon & à Nobis fuerint consequuti; multi tamen seculares, & Clerici contra supradictas immunitates, libertates, ac priuilegia, ac aliàs multipliciter ipsos Priorem, & Fratres, ac oratoria, & loca dicti Ordinis, ac spectãtia ad eadem, multipliciter iniuriosè impetere, ac præsumptuosè molestare diuersimodè non formidant, propter quod prouideri eis, & eorum Ordini super hoc per Apostolicæ Sedis misericordiam supplicarunt.

§. 2. Nos igitur huiusmodi malignorum audacijs, & conatibus obuiare volentes, ac eiusdem Ordinis statui, & eorundem Prioris, & Fratrũ quieti salubriter prouidere, tibi, quẽ ab experto cognouimus ad prædictos Priorem, & Fratres, ac Ordinem gerere synceræ charitatis, & dilectionis affectum, volẽtes eorum indemnitatibus salubriter prouidere, ac attendentes multiplicia dona virtutum, quibus te bonorum dator eximius decorauit, sperantes quòd ex tui prouidi maturitate consilij, quod in multis, & arduis iugiter experimur, ea, quæ tuis humeris committuntur à Nobis, prouidenter, solicitè, discretè, & laudabiliter exequaris; & intendentes, vt ea, quæ in præsentiarum ijdem Ordo, & Fratres, ac Oblati eorum obtinent, aut in futurum eos (dante Domino) obtinere contigerit, illibata, & integra conseruentur, recuperentur deperdita, & collapsa nihilominus restaurentur; Te prædictorum Ordinis, Fratrum, & Oblatorum suorum bonorum, locorum, priuilegiorum, libertatum, immunitatum, exemptionum, & iurisdictionum, & vniuersorum iuriũ eorundem, Defensorem, & Conseruatorem auctoritate apostolica tenore præsentium fiducialiter statuimus, facimus, & etiam ordinamus. Plenam tibi licentiam, & potestatẽ, & liberam tenore præsentium auctoritate simili concedentes, vt contra occupatores, inuasores, damnificatores, iniuriatores, siuè molestatores tàm præsentes, quàm futuros dicto- *Ad defensionẽ Priuilegiorum C. S. Eustachij deputatur*

rum Ordinis, Fratrum, Confraternitatum, & Oblatorum, iurisdictionū, priuilegiorum, immunitatum, & exemptionum, quæ quidem priuilegia, libertates, & exemptiones, quorumcunque tenorum existāt, tenore præsentium auctoritate apostolica ex certa scientia confirmamus.

Priuilegia confirmantur.

§. 3. Bonorum quoque, & iurium quorumcunque, vbicunque, & in quibuscunque consistant, ad Ordinem pertinentium antedictum, quoties super huiusmodi occupationibus, inuasionibus, damnis, iniurijs, siuè molestijs contra prædictos Ordinem, personas, & bona, iam commissis, vel de cetero committendis, illatis hucusque, aut in posterum inferendis, fueris requisitus, & videris expedire, etiamsi super ijs causa, vel causæ in Romana Curia pendeāt, coram quibuscunque personis, aut extra, Apostolica, vel alia quauis auctoritate, ex officio summariè, sine strepitu, & figura iudicij, indagine (vt videbitur) præmissa, siuè per facti euidentiam, siuè aliàs ex quacunque causa patuerit, occupatores, inuasores, damna inferentes, iniuriatores, & molestatores eosdem, Clericos, & laicos, cuiuscunque sint præeminentiæ, status, conditionis, aut gradus, cessantibus quibuscunque priuilegijs, ipsis, vel eorū alicui, sub quauis verborum forma, vel expressione concessis, vt inuasa, capta, & occupata restituant, & de damnis, iniurijs, & molestijs, plenam ea passis infrà terminum, quem tu videris præfigendum, satisfactionem impendant, & à similibus abstineant in futurum, per te, aut alium, seù alios, auctoritate nostra monere procures, eos, & eorum quemlibet per censuram ecclesiasticā appellatione postposita compescendo, ac aliàs procedendo spiritualiter, & temporaliter contra eos, & eorum quemlibet, inuocando ad hoc (si opus fuerit) auxilium brachij secularis, & contra inuocatos (si non obediant, siuè Ciuitas fuerit, siuè Collegium, siuè Communitas, siuè Castrum, siuè alia singularis persona, cuiuscunque præeminentiæ, status, ordinis, aut conditionis existant) per interdicti, priuilegiorum quoque priuationem, aut excommunicationis, & alias spirituales, & temporales sententias compellendo, ac aliàs aggrauando contra eos nihilominùs manū tuam, prout exegerit proteruia eorundem, & videris expedire. Super præmissis quoque omnibus, & eorum singulis, illos ad tuam, aut eius, aut eorum, cui, vel quibus vices tuas commiseris in præmissis, aut aliquo præmissorum, præsentiam personaliter citare procures, si personalem comparitionem tua discretio viderit oportunā, contradictores auctoritate nostra appellatione postposita compescendo.

Molestatores per censuras ecclesiasticas compellēdi.

§. 4. Non obstante constitutione de duabus dictis edita in Concilio generali, seù quibuslibet alijs priuilegijs, indulgentijs, seù statutis, per quæ effectus præsentium in toto, vel in parte impediri posset in aliquo, vel etiam retardari.

§. 5. Volumus autem, quòd à data præsentium, huiusmodi tua iurisdictio super præmissis incipiat, & perpetuationem accipiat, illàmque perinde obtineat roboris firmitatē, ac si per citationem, vel alium actū, seù modum, perpetuata legitimum extitisset.

§. 6. Nulli ergo omninò hominum

num liceat hanc paginam nostri statuti, ordinationis, concessionis, confirmationis, & perpetuationis infringere, vel ei ausu temerario contraire: Siquis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum.

Datum Neapoli Nonis Decembris, Pontificatus nostri anno primo.

Constit. III.

Ex Bulla originali cum sigillo plumbeo, quæ Romæ in Archiuo Ordinis asseruatur. nu. 3.

Summarium.

Fratres nostri in Capitulo approbati possunt audire Confessiones, & verbum Dei prædicare Christifidelibus.

1294. CAELESTINVS EPISCOPVS Seruus Seruorum Dei.

Dilectis filijs Generali & Prioribus Prouincialibus Ordinis Fratrum Eremitarum Sancti Augustini Salutem, & Apostolicam benedictionem.

§. 1. AD fructus vberes, quos in agro Dominico, producendo verbo pariter, & exemplo, confessiones audiendo, & alia virtutum exercitia, satis Ordo vester, & humiles ipsius Ordinis professores produxerunt hactenus, & in futurũ (Deo auspice) producturi, attentè considerationis aciem conuertentes, quod Fratres eiusdem Ordinis prædicationes, & audiendi confessiones, & officia, eò liberiùs, & efficaciùs exequi valeant, quò certiùs de ipso cura eadem auctoritate constabit; Tibi fili Prior Generalis, per te, vobis verò Prouincialibus Prioribus, & Diffinitoribus in Prouincialibus vestris Capitulis congregatis, committendi apostolica auctoritate Fratribus eiusdem Ordinis, in sacra pagina eruditis, & approbatis à vobis, prædicationis officium, audiendi cõfessiones, absoluendi confitentes, iniungendi eis pœnitẽtias salutares, & etiam alijs Fratribus idoneis, concedendi; eisdem quoque sæpefatis Ordinis Fratribus, quibus dicta officia per vos taliter commissa, siuè concessa fuerint, quòd eadẽ liberiùs valeant exercere, plenam damus, & concedimus, auctoritate apostolica, facultatem. *In Capitulis approbantur Prædicatoris, & Confessores.*

§. 2. Districtiùs inhibentes, ne quis Fratres ipsius Ordinis, quibus dicta officia taliter concedenda duxeritis, prout præmittitur, siuè etiam substituendos in executionẽ officiorum ipsorum, audeat quomodolibet impedire.

§. 3. Volumus autem, quòd ij, qui Fratribus eisdem confitebuntur, suis parochialibus presbyteris confiteri saltem semel in anno, proue generale Concilium statuit, nihilominùs teneantur: quòdq; ijdem Fratres eos adhuc efficaciùs, & diligentiùs secundùm datam eis à Domino gratiam exhortentur.

§. 4. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis, & inhibitionis infringere, vel ei ausu temerario contraire: Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum.

Datum Neapoli quinto Calendas Decembris, Pontificatus nostri anno primo.

CAL-

CALLISTI III.
Constit. Vnica.

Ex Bulla originali, quæ cum sigillo plumbeo asseruatur Romæ in Archiuo Ordinis.

Summarium.

Damnatur error Ioannis de Polliaco, & aliorum, priuilegia Mendicantium paruipendentiũ, & continet constitutiones desuper editas Nicolai Quinti, Ioannis Vigesimisecundi, & Bonifacij Octaui: & est constitutio notanda.

1456. *CALLISTVS EPISCOPVS Seruus Seruorum Dei.*

Ad futuram rei memoriam:

§. 1. INter cetera, quæ nostræ pastorali curæ competũt, ea ipsa proculdubio esse potissima decernimus, quibus Christifideles cunctis propulsis erroribus, in vnitate fidei, ac pacis quiete viuere, gloriámq; prosequi beatam conspicimus, sed & acceptabile Deo multum id esse non ambigimus, quo Religiosæ personæ Christo famulantes, nostræ vigilantiæ ministerio, ac iustitiæ fauore, priuilegijs eisdem à sancta Sede Apostolica matura cum deliberatione concessis, nullo colore impediri, sed liberè frui intuemur.

§. 2. Nuper siquidem non sine quadam animi displicentia, ex relatibus plurimorum fidedignorũ percepimus, quòd quanquam fel. rec. Bonifacius Papa Octauus prædecessor noster in sua (quæ incipit, Super Cathedram) constitutione, siuè Decretali, quam postmodùm piæ mem. Clemens Papa Quintus etiam prædecessor noster in Concilio Viennẽsi innouauit, & quæ subsequenter ad Eremitarum S. Augustini, & Beatæ Mariæ de Monte Carmeli Ordinum Fratres, per Sedem Apostolicam extensa fuit, inter cetera statuerit, & ordinauerit, quòd in singulis Ciuitatibus, & Diœcesibus, in quibus Prædicatorum, & Minorum Ordinũ Fratrum loca consisterent, ac in locis ipsis vicinis, in quibus loca huiusmodi non haberentur, Magistri, & Priores Prouinciales Prædicatorum, aut eorum Vicarij Generales, ac Prouinciales Ministri, necnon Custodes Minorum Ordinum prædictorum ad præsentiam Prælatorum ibidem se conferrent per se, vel Fratres, quos ad hoc idoneos fore præsentarent, humiliter petituri, vt Fratres, qui ad hoc electi forent, in eorum Ciuitatibus, & Diœcesibus confessiones suorum subditorum, confiteri sibi volentium, audire liberè valerent, & huiusmodi cõfitentibus, prout secundum Deum expedire cognoscerent, pœnitentias imponere salutares, ac beneficium solutionis impendere, de licentia, gratia, & beneplacito eorundem, præfatiq; Magistri, Priores, ac Ministri studerent eligere personas idoneas, sufficiẽtes, vitæ probatæ, discretas, modestas, atque peritas ad tàm salubre ministerium, & officium exequendum, quas sic electas Prælatis ipsis præsentarent, vel facerent præsentari, vt de eorum licentia, gratia, & beneplacito in Ciuitatibus, & Diœcesibus eorundem, personæ sic electæ huiusmodi confessiones sibi confiteri volentium audirent, & eis imponere pœnitentias salutares, ac beneficium absolutionis impenderent.

Mendicãtes ad confessiones audiendas Priuilegia.

§. 3. Ac etiam bonæ memoriæ

Ioan-

Ioannes Papa XXII. prædecessor noster certos errores damnauerit, & reprobauerit de consensu Fratrum suorum Ecclesiæ Romanæ Cardinalium; necnon celebris recordationis Eugenius Papa Quartus etiam prædecessor noster, errores ipsos pro falsis, erroneis, & aduersantibus sacris Canonibus damnatos, reprobatòsq; declarauerit cum quibusdam alijs, atque decreuerit. Et subsequenter piæ memoriæ Nicolaus Papa Quintus similiter prædecessor noster de fratrum suorum consilio, de quorum numero tunc eramus, dicti Eugenij prædecessoris literas in omnibus, & per omnia approbauerit, & confirmauerit; prout in singulis Eugenij, & Nicolai prædecessorum literis huiusmodi pleniùs continetur, quarum quidem tenor sequitur, & est talis.

§. 4. Nicolaus Episcopus Seruus Seruorum Dei. Vniuersis, & singulis Venerabilibus fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, ac dilectis filijs Electis, & Abbatibus vbilibet constitutis, ad quos præsentes literæ peruenerint salutem, & Apostolicam benedictionem. Prouisionis nostræ debet prouenire subsidio, vt ea, quæ à bonæ memoriæ Prædecessoribus nostris in religionis augmentum vtiliter gesta sunt, illæsa permaneant, & ab omnibus inuiolabiliter obseruentur. Hinc est, quòd Nos tenores quarundam literarum fel. rec. Eugenij Papæ Quarti prædecessoris nostri, in ipsius Registro repertos, de Registro ipso de verbo ad verbum transcribi, & præsentibus annotari fecimus, qui sunt tales.

§. 5. Eugenius Episcopus Seruus Seruorum Dei. Vniuersis, & singulis Venerabilibus fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, ac dilectis filijs Electis, & Abbatibus vbilibet constitutis, ad quos præsentes literæ peruenerint salutem, & Apostolicam benedictionem. Gregis Nobis crediti curam gerentes peruigilem studijs efficere conamur assiduis, vt pro quorum salute languores humanos Altissimi Filius perpeti voluit, fideles execrandis non inuoluantur erroribus, sed nostri directione ministerij, prout superna gratia contulerit, à noxijs, ac dispendijs iugiter præseruentur, & vt etiam vos in partem solicitudinis vocati, pro dictis extirpandis erroribus, opem, & operam feruentiùs impendatis, vos pro iniuncto Nobis officio excitamus.

§. 6. Dudum siquidem fel. rec. Bonifacius Papa Octauus prædecessor noster in sua (quæ incipit super Cathedram) constitutione, siuè Decretali, quam posteà piæ memoriæ Clemens Papa Quintus etiam prædecessor noster in Viennensi Concilio innouauit, & quæ subsequenter ad Eremitarum S. Augustini, & Beatæ Mariæ de Monte Carmelo Ordinum Fratres per Sedem Apostolicam extensa fuit, inter cetera statuit, & ordinauit, quòd in singulis Ciuitatibus, & Diœcesibus, in quibus Prædicatorum, & Minorum Fratrum loca consisterent, ac in locis ipsis vicinis, in quibus loca huiusmodi non haberentur Magistri, & Priores Prouinciales Prædicatorum, aut eorum Vicarij, & Generales, ac Prouinciales Ministri, necnon Custodes Ordinum prædictorum, ad præsentiam Prælatorum ibidem se conferrent per se, vel Fratres, quos ad hoc idoneos esse putarent, humiliter petituri,

tituri, vt Fratres, qui ad hoc electi forêt, in eorum Ciuitatibus, & Diœcesibus confessiones suorum subditorum, confiteri sibi volentium, audire liberè valerent, & huiusmodi confitentibus, prout secundũ Deum expedire cognoscerent, pœnitentias imponere salutares, ac beneficium absolutionis impendere, de licentia, gratia, & beneplacito eorundem. Præfatiq; Magistri, Priores, & Ministri studerent eligere personas idoneas, sufficientes, vitæ probatæ, discretas, modestas, atque peritas, ad tàm salubre ministerium, & officium exequendum: quas sic electas Prælatis ipsis præsentarent, vel facerent præsentari, vt de illorum licẽtia, gratia, & beneplacito in Ciuitatibus, & Diœcesibus eorundem personæ sic electæ huiusmodi confessiones, sibi confiteri volentium, audirent, & eis imponerent pœnitentias salutares, ac beneficium absolutionis impenderent, prout in ipsa Constitutione, siuè Decretali pleniùs continetur.

Confessores electi à Superioribus ordinarijs præsentãdi pro licentia.

§. 7. Et licèt postmodùm ad piæ record. Ioannis Papæ XXII. etiam prædecessoris nostri notitiam deducto, quòd quondam Ioannes de Poliaco Magister in Theologia sequentes articulos tenuerat, publicèq; docuerat, videlicèt, quod confessi Fratribus licentiam generalem confessiones audiendi habentibus, eadem peccata, quæ confessi fuerant, iterum proprio Sacerdoti confiteri tenerentur, ac stante statuto (Omnis vtriusque sexus) in Concilio generali, nec Deus, nec Romanus Pontifex facere posset, quòd Parochiani non tenerẽtur omnia peccata sua semel in anno proprio Sacerdoti, scilicèt Parochiali Curato confiteri, quòdq; non posset Papa generalem dare potestatẽ audiendi confessiones, imò nec Deus, quin confessus generalem habenti licentiam teneretur eadem iterũ suo proprio Sacerdoti, veluti Parochiali Curato confiteri. Dictus Ioannes prædecessor à verbis, quæ Vas electionis protulit, exordium sumens, habita indè per plures sacræ paginæ professores examinatione diligenti, necnon de Venerabilium fratrum suorum S.R.E. Cardinalium consilio, & assensu, præfatos articulos tãquàm falsos, & erroneos, & à sana doctrina deuios auctoritate apostolica damnauerit, & reprobauerit: Ipsèq; Ioannes de Poliaco veris rationibus, opinioni, quam dudum habuerat, contrarijs, & quibus respondere non poterat, demonstratis, eosdem articulos non esse veros, affirmans illos in Cõsistorio publico, necnon ipsorum Ioannis Papæ, & Cardinalium præsentia reuocauerit: tamen sicut nuper Fratrum Ordinũ eorundem lamentabili querela ad nostrum (non sine displicẽtia graui) peruenit auditum, plures ecclesiasticæ, necnon aliæ vtriusque sexus personæ, reprobos, superstitiosòsq; articulos huiusmodi amplexantes, fideliùmq; animos inficere, ac eos, vt Fratribus Ordinum huiusmodi non confiteantur, & ab eorum deuotione retrahere molientes, nedum prædictos, sed etiam alios, sacris Canonibus omninò contrarios articulos astruere publicè non verentur, videlicèt, Quòd confessio Fratribus sic electis, & admissis facta, dubitabilis, & incerta sit, vnde tenerentur omnes incertum dimittere, & sic solùm cõfiteri suis Sacerdotibus, curam animarum habentibus sub pœna peccati

Ioannis de Poliaco error.

Quidã errorem Poliaci sequuti damnãtur.

cati mortalis; & quamuis ipsi Fratres admissi auctoritatem habeant Confessiones audiendi, & absoluendi; tamen ad eos accedendi populus subiectus, sine licentia proprij Sacerdotis non habet potestatem. Fratres quoque priuilegia pro confessionibus audiendis, & sepulturis habendis petentes, in peccato mortali; & Romani Pontifices illa Mendicantibus concedentes, siuè confirmantes, etiam in simili peccato, & excommunicati sunt; ac dicti Fratres Mendicantes, non Pastores, sed fures, latrones, & lupi censentur; Sacerdos autem Curatus Mendicantibus confessiones audiendi licentiam dans, magis super isto statuto (Omnis vtriusque sexus) dispensat, quàm Papa Fratribus licentiam tribuens iuxtà formam Decretalis antedictæ.

Error circa sepulturã

§. 8. Nos igitur, animarum, & alia, quæ præmissorum articulorum occasione, nisi prodeuntes inde confutarentur errores, succedere possent pericula, trepidantes, ac illis (quantum in Nobis fuerit) obuiare cupiẽtes; omnes articulos prædictos, vnà cum Venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus maturè inspeximus, & per diuersos in Iure Canonico Doctores, ac sacræ paginæ professores diligẽter examinari fecimus, & quia protinus illos falsos, & erroneos, ac eisdem Canonibus aduersos fore reperimus, illos de dictorũ fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium consilio, & assensu auctoritate apostolica pro falsis, erroneis, & aduersantibus sacris Canonibus dãnatos, reprobatòsq; declaramus, atque decernimus.

Errores præfati dãnãtur.

§. 9. Quocircà vniuersitati vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenùs singuli vestrum quando super ijs à quoquam prædictorum Ordinum Prædicatorum, Minorum, & aliorum Mendicantium, super præmissis priuilegiatorum, Magistro Generali, ac Prouinciali Ministro Vicario, vel alio gerente officium fueritis requisiti, ad confutandos, & reprimendos, ac penitùs tollendos huiusmodi errores, prout in præfatis Decretali, siuè constitutione (Super cathedrã) ac Extrauagante (Vas electionis) continetur, diligenti studio, atque cura prouideatis, ac intendatis, præfatàsq; constitutiones integrè seruantes, faciatis ab omnibus inuiolabiliter obseruari.

§. 10. Et si quos forsan huiusmodi damnatos (vt præfertur) articulos, aut aliquem, seù aliquos eorum pertinaciter asserere, vel tenere, seù prædicare inueniètis; contra illos communiter, vel diuisim, tanquàm contra Hæreticos, & de catholica fide suspectos, procedere: necnon ipsos, & eorum quemlibet iuxtà tantorum excessuum qualitatem per censuram ecclesiasticam, & alia opportuna iuris remedia, auctoritate prædictâ compescere studeatis, in contrarium facientibus non obstantibus quibuscunque. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ declarationis, & constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ Millesimo quadringentesimo quadragesimo sexto, decimo septimo Calendas Februarij, Pontifica-

Tãquã cõtra hæreticos procedẽdum cõtra illos qui malè de priuilegijs Mendicantium sentiunt cum Parocho, & alijs.

tificatus nostri anno sexto decimo.

§. 11. Ceterùm, vt earundem literarum tenores maioris roboris, & efficaciæ censeantur, Nos de Venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium consilio, & assensu, easdem Prædecessoris nostri literas in omnibus, & per omnia innouantes, approbamus, confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ innouationis, approbationis, confirmationis, & communitionis infringere, vel ei ausu temerario contraire: Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ Millesimo quadringentesimo quadragesimo octauo, tertio Calendas Iulij, Pontificatus nostri anno secundo.

Nicolai Papæ literæ præsentantur Episcopo Parisiensi.

Rector Sorbonæ literas Pontificias voluit impedire, & edictum publicauit.

Coguntur Mẽdicãtes renũtiare literis apostolicis.

§. 12. Veruntamen dum pridem in Vigilia Pentecosten proximè præterita præfatæ literæ Nicolai prædecessoris nostri Venerabili fratri nostro Episcopo Parisiensi, seu in eius Episcopali Curia præsentatæ forent, dilectus filius Guillermus Riueti Rector pro tunc Vniuersitatis Parisiensis easdem impediri fecit, asserens dicti Nicolai prædecessoris literas de falso plurimùm suspectas pacis in eadem Vniuersitate solemniter iuratæ, & status Hierarchici in Ecclesia sancta Dei plurimùm turbatiuas, scandalosas, & aduersas iuri communi, sanctionibus sacris, & pragmaticæ sanctioni, & quòd super illis renuntiando, & illarum reuocatoria impetranda; Religiosi quatuor Ordinum Mendicantiũ fuerunt attentiùs summati, quod facere renuerant, & distulerant per suas patentes literas vniuersis notum fecit, quòd ex causis præmissis, & alijs rationabilibus de mandato, ac speciali, & matura deliberatione, & conclusione dictæ Vniuersitatis omnes, & singuli illius Iurati de dictis quatuor Ordinibus Mendicantium à gremio præfatæ Vniuersitatis erant perpetuò priuati, non iurati autem ab eiusdẽ Vniuersitatis consortio, & graduum in eadem susceptione similiter resecati.

§. 13. Si tamen dictis suis obtemperauerint conclusionibus cum effectu, eadem Vniuersitas cum eisdẽ misericorditer agere intendebat, & etiam cum in statutis, & priuilegijs dictæ Vniuersitatis, & præcipuè fel. rec. Alexandri Quarti inter cetera contineri dicatur, Quòd si fortè Magistris, & scholaribus dictæ Vniuersitatis hospitiorum subtrahatur taxatio, aut eis, vel alicui ipsorum iniuria, vel excessus inferretur enormes, vtpotè mortis, vel membri mutilatio, nisi, congrua monitione præmissa, infra quindecim dies foret satisfactum, liceret eisdem Magistris, & scholaribus vsque ad satisfactionem condignam suspendere lectiones, & si aliquem eorum indebitè incarcerari contingeret, fas esset ipsis, nisi, monitione præhabita, cessaret iniuria, statim à lectione cessare, quòdque si pro aliqua ex causis in constitutione piæ memoriæ Gregorij Papæ Noni contentis, eadẽ Vniuersitas lectiones duceret suspendẽdas; omnes Magistri tàm seculares, quàm Regulares ipsas suspendere tenerentur, eas cum Vniuersitate minimè resumpturi, eueniàtq; interdũ, vt ex

vt ex

vt ex causis præmissis ab huiusmodi lectionibus cessatio fiat, Rector, & Vniuersitas Religiosos prædictos, vt de alijs taceamus, non solùm à lectionibus huiusmodi, verùm etiam à prædicationibus verbi Dei cessare compellunt in Sedis Apostolicæ irreuerentiam, fidei Christianæ dispendium, ac perturbationem dictorum Religiosorum, necnon malum exemplum, & scandalum plurimorum. Quarè pro parte dictorum Religiosorum Nobis fuit humiliter supplicatum, vt in præmissis oportunè prouidere paterna diligentia curaremus.

§. 14. Nos igitur, ad quos ex officio Nobis commisso pertinet, in præmissis vigilantiæ nostræ curas adhibere, scientes, quòd prædicti Nicolai prædecessoris literæ matura cum deliberatione processerunt, & quòd nullo capite reputandæ sunt de falsitate, aut subreptione, vel obreptione suspectæ, nec status Hierarchici in Ecclesia Dei turbatiuæ, vel scandalosæ, nec sacris Canonibus aduersantes, sed potiùs consonæ & saluti animarum Christifidelium plurimùm profuturæ, eàsque de Venerabilium fratrum nostrorum Cardinalium consilio, & assensu innouamus, confirmamus, & approbamus, serie cum præsenti.

§. 15. Mandantes, illas, & omnia, & singula in eis, necnon Eugenij prædecessoris literis huiusmodi contenta, sub excommunicationis, & alijs diuersis sententijs, censuris, & pœnis, firmiter obseruari: quìque idem Rector præfatos quatuor Ordinum Mendicantium Fratres, pro eo, quod determinationibus Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ in materia fidei renuntiare noluerunt, resecatos, atque priuatos (vt præfertur) notificauit.

§. 16. Statutum quoque, & priuilegium Alexandri Quarti huiusmodi solùm de cessatione à lectionibus, & non à prædicationibus mentionem facit, huiusmodi supplicationibus inclinati, ne tam celebres Ordines, quorum præclara supposita illam Vniuersitatem, Franciæq; Regnum, ac vniuersalem Ecclesiam suis doctrinis, & exemplis decorauerunt, atque decorant, tàm subitò, tàmque repentè fuerint ab eadem Vniuersitate remaneant, & sint, vel censeantur quoquo modo resecati; quinimò ibidem perpetuò vigeant, & notabile facultatis sacræ Theologiæ membrum fuerint, & existant, priuationem, resecationē, & literas Rectoris huiusmodi, ac in eis contenta, & inde sequuta quæcunque, de dictorum fratrum nostrorum consilio, & assensu, auctoritate Apostolica, & ex certa scientia tenore præsentium reuocamus, cassamus, irritamus, & annullamus, ac nullius roboris, vel momenti fuisse, & esse decernimus, ipsòsq; quatuor Ordinum Mendicantium Fratres, in pristinum, & in eum statum, in quo ante notificationem, priuationem, resecationem prædictas existebant, restituimus, & reponimus, eòsq; in aliquo casuum, nisi hoc in ipsis literis Alexandri, & statutis antedictis caueatur expresè ad cessandum à prædicationibus verbi Dei, nec ad id per Rectorem pro tempore dictæ Vniuersitatis, seù quemcunque alium, seù alios compelli posse declaramus; sed ipsos quatuor Ordinum

Edictũ Rectoris annullatur.

Restituũtur Mẽdicantes ad priuilegia Sorbonę

K

num Mendicantium Fratres, tàm iuratos, quàm non iuratos, & alios Prælatos, Doctores, & Rectores ecclesiarum, ad quos spectat verbum Dei in suis ecclesijs, & alijs locis, vbi fuerint requisiti, prædicare liberè, & licitè posse, & debere in omnibus, & per omnia, perinde ac si huiusmodi cessatio non foret in casibus antedictis, & ita literas Alexandri, & statuta huiusmodi, vt iuri consona debere intelligi declaramus.

§. 17. Nihilominùs omnibus, & singulis Fratribus quatuor Ordinum Mendicantium prædictorum, qui in dicta Vniuersitate debitos, & consuetos cursus in Theologia incœperint, continuarint, & perfecerint, & in futurum incipient, continuabunt, & perficient, durante huiusmodi, aut simili resecatione, vt licentiæ gradus, & Doctoratus insignia Cancellarius dictæ Vniuersitatis pro tempore (vt moris est) sibi impendat,

§. 18. Et si forsan idem Cancellarius, ad id requisitus, gradus licentiæ, & magisterij insignia eis impendere contradiceret, ex tunc liceat antiquiori Magistro in Theologia prædictorum quatuor Ordinum, vel vni ab hoc deputato ab eorundē quatuor Ordinum Magistris, illis, qui dictos cursus perfecerint, gradus, & insignia huiusmodi, prout seruatis aliàs solemnitatibus, & examine consuetis meruerint absque alicuius spiritualis, vel temporalis pœnæ incursu, liberè impendere; quòdq; Fratres sic per eosdem Magistros promoti omnibus, & singulis priuilegijs, gratijs, libertatibus, exemptionibus, indultis, & immunitatibus gaudeant, & vtantur, ac vti, & gaudere possint, sicut illi, quibus idem Cancellarius huiusmodi gradus, & insignia iuxta statuta, & consuetudines dictæ Vniuersitatis impendit, in omnibus, & per omnia perinde, ac si gradus, & insignia prædicta ab eodem Cancellario cepissent, eadem auctoritate concedimus pariter, & indulgemus.

Cancellario cōtradicēte prim' Magister gradus conferat.

§. 19. Prætereà quia prætextu priuilegiorū dictæ Vniuersitatis, occasione, seù ex causis prædictis, quidam Fratres prædictorum Ordinum citati fuerunt, atque molestati, durante huiusmodi resecatione, præfato, & pro tempore existenti Rectori, Conseruatoribus, necnon Magistris, & scholaribus dictæ Vniuersitatis in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub excommunicationis pœna latæ sententiæ, à qua nisi in mortis articulo per alium, quàm per Romanum Pontificem, absolui non possint (si secus egerint) promulgamus, ne prætextu supradictorum priuilegiorū, occasione, seù ex causa prædictis, ipsos Fratres, vel aliquem ipsorum, nisi apud Sedem Apostolicam duntaxàt, directè, vel indirectè, seù alio quouis quæsito colore, per se, vel alium, seù alios tàm super resecatione, quàm gradus impensione, cessatione à prædicatione, quàm aliàs occasione, seù ex causa prædictis molestare, vexare, seù perturbare præsumant eadem auctoritate districtè inhibemus. Decernentes ex nunc irritum, & inane si secus super ijs à quoquam, quauis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Excommunicātur contrauenientes, & literis Apostolicis non obedientes, & reseruatur excōicatio Sedi Apostolicæ

§. 20. Nulli ergo omninò hominum

num

num liceat hanc paginam nostræ innouationis, confirmationis, approbationis, mandati, reuocationis, cassationis, irritationis, annullationis, constitutionis, restitutionis, repositionis, declarationis, concessionis, indulti, promulgationis, inhibitionis, & decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire: Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum.

Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ Millesimo quadringentesimo quinquagesimo sexto, decimo Calendas Aprilis, Pontificatus nostri anno secundo.

EVGENII QVARTI

Constit. I.

Ex Bulla originali cum sigillo plumbeo, quæ Romæ asseruatur in Archiuo Ordinis. nu. 1.

Summarium.

Præcipitur Fratribus Congregationis Lombardiæ, vt Romam veniant ad celebrandum Capitulum pro electione Vicarij Generalis, qui Priori Generali in omnibus subijciatur.

1437. *EVGENIVS EPISCOPVS Seruus Seruorum Dei.*

Dilectis filijs Vicarijs, & Rectoribus quarumcunque Societatum, & quorumcunque locorum Ordinis Fratrum Eremitarum Sancti Augustini de Obseruantia nuncupatarum, & nuncupatorum, & dictorum locorum Prioribus intrà Italiam constitutis quacunque auctoritate præsidentibus Salutem, & Apostolicam benedictionem.

§. 1. Laudabilem in Domino vestri Ordinis obseruantiæ regularis viuendi modum, cuius suaui virtutum, ac fructuosissimorum operum odore plurimùm delectamur, paterno zelo, paternàque charitate affectuosiùs complectentes, illa libenter quærimus, ac solicitè procuramus, per quæ ipse viuendi modus diuersitatibus, & deformitatibus amotis, benè, prudenter, & accuratè gubernatus, salubriter, & vtiliter conseruari (dante Domino) felicibus incrementis valeat & augeri.

§. 2. Sanè cum nouerimus inter societates quamplures, & diuersos modos esse viuendi, qui vestri Ordinis scissuram quandam importare videntur, vobis, & cuilibet vestrum præsentium tenore mandamus; quatenus antè sextam feriam, Ascensionem Domini proximè futuram immediatè præcedentem, ad almam Vrbem vnà cum Discretis omnium, & singulorum locorum *Capitulum in Cõuẽtu S. Mariæ de Populo Vrbis indicitur Fratribus Lõbardiæ.*

vestrorum venientes, apud locum Beatæ Mariæ de Populo dicti Ordinis conueniatis, & congregemini Capitulum celebraturi, & in eo Rectorem omnium vestrum, & locorũ, & Fratrum vobis subditorum, qui dicti Ordinis Priori Generali immediatè subsit, electuri, & alia facturi, quæ Nos duxerimus ordinanda. Nos enim vobis omnibus supradictis quando sic (vt præfertur) fueritis congregati, Capitulum prædictũ, vt secundùm dicti Ordinis vestri statuta, & mores celebrandi, & præter illa, quæ Nos mandanda duxerimus, alia insuper, quæ in dicto Capitulo ex more deliberabuntur, faciendi, & ordinandi concedimus tenore præsentium potestatem. Concurrente ad omnia supradicta consilio, & voluntate Venerabilis fratris nostri Ioannis Episcopi Prænestini Cardinalis Tarantini dicti Ordinis Protectoris, & dilecti filij nostri dicti Prioris Generalis Ordinis suprascripti.

Vicarius, siuè Rector Congregationis Lombardiæ Priori Generali per omnia subditus.

Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ Millesimo quadringentesimo quadragesimo quinto, decimoquinto Calendas Ianuarij, Pontificatus nostri anno decimoquinto.

Constit. II.

Ex Transumpto authentico Auditoris Cameræ, quod Romæ asseruatur in Archiuo Ordinis. num. 2.

Summarium.

Decretum Canonizationis S. Nicolai de Tolentino Ordinis nostri.

EVGENIVS EPISCOPVS 1447.
Seruus Seruorum Dei.

Vniuersis Christifidelibus præsentes literas inspecturis Salutem, & Apostolicam benedictionem.

§. 1. Licèt militans in terris Ecclesia triumphantem in cælis filiali, & deuoto veneretur affectu, ac virtutes, laudes, præconiàq; Sanctorum quantum humana sinit fragilitas dignissimis attollat titulis, deuotis quoque precibus solemni ritu sacrificia laudum offerat, ad decus, & venerationem Ciuium supernorum; nihil tamen illis accrescit nouæ perfectionis, & gloriæ, nec eorũ persancta felicitas nostris operibus firmari poterit, vel augeri; misericors tamen, miseratòrq; Dominus per intercessiones, meritàq; Sanctorum, quos in terris celebritate congrua mirabili dignatione imperfectum nostrum suppleri prouidit, & quod nostris meritis non valemus, eorum suffragijs assequamur.

§. 2. Aeternus itaque Deus, qui facit mirabilia magna solus, Confessorem suum eximium Nicolaum de Tolentino in approbata Religione Fratrum Eremitarum S. Augustini ab eius pueritia educatum, puritate candidum, charitate fœcundum, electum ex millibus, exemplar præfulgidum, sapientia eius infinita, produxit, singularis vitæ suæ excellentiam signis, & prodigijs probans, ac constantibus, crebrìsq; miraculis manifestans. Lætentur itaque cæli, exultet terra, iucunderùrq; pariter totus Orbis, quando ei, qui effulsit in templo Dei cum viueret, spatiosum in cælo præstant hospitium cæli Ciues.

§. 3. Itaque huius Beati viri quãdo

do vita est functus, fama, summàq; ad eum populorum deuotione crescentibus, fel. record. Ioannes Papa XXII. prædecessor noster, Auenione cum eius Curia præsidens, cum fratribus suis cœpit de eius canonizatione tractare; quam nisi eius obitus, & horrẽda superuenissent schismata, proculdubiò consummasset.

§. 4. Beatus igitur hic Nicolaus honestis ex Castro Sancti Angeli intrà Firmanam diœcesim parentibus ortus, puerorum consortia vitans, ecclesias, diuinàq; mysteria frequentabat, & ne præclara opera lucidæ vitæ suæ longo, latòq; sermone curramus, pauca lubet referre de pluribus, vt ex his, existentes in via Domini Patrem glorificent, sicut decet: Sanctus equidem iste in ætate existens tenera se sub magna Religionis diligentia, summa cum obedientia, & humilitate seruabat, castigando corpus ieiunijs, vigilijs, orationibùsq; insistebat deuotus, gratus, humilis, obediens, benignus, suauis, pius, patiens, constans, maturus, cõpositus virtutum quibusdam aromatibus, plurimos attrahebat, adeò quòd fidei cultor erat, vt cuncta illius verba, & opera, virtute fidei redolerent: Tribulatorum, & infirmorum consolator assiduus existebat, & demùm pudicus, castus, modestus, verecundus, ac lætus ad vitæ vesperam veniens, diuinitùs audire meruit, Euge serue bone, intra in gaudium Domini tui; sic granum frumenti cadens in terram, & mortuũ, vberem consurgit in spicam; sic botrus in torculari calcatus, liquoris redundat in copiam; sic Regnum cælorum percipitur, & Sancti per fidem sublimia Regna vicerunt.

§. 5. Verùm quia decebat diuinæ magnitudinem bonitatis, & quem in terris ornarat præclaris virtutibus, in cælis regnare certis testimonijs probaretur; multis enim, magnìsq; miraculis & dum viueret, & post obitum, clarum fecit, quorum quædam dignissimis probatis testibus, onerosæ multitudinis gratia duximus præsentibus adnotanda.

§. 6. Quidam in sinistro latere adeò perditus erat, vt nec illius manum, aut pedem posset quouis modo mouere, aut quidquam ex oculo sinistro videre, post plurimorum Medicorum antidota, atque collyria in vanum experta, Sanctus hic latus illud Crucis signaculo tetigit, viròq; illi benedixit, qui statim è grabato surgens, sanus est videns, & integrè liberatus.

§. 7. Quædam verò mulier triennio continuo sanguinis fluxum patiens, ad Nicolaum veniens, & manum illius deuotissimè osculans, precabatur eum, vt preces ad Dominũ pro illius sanitate recuperanda porrigeret; Sanctus ipse illam signo Crucis signauit, & liberata recessit, & hæc ante obitum.

§. 8. Post obitum verò, Cũ puer quidam annorum quatuor in canale Molendini cecidisset, & intrà rotam, & aquam per spatium temporis, quo commune berrè ambulans milliario ambulasset, continuò saxisset, inde tandẽ laboriosè extractus mortuus, & pro mortuo reputatus, emisso priùs per matrem voto, quòd si restitueret vitæ auxilio Beati Nicolai, illum supra Sancti tumulum habitũ Religionis indueret; aduentante Sancto prædicto, viuus apparuit.

§. 9. Vir insuper quidam inuen-

tus in domo sua suspensus, & mortuus, precibus, & voto per eius vxorem ad Beatum Nicolaum emissis, factus est viuus, & extunc diutiùs superuixit.

§. 10. Quamplurima etiam miracula, tàm in vita, quàm post eius obitum fecit, plurèsque homines vtriusque sexus à morte resuscitauit; cœcos illuminauit, & ab oculorum infirmitatibus liberauit; contractos, & protractos membris, & claudos erexit; paralyticos à membrorum impotentia sanauit, & à tremore capitis, & membrorum, dæmoniacos, captiuatos, incarceratos cum apparitionibus, & reuelationibus liberauit; cadentes, & elisos à naufragijs, & captiuitate personæ; à perditione bonorum, & febribus ab ethica, ab hydropisi, à podagra, à doloribus illorum, & stomaci, ac cordis, alijsq; infirmitatibus liberauit, pristinæq; sanitati restituit. Quæ omnia trecenta, & vnum miracula, ad quorum probationem examinati fuerunt treceñti septuaginta, & vnus testes, in Registris adnotata corã Nobis in publico Consistorio relata fuerunt.

§. 11. His igitur, & alijs miris operibus Sancti huius adstruentibus sanctitatem, & Christianæ fidei virtutem, miraculorum lingua loquẽte concurrit ad Nos vndique populus, creuit de his fama, atque deuotio, laudatur Dominus de salutiferis gratijs, salutis Auctori gratiæ referũtur. Inualuit super his vox communis, & celebris, & plurimorum vox exultationis, etiam Prælatorum Nobis intonuit, & nostra auctoritate inquisitionem fieri super dictis obtinuit. Primùm quidem Venerabili fratri Ioanni Episcopo Prænestino, & dilectis filijs nostris Ioanni tituli Sãcti Laurentij in Lucina Presbytero, & Prospero S. Georgij ad velum aureũ Diacono Cardinalibus cõmisimus, vt veritatem præmissorum, & de miraculorum continuatione inquirerẽt diligenter; quorum relatione, & continuationis miraculorum probata veritas; Nos, & Venerabiles fratres nostros S. R. E. Cardinales de Sancti eiusdem vita mirabili, miraculis, & meritis gloriosis instruxit. Et quia maiora, & plura de Sancto ipso comperimus, quàm insinuata fuissent, de fratrum præfatorũ consilio, & assensu, plurimis Ecclesiæ prælatis adstãtibus, de Omnipotentis Dei virtute, & Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli, ac nostra auctoritate confisi, eundem Beatum Nicolaum Sanctorum Confessorum catalogo duximus adscribendum. Ideò Vniuersitatem vestram monemus, & hortamur attentè per Apostolica scripta vobis præcipiendo mandantes, quatenus quarto Idus Septembris, quo Sanctus ipse migrauit ad Dominum, festum eiusdẽ deuotè, & solemniter celebretis, & faciatis ab omnibus veneratione congrua celebrari; vt pia eius intercessione, & hìc à noxijs protegi, & in futurum sempiterna gaudia consequi valeatis.

§. 12. Et vt ad venerabile eius sepulcrum eò ardentiùs Christifidelium confluat multitudo, & celebriùs eiusdem Confessoris colatur festiuitas, omnibus verè pœnitentibus, & confessis, qui cum deuotione, & reuerentia illuc in eodem festo accesserint, annuatim ipsius suffragia petituris, de Omnipotentis Dei misericordia, & Beatorum Petri, & Pauli

Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, septem annos, & totidem quadragenas de iniunctis eis pœnitentijs misericorditer relaxamus.

Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ Millesimo quadringentesimo quadragesimo sexto, Calendis Februarij, Pontificatus nostri anno decimo sexto.

Constit. III.

Ex Bullario Romano Laertij Cherubini tomo primo, Constit. 25. Eugenij. & transumpto in Archiuo Reu. Cam. Apostolica.

Summarium.

Congregatio Ilicetana à iurisdictione Prouincialis exempta est, & quædam alia priuilegia eidem concessa sunt.

1443. *EVGENIVS EPISCOPVS Seruus Seruorum Dei.*

Ad perpetuam rei memoriam.

§. 1. Regimini vniuersalis Ecclesiæ, quanquàm immeritò, disponente Domino præsidentes, curis perurgemur assiduis, & iuxtà creditæ Nobis dispensationis officium circa subditorum quorumlibet; præsertim sub regulari obseruantia studio vacantium piæ vitæ, in quorum vbique prosperitate reficimur; statum salubrem, & prosperè dirigendum solicitudinis officio intendimus; & ijs, quæ ad laudem, & gloriam diuini nominis, sacriq; cultus augmentum, necnon religionis propagationem, illius profuturam cognoscemus opem, & operã quantum cũ Deo possumus impendimus efficaces, vt per nostræ operationis ministerium, & Apostolici fauoris præsidium personæ huiusmodi, earúmq; monasteria, & loca singulis ab eis sublatis dispendijs, prosperis gratulentur euentibus, & in spiritualibus, & temporalibus felicia conspiciant incrementa.

§. 2. Dudum siquidem nonnulli Generales Priores Ordinis Fratrum Eremitarum S. Augustini Priorem, & Fratres præsentes, & futuros, domos S. Saluatoris syluæ lacus dicti Ordinis Senensis Diœcesis sub regulari obseruantia eiusdem Ordinis degentes, & cuiuslibet ab ipso Generali Priore inferioris obedientia, iurisdictione, & correptione eximẽtes, illas sub protectione sua assumpserunt, & quòd dicti Fratres singulis triennijs singulà Generalia Capitulà in mense Maij in vna ex domibus ipsorum ad id per eorum Vicarium Generalem deputãda, celebrare, ac in huiusmodi Capitulis, vnum Præsidentem tunc celebrandi Capituli, cuius officium tantùm triduo duret, & in cuius manibus antiquus Vicarius officium Vicariatus Fratribus Sancti Saluatoris resignare teneretur, & à quo ipse Vicarius ab huiusmodi officio absolui deberet, quòdq; eundem Vicarium pro delictis per eum commissis, si puniendus foret, punire; necnon electionẽ noui Vicarij pro tempore canonicè celebratam confirmare haberet primò: Et deinde vnum ex ipsis in ipsorum omnium, & singularum domorum societatis Fratrum eorundem Generalem Vicariũ eligere possent; quòdque in Vicarium electus huiusmodi per dictum Præsidentem confirmaretur, & postquàm confirmatus fuisset, omnes, & singulos Fratres

A Priore Generali eximuntur à iurisdictione Prouincialium.

Singulo triennio congregant Capitulũ.

Eligunt Præsidẽtem.

ſocietatis huiuſmodi eaſdẽ, ac prorſus ſimiles iuriſdictionem, & poteſtatem, quam in illos dictus Generalis Prior habet, & exercere poteſt, habere, & exercere, ac quoties opus foret, omnes, & ſingulos Priores domorum eiuſdem ſocietatis Priorẽ ipſius domus Sancti Saluatoris, quẽ per Fratres eiuſdem domus Sancti Saluatoris, illos videlicèt, qui in Capitulo vocem habent eligi, & eius electionis confirmationem ad dictũ Vicarium pertinentem, & quem Priorem ſingulis annis eligi, vel de nouo confirmare voluerunt, dumtaxàt excepto, quoties opus foret inſtituere valeret; necnon ipſe Vicarius ſi eiſdem Fratribus Sancti Saluatoris videbitur, dummodo annis ſingulis officium Prioratus huiuſmodi reſignet, eligi poſſet: nonnulla quoque alia diuerſa, aſſignationes, conceſſiones, licentias, gratias, & indulta conceſſerunt, quorum aliqua per Generalia ipſius Ordinis Capitula, quædam verò auctoritate apoſtolica cõfirmata fuerunt Priori domus S. Saluatoris, & Fratribus ſocietatis huiuſmodi in perpetuum ſucceſſiuè conceſſerunt, prout in Apoſtolicis, & diuerſis eorundem Generalium Priorum literis dicti Ordinis ſigillo munitis, de quibus Nobis legitimè conſtitit, & quæ inſpici, & examinari fecimus diligenter, quorùmque omnium tenores de verbo ad verbum præſentibus pro inſertis haberi volumus, pleniùs continetur.

Fratres de ſanctæ Ilcceti S. Saluatoris eligunt Priorem Domus, qui confirmatur per Vicariũ Generalem.

§. 3. Cum autem ſicut accepimus, tàm Sancti Saluatoris prædicti, quàm in exemptionis, aſſignationũ, conceſſionum, licentiarum, gratiarum, & indultorum eorundem poſſeſſione exiſtunt, quàm Sancti Leonardi, & Sanctæ Mariæ de Monte Spechio, necnon Sancti Antonij ſupra balneum Petrioli domorum dicti Ordinis, & prædictæ, ac Groſſetanæ diœceſis Priores, & Fratres mundanis ſpretis oblectationibus iuxtà ſalutaria prædicti Ordinis inſtituta in huiuſmodi obſeruãtia exemplariter viuentes, varijs, & diuerſis hactenus multiplicauerint ſub charitatis, & ipſius obſeruantiæ vnione virtutum Domino iugiter famulãdo, ad diuini nominis laudem, & ſingulare, & præcipuum ſalutis plurimorũ exemplum. Nos, qui ex iniuncto Nobis (licèt immeritis) Apoſtolicæ ſeruitutis officio, ſynceris deſideramus affectibus, & per noſtræ operationis miniſterium ſingula Religionum loca eorum perſonis, cum exultatione ſpiritus ſub debito profeſſionis obſequio culmina meritorum ſcandentibus, votiua in ſpiritualibus, & temporalibus ſuſcipiunt incrementa, directioni, ſtatui, & conſeruationi Fratrum ſocietatis huiuſmodi prouidere volentes, ac ſperantes, quòd eorum vita laudabili, & fructuoſis operibus prædictis, necnon aliæ eis forſan de cetero cõcedendæ domus in eiſdem ſpiritualibus, & temporalibus proſperos, atque felices ſucceſſus (dante Domino) conſequantur, vt ipſi Priores, & Fratres eò feruentiùs diuinis beneplacitis ſe coaptẽt, quò ſe per Nos, & Sedem Apoſtolicã ſpecialibus fauoribus, & gratijs communitas fore conſpexerint, eorundẽ Prioris, & Fratrum in hac parte ſupplicationibus inclinati, auctoritate Apoſtolica, & ex certa ſcientia, tenore præſentium, exemptiones, aſſignationes, conceſſiones, gratias, & indulta prædicta, ac omnia, & ſingula

in

Confirmatio gratiarum. in prædictis literis contenta, & inde sequuta, cum infrascriptis tamen additionibus, & moderationibus, approbamus, & confirmamus, ac præsentis scripti patrocinio communimus: supplemus quoque omnes, & singulos defectus, si qui forsan interuenerint, in eisdem.

§. 4. Et nihilominùs etiam pro potioris cautelæ suffragio, omnes, & singulos in Sancti Saluatoris, Sancti Leonardi, Beatæ Mariæ, & Sancti Antonij domibus prædictis, pro tẽpore degentes Priores, & Fratres, ac domos ipsas, illorùmq; possessiones, iura, & bona mobilia, & immobilia quælibet, ab omnibus dominio, potestate, superioritate, aliena iurisdictione Prouincialis Prouinciæ, in *Eximũtur à iurisdictione Superiorum excepto Generali.* qua domus prædictæ consistunt, & aliorum dicti Ordinis Fratrum quibuscunque ipsius Ordinis dignitatibus, vel officijs fungentium præsentium, & futurorum (Generali prædicti Ordinis Priore duntaxat excepto) perpetuò eximimus, & penitùs liberamus: necnon sub cura, regimine, gubernatione, & correptione Vicarij Generalis per eas pro tẽpore eligendi, submittimus pariter & subijcimus; ac quòd omnes, & singuli Fratres domorum prædictarum in aliqua ex eisdem domibus, ad hoc per Vicarium huiusmodi deputãda, *Singulo triennio cõgregatur Capitulũ, vel quãdo videbitur opportunũ* singulis triennijs, vel aliàs quando, & quoties, negotiorum, personarũ, locorum, & temporum qualitate pensata, Vicario & Visitatoribus Fratrum dictæ societatis pro tẽpore existentibus, oportunum fore videbitur, seruatis aliàs solemnitatibus, & cæremonijs in generalibus Capitulis Fratrum dicti Ordinis seruari solitis, generalia Capitula Fratrum ipsius societatis, ad quæ dictus Vicarius, & singuli Priores domorum earundem ad minùs si fieri poterit, cũ singulis Diffinitoribus, illòq; personaliter accedere sint adstricti, celebrare, & in huiusmodi Capitulis, quamprimùm inibi Fratres vocales congregati fuerint, vnum in Præsi- *Vnus in Præsidẽtem eligendus est.* dentem tunc celebrandi Capituli, cuius officium tantùm triduo duret, in eiùsq; manibus antiquus Vicarius officium Vicariatus liberè resignet, & à quo ipse Vicarius ab huiusmodi officio absoluatur, quìq; electionem noui Vicarij canonicè celebratam insimul cum Visitatoribus dictæ societatis confirmare possit, & deinde aliquos Visitatores, ac subsequenter vnum ex eis in ipsorum, ac omnium, & singularum domorum prædictarũ, Generalem Vicarium, de cuius vita, & prudentia, & per eum in officio Vicariatus huiusmodi in sequenti Capitulo, postquàm à dicto officio fuerit absolutus aliàs iuxtà constitutionis Ordinis antedicti, inquiratur, & examinetur, necnon per dictum Præsidentem (si puniendus fuerit) puniatur, absoluatur, & per Capitulũ societatis huiusmodi religatur, ac confirmetur in omnibus, & per omnia quemadmodum aliàs in generalibus Capitulis Fratrum dicti Ordinis Generalis Prior ipsius Ordinis inquiri, examinari, puniri, absolui, reeligi, & confirmari consueuit, eligere possint, & valeant: quòdque electus in Vicarium, qui per Præsidentem, & Visitatores prædictos confirmetur, postquàm electus, & confirmatus fuerit (vt præfertur) in omnes, & singulos Fratres societatis huiusmodi, eosdem, ac prorsus similes iurisdictionem, & potestatem, quas

Gene-

Generalis Prior dicti Ordinis pro tempore existens in illos habet, & exercere potest, habeat, & exerceat: necnon quoties opus fuerit Priores domorum, & Conuentuum prædictorum Priore dictæ domus Sancti Saluatoris, quem per Fratres ipsius domus S. Saluatoris, illos videlicèt, qui in Capitulo vocem habent, annis singulis eligi, ac eius electionis confirmationem, nisi forsan ipse Vicarius, qui lapso anno ab officio Vicariatus huiusmodi eò ipso absolutus intelligatur in Priorem eo ipso absque alia confirmatione, quòd Vicarius in Priorem electus, confirmatus intelligatur ad dictum Vicarium pertinere debere, volumus, atque decernimus duntaxàt, excepto, instituere, & amouere.

Vicari' electus cõfirmatus intelligitur.

§. 5. Prætereà quòd in huiusmodi celebrandis Capitulis, dictus Vicarius cum aliquibus Diffinitoribus singularum domorum earundem, quæcunque, quotcunque, & qualiacunque statuta, & ordinationes, dũ tamen regulæ, aut constitutionibus dicti Ordinis, ac sacris Canonibus non obuient, sintq; rationabilia, & honesta, edere, facere, & condere, ac eorum omnia, & singula, in toto, vel in parte, quoties eis oportunum videbitur, corrigere, mutare, illisq; addere: ac dictus Vicarius ipsa omnia, & singula, per censuras ecclesiasticas; & alia iuris remedia, tamen eiusdem iuris apicibus, litiumq; anfractibus non seruatis, per Fratres dictæ societatis irrefragabiliter obseruari facere.

Diffinitiones Congregationis non sint cõtrarię constitutionibus Ordinis

§. 6. Necnon Vicarius insimul cum Visitatoribus prædictis, quoties illos in loco, in quo tunc ipse Vicarius commorabitur, adesse contigerit, alioquin per seipsum, super statutis, & ordinationibus, necnon cõcessionibus, gratijs, & indultis, etiam per Nos confirmatis, dummodò id, super quo dispẽsatio requiritur aliàs societatem ipsam non concernat, quo casu ad generale Capitulum per Fratres societatis huiusmodi pro tẽpore celebrandum, dispensatio pertineat, & dispensatio, quæ per Vicarium, ac maiorem, & saniorem partem huiusmodi Capituli, aut ipsum Vicarium, & Diffinitores prædictos fiet duntaxàt legitima, censeatur dispensare.

§. 7. Præfatus quoque Vicarius, quoties eum abesse contigerit, aut aliàs sibi videbitur loco sui vnum, duos, vel plures, & quot ei placuerit Vicarium, seù Vicarios cum facultate, de qua sibi videbitur, instituere, destituere, necnon ad domos dictæ societatis transmittere.

§. 8. Et insuper Generalis Prior dicti Ordinis pro tempore (qui nullum ex Fratribus dictæ societatis ab ipsa societate remouere, nec aliquẽ ex Fratribus prædicti Ordinis cuiuscunque gradus, vel conditionis ipse Frater existat, ad ipsam societatem, vel aliquam ipsius domũ transferre absque Vicarij pro tempore, & maioris partis societatis eorundem cõsensu, quamuis etiam rationabili causa, vllo vnquam tempore possit) quoties ei placuerit per se insimul cum vno ex Visitatoribus societatis huiusmodi, quem ad hoc duxerit eligendum, vt per Vicarium dictæ societatis dumtaxàt, & non per alium, vnam, vel plures, domũ, vel domus, ac ipsam societatẽ visitare, & secundũ constitutiones Ordinis quos culpabiles repererit, corrigere, & punire.

Prior Generalis potest visitare Congregationẽ iuxta cõstitutiones Ordinis.

§. 3.

§. 9. Quòdque Fratres domorũ earundem præsentes, & futuri, ponere vinum, & alia ad victum necessaria, & vbicunque cum saccis, & sportis publicè mendicandi quærere, ac recipere.

§. 10. Et si forsitan vllo tempore aliquam, seù aliquas Fratrum dicti Ordinis societatem, vel societates, sub regulari obseruantia eiusdẽ Ordinis degentium, huiusmodi societati vniri, & aggregari pro tempore contigerit, quòd in sic vnitarũ societatum Fratres, ac ipsæ vnitæ societates omnibus, & singulis exemptionibus, concessionibus, assignationibus, indultisq; prædictis, ac præsentibus nostris literis, & in eis contentis, vti pariter, & gaudere liberè, & licitè possint, & valeant, eisdem auctoritate, & scientia perpetuò statuimus, decernimus, & ordinamus: ac Fratribus societatis huiusmodi præsentibus, & futuris quandiù sub dicta obseruantia vixerint, prædicta, ac de nouo omnia, & singula exemptiones, concessiones, assignationes, gratias, & indulta per Nos confirmata huiusmodi concedimus pariter, & indulgemus per præsentes.

§. 11. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus, ac literis, & priuilegijs apostolicis generalibus, vel specialibus, etiamsi de illis, quorum omnium tenores etiã præsentibus haberi volumus pro expressis, specialis, & expressa, ac de verbo ad verbum mentio habenda sit, necnon dicti Ordinis iuramento, confirmatione apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, ac literis Generalis Prioris dicti Ordinis pro tempore existentis, & de consensu generalis Capituli ipsius Ordinis sub quacunque forma, forsan in posterum emanandis, ceterisq; contrarijs quibuscunque.

§. 12. Volumus autem, quòd si (quod absit) obseruantia huiusmodi in dicta societate cessare contigerit, præsentes literæ nullius sint roboris, vel momenti. *Irritatur literæ apostolicæ si cessauerit obseruantia.*

§. 13. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ approbationis, confirmationis, communitionis, supplicationis, exemptionis, liberationis, submissionis, subiectionis, statuti, constitutionis, ordinationis, concessionis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire: Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationẽ Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum.

Datum Senis anno Incarnationis Dominicæ Millesimo quadringentesimo quadragesimo tertio, octauo Idus Septembris, Pontificatus nostri anno tertiodecimo.

Constit. IV.

Ex Bullario Romano Laertij Cherubini tomo primo, Constit. 25. Eugenij Quarti.

Summarium.

Declaratur Constitutio præcedens, & easdem exemptiones, & priuilegia renouantur.

EVGENIVS EPISCOPVS *1443.*
Seruus Seruorum Dei,

Ad perpetuam rei memoriam.

§. 1. AD hoc circa regularis obseruantiæ professores eò

eò diligentes paternæ ſolicitudinis vices impendimus, quò fœcundiùs illorum Religio fructum in eos afferat ſalutarem, & laudabilibus in Domino poſſint iugiter proficere incrementis.

§. 2. Nuper ſiquidē per Nos, &c.

Omittitur inſertio Bullæ, quia ipſa eſt, quæ præcedit.

§. 3. Cum autem ſicut exhibita Nobis nuper pro parte Priorum, & Fratrum prædictorum petitio continebat, ipſi Priores, & Fratres dubitent, ne conceſſiones, aſſignationes, ſtatuta, ordinationes prædicta, & alia in dictis literis contenta ex frequentibus ſtatutis per Capitulum ſocietatis huiuſmodi, aut Vicarium, & Diffinitores præfatos forſitan faciendis, in abuſum vadant, illàq; per non vſum abrogentur; & à nonnullis quoque reuocetur in dubium, an aliæ ſocietates Fratrum dicti Ordinis eidē ſocietati abſque Generalis Prioris præfati Ordinis, vel alterius licētia ſe vniri, dictiq; Priores, & Fratres S. Antonij ſupra Balneum Petrioli, & Sanctæ Mariæ de Monte Spechio domos prædictas dimittere poſſent, abſque dictæ Sedis licentia ſpeciali. Et an quod de non amouendis, aut transferendis Fratribus per Generalem Priorem ipſius Ordinis in prædictis noſtris literis ſtatuimus, ad illius generale Capitulum extēdatur, dictuſq; Generalis Prior loco pœnæ, ſeù pœnitentiæ aliquem ex Fratribus huiuſmodi ſocietatis à dicta ſocietate ad tēpus remouere valeat, pro parte Priorum, & Fratrum ſocietatis prædictorum, Nobis fuit humiliter ſupplicatū, vt ſuper his opportunè prouidere de benignitate apoſtolica dignaremur.

§. 4. Nos igitur ad omnes in præmiſſis ambiguitates, & dubium ſubmouendum: & vt Priores, & Fratres ſocietatis prædictæ, qui (vt accepimus) ſub regulari ipſius Ordinis obſeruantia viuentes de die in diem virtutum meritis, ac fructuoſis operibus multiplicari noſcuntur, liberari à noxijs ſua Altiſſimo vota reddere, ac perſonarum numero faciliùs augmentare valeant, prouidere volentes, huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, per Vicarium dictæ ſocietatis pro tempore exiſtentem cum Viſitatoribus præfatis quoties ipſos in loco, in quo prædictus Vicarius cōmorabitur, aliòquin per ſeipſum ſuper pœnitentijs ex quacunque cauſa, etiam propter receſſum ab ipſa ſocietate, vel alia grauiora crimina, & exceſſus Fratribus ſocietatis huiuſmodi impoſitis, vel imponendis, in toto, vel in parte, ac concedendis libris extra ipſorum Conuentus, ſeù domos iuxtà modum, & formam literarum, ſeù conceſſionū, per dilectum filium Magiſtrum Gerardum de Arimino tunc Generalē Priorem dicti Ordinis Fratribus prædictæ ſocietatis, etiam ſub excommunicationis pœna, quam ſecus facientes eo ipſo incurrerent, cōceſſa, duntaxàt, & non aliàs, aut alijs caſibus diſpenſare. *Super pœnitentias quomodo diſpenſetur*

§. 5. Et vna, duæ, vel plures, & quælibet ſocietates Fratrum dicti Ordinis prædictæ ſocietati Generalis Prioris, necnō generalis Capituli eiuſdem Ordinis, & cuiuſlibet alterius licentia ſuper his nullatenus requiſita, & quibuſcunque mandato, ac prohibitione per Generalē Priorem, & generale Capitulum huiuſmodi, aut illorum alterum in con- *Aggregari poſſunt cōgregationi domi Ordinis ſine licētia Prioris Generalis.*

trarium

trarium pro tempore factis nequaquam obstantibus, sub modis, & formis, necnon pactis, & conuentionibus, de quibus eis videbitur se vnire, & aggregare, ipsósq; Prioré, & societatis huiusmodi S. Antonij, & Sanctæ Mariæ domos prædictas, etiam absque dictorum Prioris, & Capituli, ac cuiuscunque alterius licentia dimittere.

§. 6. Necnon Prior pro tempore cum generali Capitulo dicti Ordinis, aut ipsorum quilibet de per se, antequàm ex Fratribus dictæ Societatis ab ipsa societate remouere, aut aliquem ex Fratribus eiusdem Ordinis cuiuscunque gradus, vel conditionis existat, quod prædictam societatem, vel aliquam ipsius domum transferre absque Vicarij pro tẽpore, & maioris partis Fratrum societatis eorundem consensu quauis etiam rationabili causa. Et ipse Generalis Prior pro tempore etiam consensu generalis Capituli Ordinis huiusmodi aliquem ex Fratribus prædictæ societatis quantumcunque culpabilẽ, & criminosum extra domos ipsius societatis punire vllo vnquam tempore nullatenus possit, sed ipsum in eisdem domibus aliàs iuxtà culpas, & demerita ipsius secundùm Canonicas sanctiones, & instituta prædicti Ordinis puniat, ac punire debet.

Fratres culpabiles intra societatẽ puniẽdi.

§. 7. Præthereà quòd nullus ex Fratribus dictæ societatis cuiuscũque status, gradus, vel conditionis existat in ipsa societate, vel aliqua ipsius domo, quibuscunque exemptionibus, immunitatibus, priuilegijs, gratijs, & indultis quorumcunque tenorum existant, eis in specie, vel in genere à Sede Apostolica, seù aliàs pro tempore concessis vti, & gaudere, aut ad aliqua, dignitates, præeminẽtias, administrationes, vel officia dicti Ordinis extra dictam societatem quæcunque, quotcunque, & qualiacunque fuerint, vocari, assumi, aut illis præfici, absque Vicarij, & Diffinitorum pro tempore, aut Capituli societatis prædictorum, siuè maioris partis illorum licentia in scriptis habita, & obtenta, nullatenus possit.

Absque Vicarij licentia non promouetur Fratres ad dignitates, & gradus.

§. 8. Quòdq; Priores, & Fratres societatis huiusmodi, omnibus, & singulis exemptionibus, immunitatibus, priuilegijs, gratijs, & indultis ipsi pro tempore vniendis societatibus per Generalem Priorem dicti Ordinis pro tempore, in specie, seù in genere concessis, vti, & gaudere liberè, & licitè valeant, ex certa scientia, & auctoritate Apostolica tenore præsentium statuimus, decernimus, & ordinamus.

§. 9. Ac præmissa omnia, necnon quòd præfata societas, iuxtà quandã concessionem Priori, & Fratribus prædictæ domus S. Saluatoris per quondam Nicolaum Generalem Priorem dicti Ordinis concessam, de omnibus, & singulis bonis mobilibus, & immobilibus, præsentibus, & futuris, omnium, & singulorum Fratrum dictæ societatis præsentium, & futurorum quæcunque, quotcũque, & qualiacunque huiusmodi bona fuerint, etiam si illa ipsis Fratribus ad eorum vitam concessa extiterint, plenariè succedant, ipsàq; bona ad dictam societatem cum Fratribus ad illam transeuntibus, eo ipso deuoluantur, ac proueniant Priori, & Fratribus dictæ societatis, præsentibus, & futuris, perpetuò concedimus pariter, & indulgemus.

Bona trãseuntium ad societatẽ eiusdem societatis censentur.

§. 10. Non obstantibus constitu-

eò diligentes paternæ ſolicitudinis vices impendimus, quò fœcundiùs illorum Religio fructum in eos afferat ſalutarem, & laudabilibus in Domino poſſint iugiter proficere incrementis.

§. 2. Nuper ſiquidē per Nos, &c.

Omittitur infertio Bullæ, quia ipſa eſt, quæ præcedit.

§. 3. Cum autem ſicut exhibita Nobis nuper pro parte Priorum, & Fratrum prædictorum petitio continebat, ipſi Priores, & Fratres dubitent, ne conceſſiones, aſſignationes, ſtatuta, ordinationes prædicta, & alia in dictis literis contenta ex frequentibus ſtatutis per Capitulum ſocietatis huiuſmodi, aut Vicarium, & Diffinitores præfatos forſitan faciendis, in abuſum vadant, illàq; per non vſum abrogentur; & à nonnullis quoque reuocetur in dubium, an aliæ ſocietates Fratrum dicti Ordinis eidē ſocietati abſque Generalis Prioris præfati Ordinis, vel alterius licētia ſe vniri, dictiq; Priores, & Fratres S. Antonij ſupra Balneum Petrioli, & Sanctæ Mariæ de Monte Spechio domos prædictas dimittere poſſent, abſque dictæ Sedis licentia ſpeciali. Et an quod de non amouendis, aut transferendis Fratribus per Generalem Priorem ipſius Ordinis in prædictis noſtris literis ſtatuimus, ad illius generale Capitulum extēdatur, dictùsq; Generalis Prior loco pœnæ, ſeù pœnitentiæ aliquem ex Fratribus huiuſmodi ſocietatis à dicta ſocietate ad tēpus remouere valeat, pro parte Priorum, & Fratrum ſocietatis prædictorum, Nobis fuit humiliter ſupplicatū, vt ſuper his opportunè prouidere de benignitate apoſtolica dignaremur.

§. 4. Nos igitur ad omnes in præmiſſis ambiguitates, & dubium ſubmouendum: & vt Priores, & Fratres ſocietatis prædictæ, qui (vt accepimus) ſub regulari ipſius Ordinis obſeruantia viuentes de die in diem virtutum meritis, ac fructuoſis operibus multiplicari noſcuntur, liberari à noxijs ſua Altiſſimo vota reddere, ac perſonarum numero faciliùs augmentare valeant, prouidere volentes, huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, per Vicarium dictæ ſocietatis pro tempore exiſtentem cum Viſitatoribus præfatis quoties ipſos in loco, in quo prædictus Vicarius cōmorabitur, aliòquin per ſeipſum ſuper pœnitentijs ex quacunque cauſa, etiam propter receſſum ab ipſa ſocietate, vel alia grauiora crimina, & exceſſus Fratribus ſocietatis huiuſmodi impoſitis, vel imponendis, in toto, vel in parte, ac concedendis libris extra ipſorum Conuentus, ſeù domos iuxtà modum, & formam literarum, ſeù conceſſionū, per dilectum filium Magiſtrum Gerardum de Arimino tunc Generalē Priorem dicti Ordinis Fratribus prædictæ ſocietatis, etiam ſub excommunicationis pœna, quam ſecus facientes eo ipſo incurrerent, cōceſſa, duntaxàt, & non aliàs, aut alijs caſibus diſpenſare. *Super pœnitentias quomodo diſpenſetur*

§. 5. Et vna, duæ, vel plures, & quælibet ſocietates Fratrum dicti Ordinis prædictæ ſocietati Generalis Prioris, necnō generalis Capituli eiuſdem Ordinis, & cuiuſlibet alterius licentia ſuper his nullatenus requiſita, & quibuſcunque mandato, ac prohibitione per Generalē Priorem, & generale Capitulum huiuſmodi, aut illorum alterum in contrarium *Aggregari poſſunt congregationi dom. Ordinis ſine licētia Prioris Generalis.*

trarium pro tempore factis nequaquam obſtantibus, ſub modis, & formis, necnon pactis, & conuentionibus, de quibus eis videbitur ſe vnire, & aggregare, ipsòsq; Priorē, & ſocietatis huiuſmodi S. Antonij, & Sanctæ Mariæ domos prædictas, etiam abſque dictorum Prioris, & Capituli, ac cuiuſcunque alterius licentia dimittere.

§. 6. Necnon Prior pro tempore cum generali Capitulo dicti Ordinis, aut ipſorum quilibet de per ſe, antequàm ex Fratribus dictæ Societatis ab ipſa ſocietate remouere, aut aliquem ex Fratribus eiuſdem Ordinis cuiuſcunque gradus, vel conditionis exiſtat, quod prædictam ſocietatem, vel aliquam ipſius domum transferre abſque Vicarij pro tēpore, & maioris partis Fratrum ſocietatis eorundem conſenſu quauis etiam rationabili cauſa. Et ipſe Generalis Prior pro tempore etiam conſenſu generalis Capituli Ordinis huiuſmodi aliquem ex Fratribus prædictæ ſocietatis quantumcunque culpabilē, & criminoſum extra domos ipſius ſocietatis punire vllo vnquam tempore nullatenus poſſit, ſed ipſum in eiſdem domibus aliàs iuxtà culpas, & demerita ipſius ſecundùm Canonicas ſanctiones, & inſtituta prædicti Ordinis puniat, ac punire debet.

Fratres culpabiles intra ſocietatē puniēdi.

§. 7. Præterea quòd nullus ex Fratribus dictæ ſocietatis cuiuſcūque ſtatus, gradus, vel conditionis exiſtat in ipſa ſocietate, vel aliqua ipſius domo, quibuſcunque exemptionibus, immunitatibus, priuilegijs, gratijs, & indultis quorumcunque tenorum exiſtant, eis in ſpecie, vel in genere à Sede Apoſtolica, ſeù aliàs pro tempore conceſſis vti, & gaudere, aut ad aliqua, dignitates, præeminētias, adminiſtrationes, vel officia dicti Ordinis extra dictam ſocietatem quæcunque, quotcunque, & qualiacunque fuerint, vocari, aſſumi, aut illis præfici, abſque Vicarij, & Diffinitorum pro tempore, aut Capituli ſocietatis prædictorum, ſiuè maioris partis illorum licentia in ſcriptis habita, & obtenta, nullatenus poſſit.

Abſque Vicarij licentia non promouētur Fratres ad dignitates, & gradus.

§. 8. Quòdq; Priores, & Fratres ſocietatis huiuſmodi, omnibus, & ſingulis exemptionibus, immunitatibus, priuilegijs, gratijs, & indultis ipſi pro tempore vniendis ſocietatibus per Generalem Priorem dicti Ordinis pro tempore, in ſpecie, ſeù in genere conceſſis, vti, & gaudere liberè, & licitè valeant, ex certa ſcientia, & auctoritate Apoſtolica tenore præſentium ſtatuimus, decernimus, & ordinamus.

§. 9. Ac præmiſſa omnia, necnon quòd præfata ſocietas, iuxtà quandā conceſſionem Priori, & Fratribus prædictæ domus S. Saluatoris per quondam Nicolaum Generalem Priorem dicti Ordinis conceſſam, de omnibus, & ſingulis bonis mobilibus, & immobilibus, præſentibus, & futuris, omnium, & ſingulorum Fratrum dictæ ſocietatis præſentium, & futurorum quæcunque, quotcūque, & qualiacunque huiuſmodi bona fuerint, etiam ſi illa ipſis Fratribus ad eorum vitam conceſſa extiterint, plenariè ſuccedant, ipſàq; bona ad dictam ſocietatem cum Fratribus ad illam tranſeuntibus, eo ipſo deuoluantur, ac proueniant Priori, & Fratribus dictæ ſocietatis, præſentibus, & futuris, perpetuò concedimus pariter, & indulgemus.

Bona trāſeuntium ad ſocietatē eiuſdem ſocietatis cenſentur.

§. 10. Non obſtantibus con-

L ſtitu-

stitutionibus, & ordinationibus apostolicis, ac omnibus, & singulis in alijs nostris literis prædictis, quas aliàs in suo robore permanere, & quas, necnon præsentes in omnibus, & per omnia obseruari volumus, decernimus, atque mandamus, non obstare volumus, ceterìsq; contrarijs quibuscunque. Volumus autem, quòd si (quod absit) obseruantia huiusmodi in dicta societate cessare contigerit, præsentes literæ eo ipso sint cassæ, & irritæ, nulliùsq. roboris, vel momenti.

Irritantur literæ Apostolicæ ob non obseruãtiam regularẽ.

Nulli ergo &c. Siquis autem &c. Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ Millesimo quadringentesimo quadragesimo tertio, quinto Calendas Decembris, Pontificatus nostri anno tertiodecimo.

Quintam constitutionem edidit Eugenius, quæ habetur in Mare Magno Sixti Quarti, const. 5. num. 10.

Sextam constitutionem edidit Eugenius, quæ habetur infra in Mare Magno Sixti Quarti, const. 5. num. 13.

GREGORII NONI.

Constit. I.

Ex Bulla originali cum sigillo plumbeo, quæ Romæ asseruatur in Archiuo Ordinis. nu. 1.

Summarium.

Ecclesia S Blasij de Brictino assumpta est sub protectione S. Petri, & ab omnibus molestijs, & grauaminibus bona Fratrum liberantur.

1227. *GREGORIVS EPISCOPVS Seruus Seruorum Dei.*

Dilectis filijs Priori, & Fratribus Ecclesiæ Eremi de Brictinis Salutem, & Apostolicam benedictionem.

§. 1. SAcrosancta Romana Ecclesia deuotos, & humiles filios ex assuetæ pietatis officio propensiùs diligere consueuit, & ne prauorum hominum molestijs agitentur, eos tanquàm pia mater suæ protectionis munimine confouere.

§. 2. Ea propter dilecti in Domino filij vestris iustis postulationibus grato concurrentes assensu, personas vestras, & locum, in quo diuino estis obsequio mancipati cum omnibus bonis, quæ in præsentiarum rationabiliter possidetis, aut in futurum honestis modis (dante Domino) poterit adipisci, sub Beati Petri, & nostra protectione suscipimus: Specialiter autem ecclesiam S. Blasij de Brictinis cum pertinentijs suis, possessiones, & alia bona vestra sicut ea omnia iustè, ac pacificè possidetis, vobis, & per vos eidem ecclesiæ vestræ auctoritate apostolica cõfirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus.

§. 3.

§. 3. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ protectionis, & confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attentare præsumpserit indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum.

Datum Lateran. sexto Calendas Decembris, Pontificatus nostri anno primo.

Constit. II.

Ex Bulla originali cum sigillo plumbeo, quæ Romæ asseruatur in Archiuo Ordinis. n.2.

Summarium.

Fratres de Brictinis Ordine ab ipsis inuento, relicto, vnum ex approbatis eligere iubentur, qui elegerunt Ordinem Eremitarum S. Augustini, qui erat vnus ex approbatis.

1228. *GREGORIVS EPISCOPVS Seruus Seruorum Dei.*

Dilectis filijs Fratribus Eremi de Brictinis Fanensis Dioecesis, & alijs Fratribus Eremo ipsi subiectis Salutem, & Apostolicam benedictionem.

§. 1. CVm olim, sicut intelleximus, motu proprio quendam nouum Ordinem inueneritis, & ad ipsius obseruantiam vos duxeritis astringendos, quia tandem illo relicto, cum non esset de Ordinibus approbatis, Beati Augustini regulam recepistis, eàmq; cupitis in perpetuum irrefragabiliter obseruare, Nos vestris supplicationibus inclinati, vos ab obseruantia prædicti Ordinis absoluentes à vobis perpetuis tẽporibus inuiolabiliter obseruari concedimus regulã memoratã.

Fratres de Brictinis assumunt Ordinẽ approbatum S. Augustini.

§. 2. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginã nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire: Siquis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorũ Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum.

Datum Perusij, sexto Idus Decẽb. Pontificatus nostri anno secundo.

Constit. III.

Ex Bulla originali cum sigillo plumbeo, quæ Romæ asseruatur in Archiuo Ordinis. num.3.

Summarium.

Confirmantur Constitutiones, in quibus præscribitur Fratribus de Brictinis forma vestimentorum, ciborum qualitas, & modus Capitulũ celebrandi.

GREGORIVS EPISCOPVS Seruus Seruorum Dei. 1235.

Dilectis filijs Priori, & Fratribus Eremi de Brictinis Fanensis Dioecesis Salutem, & Apostolicam benedictionem.

§. 1. QVæ omnium Conditoris honorem, & profectum continent animarum amore præcipuo diligentes, eo quòd quidquid in desiderio præter illa geritur, apud Dei sapientiam pro nihilo reputetur, dignum fore prouidimus, vt in ijs, quæ intuitu salutis æternæ cupitis, Nos fauorabiles ad Redemptoris gloriam habeatis.

§. 2. Sanè præsentata Nobis vestra petitio continebat, quòd vos vitia carnis cupientes extinguere, vt succedente virtutum gratia possitis perennis vitæ brauium obtinere, deliberatione prouida sta-

tuistis, vt semper in communi Refectorio comedentes, à festo Exaltationis Sanctæ Crucis vsque ad festũ Resurrectionis Dominicæ, præterquàm in diebus Dominicis, (exceptis positis in necessitate Fratribus) ieiunetis; bis in die reliquo tempore comesturi, præterquàm in quarta & sexta feria, ac temporibus alijs ab Ecclesia constitutis, nisi Prior, qui pro tempore fuerit, aliter cum Fratribus duxerit dispensandum.

Ieiuniũ Fratrũ de Brictinis à S. Cruce vsq; ad festũ Resurrectionis.

§. 3. Debiles quoque, ac iter agentes ad obseruantiam dicti ieiunij minimè teneantur, præterquàm in sexta feria Quadragesimæ S. Martini, & temporibus alijs per Ecclesiam constitutis.

Cultellũ non acutum deferant.

§. 4. Insuper Fratres, quorum vnusquisque cultellum habeat non acutum, ab esu carnium, & condimento sanguinis (præter infirmos) penitùs abstinebunt.

§. 5. Caseum, & oua tribus diebus in hebdomada comesturi, exceptis Quadragesima Sancti Martini, ac Septuagesima, & solemnibus ieiunijs per Ecclesiam constitutis, in quibus nec iter agentes caseum, & oua comedant, licèt illis vescendi singulis alijs temporibus liberam habeant facultatem.

§. 6. Statuistis præterea, vt à vobis annis singulis celebretur Capitulum generale, in quo Diffinitores à Priore, & Visitatoribus eligantur. Ipsi verò Diffinitores cum Visitatoribus anni præteriti, corrigendi, & reformandi tàm in capite, quàm in membris, quæ correctionis, & reformationis officio nouerint indigere, liberam habeant potestatem.

§. 7. Item quòd Visitatores etiã ordinentur, qui omnia loca Fratrum visitent, corrigant, & reformẽt, prout secundùm Deum, & Beati Augustini Regulam, secundùm quam statuistis Domino in perpetuum famulari, viderint expedire.

§. 8. Ceterùm humiliter attendentes, quòd Regnum Dei non in pretiosa veste consistit, & quòd induit paupertatis habitum Conditor singulorum, laudabiliter statuistis, vt Fratres vestri Ordinis de colore, seù valore vestium minimè contendentes, semper in eis vilitatem obseruent, & quatuor tunicis, vna cuculla, & duobus scapularijs sint contenti: Item quilibet Frater cingatur desuper ampla corrigia non consuta, & illa contentus existat: Itẽ quòd non vtantur lineis indumentis, nec extrà Eremum, possessiones, præter hortum, & siluam, habere præsumãt. Super habendis caligis, calceis, & similibus, Prior secundùm suum arbitrium, potestatem habeat disponendi.

§. 9. Item quòd nullus in mensa Fratrum, recipiatur, nisi Religiosus extiterit, vel constitutus in aliqua Prælatura. Quarè Nobis humiliter supplicastis, vt statutum huiusmodi, apostolico dignaremur munimine roborare.

§. 10. Nos igitur vestris iustis precibus inclinati, statutum ipsum auctoritate apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio cõmunimus; iure Diœcesanorum Episcoporum in omnibus semper saluo.

§. 11. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginã nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire: Si quis autem hoc attẽtare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum

torum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum.

Datum Peruſij, tertio Idus Martij Pontificatus noſtri anno octauo.

Conſtit. IV.

Ex Bulla originali cum ſigillo plumbeo, quæ Romæ aſſeruatur in Archiuo Ordinis. nu. 4.

Summarium.

Fratres Eremitæ de Silua lacus ex mandato Pontificis Regulam obſeruant S. Auguſtini.

1231. *GREGORIVS EPISCOPVS Seruus Seruorum Dei.*

Venerabili fratri Epiſcopo Senenſi Salutem, & Apoſtolicam benedictionem.

§. 1. Dilecti filij de Monteſpeculo, & de Silua lacus Fratrum Eremitarum Priores Nobis humiliter ſupplicarunt, vt cũ tàm ipſi, quàm Fratres in eiſdem locis, & alijs tuæ Diœceſis Eremiticã vitam ducentes in ingreſſu locorum ipſorum abrenuntient proprijs, continentiam voueant, promittant obedientiam, & ſub regulari habitu perpetuò ſe victuros, quia non habent Regulam ſpecialem, ſecundũ quam tàm in diuinis officijs, quàm in alijs viuere debeant, ſeù delinquentium corrigantur exceſſus, vel aliàs cum expedit ipſorum valeat prouideri ſaluti; eis ſuper ijs, ne tanquàm acephali promiſſionis factæ inueniantur temerarij tranſgreſſores, prouidere miſericorditer dignaremur.

§. 2. Nos igitur ſupplicationes eorum dignas fauore beneuolo reputantes, fraternitati tuæ, de qua plenam in Domino fiduciam obtinemus, per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus de ipſorum ſalute, prout tua noſcitur ſpecialiter intereſſe, ſolicitus, habito Religioſorum & aliorum virorum prudentum cõſilio, huiuſmodi Fratribus in tua Diœceſi commorantibus, vnam de Regulis approbatis, quam ipſis ſecundùm Deum magis videris expedire, concedas, ac in locis eorundem Fratrum officium Viſitationis impendas, corrigas, & reformes ibìdem, quæ ſecundùm Regulam, quam eis conceſſeris, correctionis, & reformationis officio noueris indigere, facturus quæ ſtatueris ab omnibus inuiolabiliter obſeruari. Contradictores per cenſuram eccleſiaſticam (appellatione poſtpoſita) compeſcendo.

§. 3. Illis quoque de prædictis Fratribus, qui pro violenta manuum iniectione in Canonem inciderint ſententiæ promulgatæ, iuxtà formam Eccleſiæ beneficium abſolutionis impendas, cum eiſdem etiam delinquentibus, quoties opus fuerit, prouidè diſpenſabis, prout ſecundũ Deum videris diſpenſandum; niſi tàm iniectorum manuum, quàm eorum, qui gratia diſpenſationis eguerint, adeò fuerit enormis exceſſus, quòd meritò ſit ad Sedem Apoſtolicam recurrendum.

Datum Lateran. tertio Nonas Ianuarij, Pontificatus noſtri anno quarto.

Conſtit. V.

Ex Tranſumpto manuſcripto, quod in Archiuo Ordinis aſſeruatur. num. 5. & hac eadem citatur ab Alexandro Quarto conſtit. 21.

Summarium.

Forma habitus Ordinis describitur, pro quo controuersia orta cum Fratribus Minoribus dirimitur.

1236. *GREGORIVS EPISCOPVS Seruus Seruorum Dei.*

Venerabilibus Fratribus Episcopis per Anconitanam Marchiam constitutis Salutem, & Apostolicam benedictionem.

Fratres Ioannis Boni Ordinis S. Augustini.

§. 1. DVdum apparuit in partibus Lombardiæ Religio, cuius professores vocati Eremitæ Fratris Ioannis Boni Ordinis S. Augustini, nunc succincti tunicas cum corrigijs baculos gestantes in manibus; nunc verò dimissis baculis incedebant, pecuniam pro eleemosynis, alijsq; subsidijs deposcentes, & adeò variantes Ordinis sui substãtiam, vt dilectis filijs Fratribus Minoribus vniformes in derogationem multiplicem ipsorum Ordinis, crederentur, eisdem propter hoc minorem apud fideles sentientibus in suis oportunitatibus charitatem.

§. 2. Sanè cum per Venerabilem Fratrem nostrum Ostiensem Episcopum, & bonæ memoriæ T. tituli Sanctæ Sabinæ Presbyterum Cardinalem, tunc in partibus illis legatione fungentes, huiusmodi præsumptio ad nostram audientiam peruenisset; Nos ne identitas vestium in Ordinibus ipsis confusionem pareret, & inde scandala grauiora consurgerent, ad vtrorumque quietem prouidimus statuendum, vt Prior, & vniuersi, ac singuli Fratres prædicti Ordinis S. Augustini in exterioribus vestimentis, quæ nigri, vel albi debebant esse coloris, quorum altero videlicèt nigro, iam electo ab eis, ipsos volumus manere contentos: largas, & protensas manicas, quasi ad instar cucullarum, & desuper ipsa ferant peramplas corrigias, & patenter omnibus apparentes, ita quòd omnes cincti deforis eas vestibus nequaquam contegant, & portantes in manibus baculos quinque palmorum grandium, ac expressè in eleemosynarum petitione, cuius sint Ordinis, declarantes, adeò suarum vestium longitudinem temperent, quòd à quibusque ipsorum calceamenta liberè videantur, vt sic habitus confusione semota, & sublata materia scandali à prædictorum Ordinum Fratribus possit virtutum Domino liberiùs, & gratiùs deseruiri.

Forma habitus S. Augustini debēt apparere calceamenta discalceatis pedibus i-cedere secundū Ordinē S. Augustini.

§. 3. Verùm cum quidam Eremitæ præfati Ordinis S. Augustini, ac alij Religiosi supradicti Eremitis cõformes habitu in eadem Marchia constituti formam prædictæ identitatis prohibitam, gestare dicantur in eorundem Fratrum Minorum infamiam, & scandalum plurimorum f. p. m. quàm vniuersis, & singulis Eremitarum, ac Religiosorum districtiùs iniungatis, vt citra præmissa memoratæ prouisionis statutum inuiolabiliter obseruantes, eum, quem veniens monitus non resipuerit, excommunicandum ab eis donec redeat ad mandatum, à suo consortio excludere, non postponant.

§. 4. Ceterùm quia pietas persuadet, vt ipsi ex obedientiæ studio præmium honoris, & gratiæ consequanrur, eos prædictam prouisionẽ laudabiliter obseruare studentes, curetis benigno fauore prosequi, & tanquàm catholicos Ecclesiæ filios faciatis ab alijs confoueri.

§. 5.

§. 5. Si verò voluntatis arbitriũ præferendo iudicio cõtrauenire præſumpſerint,in eos excommunicationis ſententiam promulgetis, quam per veſtras Ciuitates, & Diœceſes publicari ſolemniter,& eoſdem tanquàm excommunicatos vſque ad ſatisfactionem condignam arctiùs euitari ab omnibus faciatis.

Datum Lateran. nono Calendas Aprilis, Pontificatus noſtri anno decimoquarto.

GREGORII X. Conſtit. Vnica.

Ex Bulla originali cum ſigillo plumbeo, quæ Romæ aſſeruatur in Archiuo Ordinis. n. 1.

Summarium.

Epiſcopus Lucenſis conſtituitur defenſor Prouincialis, & Fratrum Ordinis contra priuilegiorum contemptores.

1258. *GREGORIVS EPISCOPVS Seruus Seruorum Dei.*

Dilecto filio Archipresbytero eccleſiæ Lucenſis Salutem, & Apoſtolicam benedictionem.

§. 1. SVb Religionis habitu vacantibus ſtudio piæ vitæ, ita debemus eſſe propitij, vt in diuinis beneplacitis exequendis, malignorum non poſſint obſtaculis impediri.

§. 2. Cum itaque dilecti filij Prior Prouincialis, & Fratres Eremitarum in Tuſcia Ordinis S. Auguſtini, à nonnullis, qui nomen Domini recipere in vacuum non formidant, graues (prout accepimus) patiantur iniurias, & iacturas; Nos eorũ prouidere quieti, & malignorum malitijs obuiare volentes,diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus dictos Priorem, & Fratres pro diuina, & noſtra reuerentia fauoris oportuni præſidio proſequens, non permittas eos contra indulta priuilegiorum Apoſtolicæ Sedis ab aliquibus indebitè moleſtari: moleſtatores huiuſmodi per cenſuram eccleſiaſticam (appellatione poſtpoſita) compeſcendo.

Compellantur moleſtãtes Ordinẽ cõtra priuilegia ſub cenſuris vt deſiſtant.

§. 3. Non obſtante ſi aliquibus à prædicta ſit Sede indultum, quòd ſuſpendi, vel interdici, aut excommunicari non poſſint per literas Sedis eiuſdem, niſi de indulto huiuſmodi plena, & expreſſa in eis mentio habeatur.

§. 4. Attentiùs prouiſurus, vt de ijs, quæ cauſæ cognitionem exigũt, vel quæ indulta huiuſmodi nõ contingunt, te nullatenus intromittas; Nos enim ſi ſecus præſumpſeris,tàm præſentes literas, quàm etiam proceſſum, quem per te illarum auctoritate haberi contigerit omnino carere iuribus, ac nullius fore decernimus firmitatis. Huiuſmodi ergo mandatum noſtrum ſic ſapienter, & fideliter exequaris, vt eius fines quomodolibet non excedas. Præſentibus poſt trienniũ minimè valituris.

Datum apud Vrbemueterẽ,quarto Nonas Ianuarij, Pontificatus noſtri anno primo.

GREGORII XI. Conſtit. I.

Ex Bulla originali cum ſigillo plumbeo, quæ Romæ aſſeruatur in Archiuo Ordinis. n. 1.

Summarium.

Fratres Ordinis Capellani etiam Sedis Apoſtolicæ, obedientiæ,& correctioni ſuorum Superiorum ſunt ſubiecti.

GRE-

1372. GREGORIVS EPISCOPVS Seruus Seruorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. 1. AD Romani Pontificis prouidentiam circumſpectam, ſic Sedis Apoſtolicæ priuilegia, & indulta moderari pertinere dignoſcitur, quòd ex eis materia malignandi nulli detur, ac perſonæ, quæ ſub Religionis habitu vacare debent ſtudio piæ vitæ, à bono obedientiæ, & à perſeuerantia diuini ſeruitij nullatenus retrahantur.

§. 2. Sanè nuper ad noſtrum relatio fidedigna perduxit auditum, quòd nonnulli Religioſi, etiã Mendicantes, qui in Capellanos Sedis Apoſtolicæ ſe recipi procurarunt, propterea bonum obedientiæ, & correctionem recuſantes, per mundum, & vt plurimum ſinè Superiorũ ſuorum licentia ſæpiùs euagando diſcurrunt, & quandòque ad Romanam Curiam accedunt, aſſerentes, ſine huiuſmodi ſuorum Superiorum licentia ſe hoc poſſe facere.

§. 3. Nos igitur in præmiſſis, prout ex debito tenemur paſtoralis officij, ſalubriter prouidere cupientes, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium ſtatuimus, volumus, & etiã ordinamus, quòd omnes, & ſinguli Religioſi quorumcunque Ordinum, etiam Mendicantium, dictæ Sedis Capellani, qui ſunt, & in anteà erũt, perinde eorum Superioribus, & correctioni ipſorum in omnibus, & per omnia ſint ſubiecti, ac ſi prædictæ Sedis Capellani non eſſent.

Mendicãtes Capellani Sedis Apoſtolicæ ſunt ſubiecti ſuis Superioribus.

§. 4. Non obſtantibus exemptionibus, & alijs quibuſcunque priuilegijs, indulgentiis, & gratijs, ac literis Apoſtolicis Capellanis dictæ Sedis, vel alijs communiter, vel diuiſim ſub quacunque forma, vel expreſſione verborum à dicta Sede conceſſis, vel in poſterùm concedendis, etiam ſi de illis plena, & expreſſa mentio, ac de verbo ad verbum in præſentibus ſit habenda, quæ quoad hoc alicui in nullo volumus ſuffragari.

§. 5. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ conſtitutionis, voluntatis, & ordinationis infringere, vel ei auſu temerario contraire: Siquis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorũ Petri, & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum.

Datum Auenioni, quinto Idus Nouembris, Pontificatus noſtri anno tertio.

Conſtit. II.

Ex Bulla originali cum ſigillo plumbeo, quæ Romæ aſſeruatur in Archiuo Ordinis. num. 2.

Summarium.

Tranſeuntes ad alios Ordines abſque licentia Superiorum, redire compelli poſſunt à Diœceſanis, cum fuerint à Superioribus Ordinum requiſiti.

GREGORIVS EPISCOPVS. 1372. Seruus Seruorum Dei.

Venerabilibus fratribus vniuerſis Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis, ac dilectis filijs Electis vbicunque conſiſtentibus, ad quos præſentes peruenerint, Salutem, & Apoſtolicam benedictionem.

§. 1. IVſtis petitionibus ſupplicum, & ijs præcipuè, quæ animarum ſalutem, & reſtitutionem iurium

iurium quorumlibet reſpiciunt libẽter annuimus, & eis quantum cum Deo poſſumus fauorem apoſtolicum impertimur.

§. 2. Sanè petitio pro parte dilectorum filiorum Prioris Generalis Fratrum Ordinis Eremitarum Sancti Auguſtini Nobis nuper exhibita cõtinebat, quòd ſæpè nonnulli diſciplinam effugere cupientes, non petita, nec obtenta; quidam verò alij, præfati Ordinis profeſſores, petita, & obtenta ſuorum Superiorum licentia, præfatum Ordinem egrediũtur, & ad alios Ordines ſe transferunt, ac bona, ad eorum, vel ad communem Fratrum dicti Ordinis vſum deputata, ſecum ferunt in animarum ſuarũ periculum, dicti Ordinis præiudiciũ, & iacturam. Quarè dicti Prior, & Fratres Nobis humiliter ſupplicarunt, vt eis ſuper hoc prouidere de oportuno remedio dignaremur.

§. 3. Nos igitur animarum ſaluti, ac indemnitati dictorum Prioris, & Fratrum, & Ordinis prouidere volentes diſcretioni veſtræ per apoſtolica ſcripta committimus, & mandamus, quatenus vos, & ſinguli veſtrum, per vos, vel alium, ſeù alios, eum per dictos Priorem, vel alios Superiores in eodem Ordine, ac pro parte Fratrum eiuſdem Ordinis ſuper ijs fueritis legitimè requiſiti, omnes, & ſingulos prædictos, qui abſque licentia receſſerunt, & alios ipſius Ordinis profeſſores, qui deinceps (quod abſit) abſque Sedis Apoſtolicæ licentia debita, præfatum Ordinem egredientes, ad alios Ordines ſe transferent, & bona huiuſmodi aſportabunt, quacunque præfulgeant dignitate, vt ad præfatum Ordinem redeant, ac receptores, & fautores eorum, vt ad ipſos redire permittãt, & tàm eoſdem, quàm illos, qui (vt præfertur) de licentia receſſerunt, ac alios dicti Ordinis Profeſſores, qui ex nunc in antea cum debita licentia de præfato Ordine Eremitarum ad huiuſmodi alios Ordines ſe tranſtulerint, & ſecum bona ſimilia aſportauerint, necnon ipſorum, & bonorũ huiuſmodi receptores, vt bona huiuſmodi præfatis Priori, & Fratribus reſtituant; necnon contradictores quoſlibet ſuper ijs, & rebelles per cenſuram eccleſiaſticam appellatione remota cogatis.

Sine licentia Sedis Apoſtolicæ egredientes ab Ordine redire compellãtur

Bona tranſeũtium cũ licentia ad alios Ordines ſunt illius Ordinis à quo receſſerunt.

§. 4. Non obſtante ſi eis, vel quibuſuis alijs communiter, vel diuiſim à dicta Sede ſit indultum, quòd interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto huiuſmodi mentionem.

Datum apud Villam nouam Auenionenſis Diœceſis, quarto Nonas Maij, Pontificatus noſtri anno quarto.

GREGORII XII.

Conſtit. Vnica.

Ex Bulla originali cum ſigillo plumbeo, quæ Romæ aſſeruatur in Archiuo Ordinis. n. 1.

Summarium.

Conceditur facultas Canonicis de Silua lacus Sancti Saluatoris, quòd poſſint redire ad Regulam Ordinis, & ad locum Iliceti, & eiuſdem habitum reaſſumere.

GRE-

1407. GREGORIVS EPISCOPVS
Seruus Seruorum Dei.

Dilectis filijs Canonicis, ſiuè Fratribus Sancti Saluatoris de Silua lacus ad Romanam Eccleſiam nullo medio pertinentis Ordinis S. Auguſtini Senenſis Diœceſis, Salutem, & Apoſtolicam benedictionem.

§. 1. SAcræ Religionis honeſtas, ſub qua deuotum, ac ſedulum exhibetis Domino famulatum, meritò Nos inducit, vt ad ea, quæ mentis veſtræ quietem reſpiciunt, totis deſiderijs intendamus.

§. 2. Proinde ex certis iuſtis, & rationabilibus cauſis, animum noſtrum legitimè inducentibus, pro animarum veſtrarum maiori quiete, vobis omnibus, & ſingulis, redeũdi ad Regulam Fratrum Eremitarum dicti Ordinis ad locum de Ilicero, Senenſis Diœceſis, & eorum habitũ reaſſumendi, gaudendi quoque, ac vtendi omnibus, & ſingulis exemptionibus, immunitatibus, & priuilegijs, quibus ante dicti habitus mutationem gaudebatis, ſiuè in dicto Eremitarum Ordine vtebamini (Cõſtitutionibus, & literis Apoſtolicis, ſeù dictorum Ordinum, vel alijs contrarijs non obſtantibus quibuſcunque) ex certa ſcientia, motu proprio, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium indulgemus.

Canonicis de Silua lacus datur facultas adeũdi ad Ordinem.

Datum Arimini, duodecimo Calendas Decembris, Pontificatus noſtri, anno ſecundo.

GREGORII XIII. Conſtit. I.

Ex Breue Apoſtolico originali, quod Romæ aſſeruatur in Archiuo Ordinis. num. 1. & eſt in Bullario Conſtit. 5. Gregorij XIII.

Summarium.

Prior Generalis habet facultatem concedendi beneplacitum Apoſtolicum in alienationibus bonorum Ordinis, in euidentem vtilitatem factis.

GREGORIVS PAPA XIII. 1572.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. 1. DVm ad vberes, ſalutiferòsq; fructus, quos benedicente Domino ſacer dilectorum filiorum Fratrum Eremitarum Sãcti Auguſtini Ordo, in vinea Domini protulit, & in dies proferre non ceſſat, debitum reſpectum habemus, ac planè agnoſcimus, quòd ij, tanquàm huius Sedis ſpeciales filij, tàm verbũ Dei, per Vrbes, & regiones diſſeminando, quàm vbìque varia charitatis opera adimplendo, Nos in huius paſtoralis officij onere coadiuuare non ceſſant; facere nullo modo poſſumus, quin eos ſpeciali quadam huius Sedis beneuolentia proſequẽtes, ea ſibi fauorabiliter cõcedamus, per quæ eorum indemnitati, monaſteriorùmq; ſuorum vtilitati valeat ſalubriter prouideri.

§. 2. Exponi ſanè Nobis nuper fecerunt ijdẽ Fratres Eremitæ, quòd ſæpenumero accidit, vt pro aliqua vrgenti neceſſitate, vel vtilitate monaſteriorum, domorum, & locorum dicti Ordinis, tàm virorum, quàm mulierum, illorum bona locare, alienare, permutare, vel in emphyteoſim, ſeù liuellum dare, expediret, ac quandòque contingit, vt conditio ſemel oblata, ſi permittatur, maximã afferat iacturam, præterquamquòd difficile admodum exiſtit pro ſingulis minimis commutationibus, & alijs con-

contractibus, ad Sedem præfatam recurrere, ac id non sinè ipsius Ordinis in paupertate fundati inquietudine esse potest. Quarè ijdem Fratres Eremitæ Nobis humiliter supplicari fecerunt, vt in præmissis opportunè prouidere de benignitate Apostolica dignaremur.

Prior Generalis concedit beneplacitũ apostolicũ in alienatione bonorum.

§. 3. Nos fel. rec. Sixti Quarti, & Leonis Decimi, ac aliorum Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum vestigijs inhærere volentes, ipsòsq; Fratres Eremitas, & eorum quemlibet à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, alijsq; ecclesiasticis sententijs, censuris, & pœnis, à iure, vel ab homine quauis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium dũtaxàt consequendum harum serie absoluentes, & absolutos fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, eisdem Fratribus Eremitis, vt ex nunc de cetero perpetuis futuris temporibus, Fratres, & Moniales dicti totius Ordinis Eremitarũ Sancti Augustini omnium, & quorumcunque monasteriorum, domorum, & locorum eiusdem Ordinis vbilibet nunc, & pro tempore consistentium liberè, & licitè possint, & valeant quæcunque bona stabilia, & immobilia, seù quasi stabilia cuiuscunque qualitatis, & quantitatis, & valoris, & in quocunque loco existentia eorundem monasteriorum, domorum, & locorum vendere, alienare, & permutare, & etiã in emphyteosim, seù ad liuellum, etiam ad longum tempus concedere, & pro pretio, affictu, pactis, modis, & formis hinc inde conueniendis, licentiam, & facultatem Apostolica auctoritate tenore præsentium concedimus.

Alienatio debet fieri in euidentẽ vtilitatem.

§. 4. Prouiso tamen, quòd fiant pro vtilitate, vel commoditate ipsorum monasteriorum, domorum, & locorum, & quòd consensus duarum partium ex tribus partibus Fratrum, vel Monialium illius monasterij, domus, vel loci, cuius dicta bona erũt, accedat, & interueniat: & quoad concessionem in emphyteosim, dũmodo illa non fiat vltra duas generationes, vel nominationes absque alia à Nobis, vel successoribus nostris Romanis Pontificibus pro tempore existentibus, aut Sede Apostolica, vel illius de latere Legatis, seù Nuntijs, aut etiam locorum Ordinarijs petenda, vel obtinenda licentia, seù confirmatione; ita tamen quòd loco consensus Sedis Apostolicæ, dilectus filius Prior Generalis dicti Ordinis, nunc, & pro tempore existens & diligenter examinata, & euidenter vtili comprobata habeat, prout sibi ex nunc perpetuò concedimus potestatem ratificandi huiusmodi locationes, concessiones, venditiones, & alienationes, ac contractus, sicq; vbi talis ordo non fuerit seruatus, locatio, concessio, venditio, & alienatio, ac contractus aliter facti, nulli, & inualidi, nulliùsq; roboris, ac momenti existant, & donec præfatus Prior Generalis modo præfato non ratificauerit, possessio remaneat, & remanere intelligatur penè ipsos Fratres, seù Moniales dicti monasterij, seù domus, aut loci sic locantis, & alienantis, ac ita in præmissis sic perpetuò declaramus, & decernimus.

Generalis ratificat concessiones factas, & contractus.

§. 5. Et nihilominùs ex nunc prout ex tunc, & è contra, postquàm locationes, concessiones, venditiones,

nes, & alienationes, ac contractus (seruatis supra narratis) pro tempore factas, & per dictum Priorem Generalem ratificati fuerint, vt præfertur, seù consensus eiusdem Prioris Generalis interuenerit, easdem locationes, concessiones, venditiones, alienationes, & contractus, ac inde secuta quæcunque, necnon instrumenta, & scripturas desuper pro tẽpore confectas, approbamus, & confirmamus, ac perpetuæ firmitatis robur obtinere debere statuimus, omnèsq; & singulos tàm iuris, quàm facti defectus (si qui forsan interuenerint in eisdem quomodolibet) supplemus.

Vtilitas & commoditas requirũtur in alienationibus

§. 6. Decernentes quoad vtilitatem, seù commoditatem monasteriorum, domorum, & locorum præfatorum assentioni duarum partium ex tribus partibus Fratrum, vel Monialium illius loci, cuius bona erunt, postquàm ratificatio facta fuerit, illàsque, & illa, necnon præsentes, & in eis contenta, validas, & efficaces, ac valida, & efficacia perpetuò fore, necnon ab omnibus obseruari debere, ipsòsque, & cum eis contrahẽtes præfatos, super præmissis, & inde secutis quibuscunque per quoscũque quauis auctoritate quomodolibet molestari, vel impediri non posse: necnon irritum, & inane si secus super his à quoquam quauis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 7. Quocircà Venerabilibus Fratribus nostris Ioanni Episcopo Albanensi Cardinali de Montepolitiano nũcupato Ordinis Fratrum Eremitarum S. Augustini Protectori, & Alexandro Patriarchæ Alexandrino Curiæ causarum Cameræ Apostolicæ Generali Auditori, ac Bartholomæo Episcopo Amerinensi Cancellariæ Apostolicæ Regenti nunc, & pro tempore existentibus, per præsentes committimus, & mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut vnus eorum, per se, vel alium, seù alios, præsentes literas, & in eis cõtenta quæcunque, vbi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte eorundem Fratrum Eremitarum, vel Monialium, aut alicuius eorum super his fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque, & eorum cuilibet in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant easdem præsentes, & in eis contenta quæcũque ab omnibus, quos illa concernunt, integrè, & inuiolabiliter obseruari: Non permittentes eos, aut eorum aliquem desuper contra earundem præsentiũ tenorẽ quomodolibet indebitè molestari; Contradictores quoslibet, & rebelles per sententias, censuras, & pœnas ecclesiasticas, aliàq; oportuna iuris, & facti remedia (appellatione postposita) compescendo, legitimìsq; super his habendis seruatis processibus, sententias, censuras, & pœnas ipsas, etiam iteratis vicibus aggrauando, inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij secularis.

§. 8. Non obstantibus fel. rec. Bonifacij Papæ Octaui prædecessoris nostri de vna, & in Concilio Generali edita de duabus dietis, dummodò vltra tres dietas quis vigore præsentium ad iudicium non trahatur, & alijs Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis: necnon quibusuis etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus,

nibus, priuilegijs quoque, & indultis, & literis Apoſtolicis quibuſuis ſub quibuſcunque tenoribus, & formis, ac cum quibuſuis etiam derogatoriarum derogatorijs, alijsque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, ac irritantibus, & alijs decretis in genere, vel in ſpecie, etiam Motu proprio, ac aliàs quomodolibet, & iteratis vicibus conceſſis, approbatis, & innouatis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi de illis, ac totis eorum tenoribus, ſpecialis, & ſpecifica, indiuidua, & expreſſa mentio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſeruanda eſſet; tenores huiuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum inſererentur, præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice duntaxàt ſpecialiter, & expreſsè derogamus, ceterìsq; contrarijs quibuſcunque, ſeù ſi aliquibus communiter, vel diuiſim ab eadem ſit Sede indultum, quòd interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas apoſtolicas, non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto huiuſmodi mentionem.

Datum Romæ apud S. Marcum, ſub Anulo Piſcatoris, die quinta Septembris, Milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo ſecundo, Pontificatus noſtri anno primo.

Conſtit. II.

Ex Breue Apoſtolico originali Romæ aſſeruato in Archiuo Ordinis. num. 2.

Summarium.

Prior Generalis Thadæus Peruſinus habuit auctoritatem creandi Magiſtros in Theologia repertos idoneos.

A tergo

Dilecto filio Thadæo de Peruſia ſacri Ordinis Fratrum Eremitarum S. Auguſtini Priori Generali.

GREGORIVS PAPA XIII. 1572.

Dilecte fili Salutem, & Apoſtolicam benedictionem.

§. 1. CVm ſicut accepimus, pro tui Generalatus officij cura, ad viſitanda tui Ordinis monaſteria, quæ vltra montes exiſtunt (concedente Domino) proficiſci intendas, & aliquos eiuſdem tui Ordinis Fratres ibi inuenire ſperes, qui ſtudijs ac literis ad Religionis, ac fidei catholicæ defenſionem adeò inſudauerint, vt eorum doctrina, ac virtutibus ſic exigentibus, ad magiſtralia inſignia promoueri mereantur.

Thadæ Peruſinus obtinuit facultatē creandi Magiſtros vltra montes.

§. 2. Nos volentes talium commoditati oportunè conſulere, ac de tua in ſacris literis eruditione, probitate, ac prudentia magnoperè in Domino confidentes; tibi quindecim dicti tui Ordinis Religioſos, qui tibi ob eorum ſcientiam, bonitatem, ac morum honeſtatem, & ſufficientiam ita mereri viſi fuerint, & verè ob eorum paupertatem in aliqua Vniuerſitate, aut publico Collegio promoueri nequeant, præuio tamen rigoroſo examine in præfatis partibus vltramontanis, eos, prout tibi expedire videbitur proportionabili-

ter diſtribuẽdo, ad Magiſterij gradus, in artibus, & Theologia promouendis, ac ſolita inſignia eis conferendi, & eos abſolutè, ac liberè Magiſtros creandi, & pronunciandi auctoritate Apoſtolica tenore præſentium facultatem concedimus.

Magiſtri creati à Generale gaudent priuilegijs, & exèptionibus Vniuerſitatum.

§. 3. Necnon eiſdem ſic per te pro tempore promotis, vt omnibus, & ſingulis priuilegijs, indultis, exemptionibus, facultatibus, prærogatiuis, & gratijs, quibus alij ſimiles Magiſtri, in Vniuerſitatibus Studiorum generalium promoti, de iure, vel conſuetudine gaudent, ſeù quomodolibet in futurum gaudere poterunt, vti, potiri, & gaudere liberè, & licitè valeant, auctoritate, & tenore prædictis indulgemus.

§. 4. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac dicti Ordinis, iuramento, confirmatione apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, priuilegijs quoque indultis, ceteriſque contrarijs quibuſcunque.

Datum Romæ apud S. Marcum, ſub Anulo Piſcatoris, die tertia Septembris, Milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo ſecundo, Pontificatus noſtri anno primo.

Conſtit. III.

Ex Breue Apoſtolico originali aſſeruato Romæ in Archiuo Ordinis. num. 3.

Summarium.

Solus Prior Generalis Ordinis habet facultatem aggregandi Archiconfraternitati Centuratorum.

GREGORIVS PAPA XIII. 1579.

Ad futuram rei memoriam:

§. 1. Volentes, ſicut conueniens eſſe videtur, vt patentes vnionum, & aggregationum Confraternitatum, ſeù Societatum Centuratorum, quæ pro tempore de cetero fient Confraternitati Sancti Iacobi Ciuitatis noſtræ Bononiæ ſub nomine dilecti filij Generalis Ordinis Sancti Auguſtini, non autem ſub nomine Cuſtodis expediantur; mandamus in virtute ſanctæ obedientiæ omnibus, ad quos ſpectat, ne deinceps patentes huiuſmodi ſub nomine dicti Cuſtodis vllo modo, ſed ſub nomine eiuſdem Generalis tantùm expediantur; nec dictæ Confraternitates ſic (vt præfertur) pro tempore aggregatæ, ad quidquam ſoluendum ipſi Confraternitati Sancti Iacobi, ratione aggregationis huiuſmodi ſoluere teneantur. Decernentes irritũ, & inane quidquid ſecus ſuper his à quoquam, quauis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Aggregationes Societati Cẽturatorum fiãt nomine Prioris Generalis non Cuſtodis

Confraternitates aggregatæ nihil ſoluunt.

§. 2. Non obſtantibus quibuſuis literis, & conceſſionibus Confraternitati S. Iacobi, & Cuſtodi huiuſmodi, etiam per Nos, & Sedem Apoſtolicam quomodolibet factis, ceteriſq; contrarijs quibuſcunque.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, ſub Anulo Piſcatoris, die duodecima Nouembris, Milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo nono, Pontificatus noſtri anno octauo.

Con-

Constit. IV.

Ex Bullario Romano Laertij Cherubini Constit. 83. Gregorij XIII.

Summarium.

Præscribitur forma seruanda in promouendis Magistris in sacra Theologia in Ordine nostro.

1583. *GREGORIVS XIII.*

Dilectis filijs Priori Generali, & Fratribus Ordinis Eremitarum S. Augustini Prouinciarum Italiæ:

§. 1. DOminicum gregem solicitudini nostræ commissum, internis oculis perspicaciùs introspicientes, Religiosorum, & eorum, qui mundanis abiectis illecebris, Altissimo in humilitatis spiritu famulantur, præcipuam curam gerere, & ea, quæ professioni illorum aduersari, seù quomodolibet illorum quietem, & felicem statum perturbare posse videntur, de medio tollere, quantum ex alto Nobis conceditur, satagentes, mentis nostræ aciem ad Ordinem vestrum ab ipso Sancto Aurelio Augustino institutum, præcipua curã conuertimus.

§. 2. Cùmque inter vos summa cum totius agri Dominici fertilitate, quamplurimi sacris literis operã nauantes, ad Lectoris, Baccalaurei, & postremò Magistri, seù Doctoris in sacra Theologia gradum promoueri, & promoti certis priuilegijs, immunitatibus, exemptionibus, præeminentijs, & superioritatibus, iuxtà Ordinis, & Regulæ vestræ statutorũ, & institutionum formam, & continentiam frui, & gaudere consueuerint. Et propterea multi proprijs potiùs, quàm communibus commodis seruientes, seipsos publicis officijs, oneribus, & laboribus subtrahere satagentes, ad Magisterij, seù Magistri, siuè Doctoris gradum properanter anhelant, illum modis omnibus ambientes, adeò vt nisi malo huiusmodi celeriter occurratur, breui tempore dubitandum sit, ne plures Magistri, quàm Discipuli in vestro Ordine præsertim in Prouincijs Italiæ, reperiatur; & cum omnes priuilegio magisterij, seù Magistri, vel Doctoris suffulti fuerint, nemo, qui necessaria singulorum monasteriorum, seù domorum vestrarum munia exercere velit, reliquus futurus sit. Vnde factum est, vt Fratres Eremitæ Ordinis vestri Prouinciarum extrà Italiã constitutarum, Magistros, seù Doctores, nisi magna cum cautela, & paruo numero à certis annis citra non admiserint, nec admittant de præsenti. *Duo Magistri per singulas Prouincias, & Congregationes*

§. 3. Nos igitur malis huiusmodi occurrere, & communi vtilitati vestrum omnium consulere, & vt posthàc nonnisi idonei, & in numero decenti ad Magisterium, siuè Magistri, aut Doctoris gradum promoueãtur, prouidere volentes, Prædecessorum nostrorum, & præsertim fel. rec. Bonifacij Papæ Octaui, qui aliàs per suas literas sub Datum Romæ apud Sanctum Petrum, quinto Calendas Maij, Pontificatus sui anno decimo tertio, Ordinis Fratrum Prædicatorum Magistros huiusmodi creandi modum, & normam præscripsit, inhærentes; Motu proprio, non ad vestram, seù alicuius vestrum super hoc Nobis oblatæ petitionis instantiam, sed ex nostra certa scientia, & spontanea voluntate, ac de Apostolicæ

M 2 pote-

potestatis plenitudine, statuimus, decernimus, ordinamus, volumus, mandamus, vetamus, & prohibemus; ne posthàc Prior Generalis Ordinis vestri pro tempore existens, neque etiam ipsum Capitulum generale, capitulariter congregatum, aut quodcunque Capitulum, siuè Congregatio Prouincialis cuiuscunque Prouinciæ intrà Italiam constitutæ, siuè alij quicunque quacunque ecclesiastica, siuè mundana præfulgeat dignitate, & potestate, etiam S. R. E. Cardinales, prætextu cuiuscunque consuetudinis, etiam immemorabilis, siuè priuilegij, aut indulti Apostolici ex quacũque causa, quomodolibet pro tempore, etiam Motu proprio per quoscunque Prædecessores nostros, aut Nos forsan concessi, & innouati, quoscunque, quantumcunque idoneos, & habiles ad Magisterium, siuè Magistri, aut in sacra Theologia Doctoris gradum, & dignitatem quomodolibet efferre, aut promouere, seù efferri, & promoueri permittere possit, aut valeat, audeat, seù præsumat, nisi singulis sex annis in singulis Capitulis generalibus coram Diffinitoribus, & in ipso Diffinitorio, & non vltra duos, ex singulis Italiæ Prouincijs, seù Congregationibus, ac aliàs modis, formis, locis, & temporibus, & à personis infrascriptis examinandos, & approbandos, videlicèt.

§. 4. Vt in Capitulis Prouincialibus, à vobis, & singulis vestris Italiæ Prouincijs, seù Congregationibus statutis temporibus celebrari solitis, ex vobis ipsis, & ex singulis quibusq; respectiuè Prouincijs, seù Congregationibus, si fieri possit; sin autem ex vicinioribus, viri Magistri in sacra Theologia, moribus & doctrina idonei duo, qui ad Magisterij gradum modo, & forma infrascriptis promouendos examinare, & in eorum, & cuiuslibet eorum vitam, & mores inquirere, illorũmq; concursus audire, vt de eo, siuè eis rectè iudicare possint, & valeant, eligantur: iurentq; Electi ipsi, se solo Religionis zelo, omni humano affectu postposito, illos sese electuros, quos vita, moribus, & doctrina idoneos, seù idoneiores ex suæ cuiusque conscientiæ iudicio iudicabunt.

Eligantur per concursum in Capitulis Prouincialibus.

§. 4. Omnes verò, & singuli de singulis quibuscunque Italiæ Prouincijs, seù Cõgregationibus respectiuè, qui se ad Magistri, seù Magisterij, vel Doctoratus huiusmodi gradum, & dignitatem ascendere posse confident, ex ipsis quibùsque respectiuè Prouincijs, seù Congregationibus (si adierunt) sin autem etiã ex alijs, dummodò promouendi ipsi ad aliquod Monasterium illius Prouinciæ, in qua promouendi fuerint, transferantur, & ab eo in filios legitimè suscipiantur, summa cum diligentia, & maturitate ab Electis huiusmodi examinentur, & in eorum omnium, & singulorum scientia, & doctrina periculum fiat, & experientia, & centum formatis schedulis, distinctiones, & punctos ex quatuor Magistri sententiarum libris, viginti quinque scilicèt ex libro quolibet excerptos, continentibus, illisq; in vrnam coniectis, singulæ fortè extrahantur, quæ singulis promouendis in continenti assignentur: & super schedulis ipsis, siuè punctis, sibi obsignatis, qui fortè obuenerint, singuli promouendi viginti quatuor horarum spatio

Eligi possunt ex alienis Prouincijs.

in

in præſentia duorum (ſicut præmittitur) Electorum,& aliorum doctorũ virorum,ac Patrum Vocalium ipſius Capituli Prouincialis, lectionem (vt vocant) ſcholaſticam legere,& ex ea Concluſiones ſuo arbitrio diſputandas proponere, & contra ipſos omnes, & ſingulos (ſicut præfertur) Electi, ſeù aliàs præſentes ſaltẽ tres Magiſtri arguere, & contradicere teneantur. Et inſuper inter promouendos ipſos fiat concurſus, vt quis eorum alio, ſeù alijs magis idoneus repertus fuerit, alijs poſthabitis, præferatur.

§. 5. Examinibus verò, & concurſibus ſingulis in ſuis quibuſque Prouincialibus Capitulis, modo,& forma præmiſſis, perfectis, omnes,& ſinguli, qui examinibus, & concurſibus ipſis (ſicut præfertur) Electi præfuerint, præuio eorum, & cuiuſlibet ipſorum iuramento, ſinguli pro ſuis conſcientijs, ſolùm Deum,& religionis Chriſtianæ profectũ præ oculis habentes, omni, & quocunque alio affectu poſtpoſito, quos idoneos, ſeù magis idoneos reputauerint, in ſchedula eorum, & cuiuſlibet eorum propria manu ſcripta, ſeù ſubſcripta adnotare, & Priori Generali in generali Capitulo quolibet ſexẽnio celebrari ſolito coram Diffinitoribus, ſeù maiori illorum parte, & in ipſo Diffinitorio,& non alibi, ſub pœna excommunicationis, præſentare curabunt.

Dandæ ſunt literæ ſignatæ præſentãdæ in Capitulo Generali.

§. 6. Ex ipſis autem modo, & forma præmiſſis, & ſingulis Prouincijs, ſeù Congregationibus, Electis, examinatis,& pro idoneis, ſeù magis idoneis approbatis, & receptis, Prior Generalis pro tempore exiſtens, in loco ipſo Diffinitorij, & non alibi, & coram ipſis Diffinitoribus, ſeù maiori illorum parte, duos, & non plures ſingulis ſex annis, & in generali Capitulo ex ſingulis Italiæ Prouincijs, ſeù Congregationibus eligere, illòsq; in ſacra Theologia Magiſtros, ſiuè Doctores, creare,& facere auctoritate noſtra poſſit, & valeat, ſicq; per ipſum Priorem Generalem aſſumpti, & promoti in ipſa ſacra Theologia Magiſtri verè, & realiter vbique tàm in tota Italia, quàm extra in quacunque Prouincia, vel Congregatione cenſeantur, & exiſtant: omnibùſque, & ſingulis gratijs, priuilegijs, exemptionibus, præeminentijs, & ſuperioritatibus, tàm à iure communi, quàm ſtatutis, & conſuetudinibus Ordinis veſtri, in ſacra Theologia Magiſtris, & Doctoribus conceſſis, & indultis, & quibus alij quicunque in ſacra Theologia Magiſtri, ſeù Doctores in publicis quibuſcunque Gymnaſijs, aut Vniuerſitatibus, ad Magiſterij, ſeù Magiſtri, vel Doctoris gradum promoti, & aſſumpti, vti, frui, potiri, & gaudere ſoliti ſunt, & conſueuerunt, vtuntùrque, potiuntur, & gaudent, vti, frui, potiri, & gaudere poſſint, vtantùrque, fruantur, potiantur, & gaudeant liberè, & licitè, ac pacificè,& quietè.

§. 7. Nos enim tibi dilecto filio Priori Generali moderno, & pro tempore exiſtenti, modo, & forma præmiſſis à Prouincialibus Capitulis electos, & pro tempore eligendos, etiam abſque alicuius loci Ordinarij, ſiuè Collegij, aut Vniuerſitatis, ſiuè Studij, aut Gymnaſij generalis, ſiuè illius Rectoris, aut cuiuſcunque Adminiſtratoris quocunque nomine nuncupati, & quacunque eccleſiaſtica, ſeù mundana auctoritate, &

Magiſtrorum Electorũ priuilegia.

potestate fungentis, etiam S. R. E. Cardinalis, licentia, ad Magisterij, siuè Magistri, seù Doctoris in sacra Theologia huiusmodi gradum, præeminentiam, dignitatem, auctoritatem, & facultatem promouere, illisq; omnibus, & singulis Magistri, seù Doctoris in sacra Theologia insignia, auctoritates, facultates, & potestates singulis Magistris, & Doctoribus in ipsa sacra Theologia per Nos, aut quoscunque locorum Ordinarios, siuè Vniuersitates, Collegia, Studia, Gymnasia, illorumvè Rectores, siuè Administratores quoscunque, aut alias quascunque personas, quacunque auctoritate, & potestate suffultas, & S. R. E. Cardinales, & de latere nostro Legatos, vel etiam quæcunque loca concedi solita ipsis (sicut præfertur) electis, examinatis, & approbatis, quos ex singulis Prouincijs, modo, & forma præmissis, præuia de more professione fidei, elegeris, & in Magistros, seù Doctores assumpseris, dare, indulgere, concedere, & attribuere, etiamsi Capitulum generale huiusmodi in alma Vrbe nostra, aut alibi, vbi Nos, & Curiam nostram Romanam tunc temporis commorari contigerit, aut in alijs quibuscunque Ciuitatibus, in quibus Gymnasia, & Studia generalia vigere dignoscuntur, aut in futurum quomodolibet erigentur, fieri, & celebrari contigerit, plenariè concedimus, & indulgemus præsentium per tenorem.

Magistri aliter facti & promoti exploduntur.

§. 8. Decernentes, & districtè præcipiendo mandantes, ne quisquã vestrum, qui posthac cuiuscunque priuilegijs etiam à Nobis, & successoribus Nostris, etiam Motu proprio concessi, aut aliàs quomodolibet impetrati prætextu, ad cuiuscunque Doctoratus, aut Magisterij gradus, etiam à quibuscunque locorum Ordinarijs, etiam S.R.E. Cardinalibus, aut de latere Legatis, siuè in quibuscunque Gymnasijs, aut Vniuersitatibus in posterum promoti fuerint, Magistri, aut in sacra Theologia Doctoris titulum, nomen, insignia, aut præeminentiam, seù priuilegia, & exemptiones quascũque vsurpet, aut vsurpare, siuè aliàs, aut aliter, quàm modo, & forma præmissis, concessis, vti quomodolibet publicè, vel occultè audeat, seù præsumat, sub pœna priuationis ceterorũ graduum, & inhabilitatis ad Magisteriũ: etiamsi aliquibus per Nos, aut successores nostros, ac Sedem Apostolicam, vt in sacra Theologia, verè, & realiter Magistri, seù Doctores sint, & existant, & omnibus gratijs, & priuilegijs, exemptionibus, & indultis, quibus ceteri Magistri, & Doctores potiri, & gaudere consueuerint, potiantur, & gaudeant, quomodolibet concessum extiterit.

Magistri facti cõtra formam const. huius etiam per Sedem Apostolicã priuantur priuilegijs, & nomine.

§. 9. Interdicentes etiam prout earundem præsentium tenore interdicimus omnibus, & singulis Italiæ Prouincijs prædictis, & quibuscũque Congregationibus vestris, ne quemquam ad Magisterium, siuè Doctoratum approbare, aut proponere aliter, alibi, aut aliàs, quàm præscriptis modis, formis, personis, & locis, ac temporibus, possint, aut valeant, quouis quæsito colore, vel ingenio.

§. 10. Quocircà Venerabilibus fratribus nostris Iacobo Episcopo Portuensi moderno, ac pro tempore existenti Ordinis vestri Protectori, necnon Mediolanensi Archiepiscopo, ac dilecto filio Curiæ causarum

Cameræ nostræ Apostolicæ generali Auditori per præsentes motu simili mandantes, quatenus ipsi, vel duo, aut vnus eorum, per se, vel alium, seù alios præsentes nostras literas, & in eis contenta quæcunque, vbi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte vestra, aut alicuius vestrum fuerint requisiti, seù eorum alter fuerit requisitus, solemniter publicãtes, illisq; in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra, præmissa omnia, & singula, ab omnibus, & singulis, quos tangunt, seù tangere poterunt quomodolibet in futurum, inuiolabiliter obseruari. Contradictores quoscunque per censuras, & pœnas ecclesiasticas, aliàq; oportuna iuris, & facti remedia (appellatione postposita) compescendo; necnon legitimis super his habẽdis seruatis processibus, censuras, & pœnas, pro eos, seù corũ alterum inflictas, & comminatas, sæpiùs aggrauando, & reaggrauando, etiam inuocato ad hoc (si opus fuerit) auxilio brachij secularis.

§. II. Non obstantibus fel. rec. Gregorij Decimi, ac Bonifacij Octaui prædecessorum nostrorum de vna, & Concilij generalis de duabus dietis, dummodò quis vigore præsentiũ ad iudicium vltra tres dietas non trahatur; ac alijs constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, priuilegijs quoque, & indultis, etiam Mare magnum appellatis, ex quacũque etiam onerosa, & necessariò exprimenda causa, tàm vobis, & Ordini vestro, quàm singulis vestris Prouincijs, Congregationibus, & domibus, seù monasterijs, aut particularibus personis, quàm etiam quibuscunque locorum Ordinarijs, etiam S. R. E. Cardinalibus, aut de latere Legatis, vel etiam Gymnasijs, & Studijs, seù Vniuersitatibus quibuscunque, etiã Magistros ipsos in sacra Theologia creandi, & promouendi, modum, formam, & normam præscribendi; etiam cum quibusuis etiam insolitis, & efficacioribus, ac derogatoriarum derogatorijs clausulis, & decretis, etiam Motu proprio concessis, & innouatis, ceterìsq; contrarijs quibuscunque. Quibus omnibus etiamsi de illis, eorùmque totis tenoribus, specialis, & specifica, expressa, & indiuidua, non autem per clausulas generales idem importantes, mẽtio, seù quæuis alia expressio habenda foret, tenores huiusmodi præsentibus pro expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice duntaxàt specialiter, & expresè derogamus, ceterìsq; contrarijs quibuscunque. Aut si aliquibus communiter, vel diuisim ab eadem sit Sede indultũ, quòd interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas apostolicas, non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Datum Romæ apud S. Marcum, sub Anulo Piscatoris, die vigesima quinta Iunij, Millesimo quingentesimo octuagesimo tertio, Pontificatus nostri anno duodecimo.

GREGORII XV.
Constit. I.

Ex Transumpto in literis Auditoris Cameræ, quod Romæ asseruatur in Archiuo Ordinis. num. 1.

Sum-

Summarium.

Extenditur ad Ordinem vniuersum Decretum celebrandi officium ritu duplici Beati Thomæ de Villa noua.

1621. GREGORIVS PAPA XV.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. 1. Aliàs à fel.rec. Paulo Papa Quinto prædecessore nostro emanarunt literæ tenoris subsequentis, videlicèt.

§. 2. Paulus Papa Quintus. Ad perpetuam rei memoriam. In supremo Apostolatus solio (meritis licèt insufficientibus) diuina dispositione constituti ad ea, per quæ seruorum Christi honor, & veneratio in terris promoueatur, iuxtà creditum Nobis desuper per Apostolicæ seruitutis officium, libenter intendimus, & pijs Christifidelium, præsertim Catholicorum Regum id exoptantibus, votis libenter annuimus, eàq; fauoribus prosequimur oportunis, prout in Domino conspicimus salubriter expedire.

§. 3. Aliàs siquidem nomine dilectorum filiorum Prioris Generalis, & aliorum Superiorum, necnon Fratrum Ordinis Eremitarum S. Augustini Nobis exposito, quòd bonæ memoriæ Thomas à Villa noua eiusdem Ordinis (dum vixit) professor, ac Archiepiscopus Valentinus, multis, & eximijs virtutum, gratiarum, & miraculorum donis à Domino illustratus fuerat, & propterea non solùm vniuersus Ordo prædictus, sed etiam Charissimus in Christo filius noster Philippus Hispaniarum Rex Catholicus, ac Venerabilis frater Isidorus Archiepiscopus Valentinus, necnon dilecti filij Capitulum, & Canonici Ecclesiæ Valentinæ, ac Deputati, Electi, & Syndici Regni, & Ciuitatis Valentiæ, Nobis humiliter supplicari fecerant, vt donec Canonizationis honor dicto Thomæ à Villa noua ab Apostolica Sede haberetur, idem Thomas à Villa noua, Beatus vocari, & de eodem Officiũ, & Missa (vt infra) recitari posset.

§. 4. Nos re priùs per Venerabiles Fratres nostros S. R. E. Cardinales sacris Ritibus præpositos, quibus eam examinandam mandaueramus, maturè discussa, de eorundem Cardinalium consilio, huiusmodi supplicationibus inclinati; vt ipse bonæ memoriæ Thomas à Villa noua in posterum Beatus nuncupari, atque singulis annis die decima octaua Septembris in toto Regno Valentiæ à Religiosis eiusdem Ordinis Sancti Augustini tàm Fratribus, quàm Monialibus, & in dicta Ciuitate Valentina, vbi eius Corpus requiescere asserebatur, & Diœcesi Valentina, cuius per vndecim annos Archiepiscopus fuit (vt præfertur) ab omnibus vtriusque sexus Regularibus personis, ac etiam Presbyteris, & Clericis secularibus, de eo tanquàm de Beato iuxtà Rubricas Breuiarij, & Missalis Romani de communi Confessoris Pontificis Officium recitari, & Missã celebrari respectiuè posset, apostolica auctoritate perpetuò cõcessimus, & indulsimus, prout in alijs nostris in simili forma Breuis desuper expeditis literis, quarum tenores præsentibus pro sufficiẽter expressis haberi volumus, pleniùs continetur.

§. 5. Cum autem sicut pro parte Prioris Generalis, ac Superiorum, & Fratrum prædictorum denuò Nobis

nuper

nuper expositum fuit, tàm dictus Philippus Rex, quàm Ordo prædictus, necnon dicti Deputati, Electi, & Syndici concessionem, & indultũ prædicta ad vniuersum prædictum S. Augustini huiusmodi, ac etiam ad Oppidum Villanouæ de los Infantes nuncupatum Toletanæ Diœcesis, vnde dictus Thomas oriundus esse asseritur, per Nos auctoritate apostolica extendi summoperè desiderant. Nos supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc iterum porrectis, inclinati, de eorundem fratrũ consilio, quòd de cetero perpetuis futuris temporibus ab omnibus vtriusque sexus eiusdem Ordinis S. Augustini Religiosis in Hispania, nẽpè in Regnis Castellæ, Arragoniæ, & Cathaloniæ commorantibus, necnõ in Oppido de Villanoua de los Infantes prædicto, vbi dictus Thomas natus, & educatus esse asseritur, ab omnibus, etiam vtriusque sexus Regularibus, ac etiam Presbyteris, & Clericis secularibus, Officium, & Missa de eodem Thoma à Villanoua, seruata aliàs in omnibus, & per omnia prædictarum literarũ forma, & tenore, recitari, & celebrari liberè, & licitè possit, & valeat auctoritate prædicta tenore præsentium concedimus, & indulgemus. Non obstantibus omnibus illis, quæ in eisdem nostris literis voluimus non obstare, ceterisq; contrarijs quibuscunque. Volumus autem, vt præsentium trãsumptis, etiam impressis manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem sub Anulo Piscatoris, die vigesimaquarta Septembris, Millesimo sexcentesimo decimonono, Pontificatus nostri anno decimoquinto.

§. 6. Cum autem sicut pro parte claræ memoriæ dicti Philippi Regis, tunc in humanis agentis, ac Prioris Generalis, necnon Superiorum, & Fratrum, ac Deputatorum, Electorũ, & Syndicorum prædictorum Nobis nuper fuit expositum, ipsi pro eo, quem erga dictum Beatum Thomã gerunt respectiuè deuotionis affectũ, plurimùm cupiant, concessiones, & indulta prædicta, ad omnes vtriusque sexus Religiosos eiusdem Ordinis vbìque terrarum existentes, per Nos, vt infrà, extendi. Nos pijs eorum votis in præmissis annuere, illòsq; amplioribus, fauoribus, & gratijs prosequi volentes, & eorum singulares personas à quibusuis excõmunicationis, suspensionis, & interdicti, alijsq; ecclesiasticis sententijs, censuris, & pœnis, à iure, vel ab homine, quauis occasione, vel causa latis, siquibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentiũ duntaxàt consequendum, harum serie absoluentes, & absolutas fore cẽsentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis, inclinati, de eorundem Cardinalium consilio, quod ab omnibus vtriusque sexus Religiosis eiusdem Ordinis vbìque terrarum existentibus, Officium, & Missa de eodem Beato Thoma à Villanoua, seruata aliàs in omnibus, & per omnia prædictarum literarum forma, & tenore, recitari, & celebrari respectiuè, liberè similiter, & licitè possit, & valeat eadem auctoritate apostolica tenore

præ-

præsentium, etiam concedimus, & indulgemus. Non obstantibus omnibus illis, quæ dictus Paulus prædecessor in suis literis prædictis voluit non obstare, ceterisq; contrarijs quibuscunque.

§. 7. Volumus similiter, quòd præsentium transumptis, etiam impressis, manu Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate ecclesiastica cõstitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Petrum, sub Anulo Piscatoris, die decima quarta Maij, Millesimo sexcentesimo vigesimo primo, Pontificatus nostri anno primo.

Constit. II.

Ex Bulla originali cum sigillo plumbeo, quæ Romæ asseruatur in Archiuo Ordinis. num. 2.

Summarium.

Omnes Indulgentiæ, & Priuilegia concessa Societati Corrigiatorum Sanctæ Monicæ confirmantur in amplissima forma.

1621. GREGORIVS EPISCOPVS *Seruus Seruorum Dei.*

Ad perpetuam rei memoriam.

§. 1. INiuncti Nobis Apostolici muneris ratio postulat, vt Archicõfraternitatum quarumlibet paternam curam gerentes, priuilegia, gratias, indulgentias, facultates, & indulta illis à Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris, & Apostolica Sede concessa, quò validiùs perpetuò subsistant, Apostolicæ cõfirmationis munimine roboremus, illàq; de nouo concedamus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

§. 2. Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Marci Antonij Viani professoris Ordinis Fratrum Eremitarum S. Augustini, Custodis, ac Rectoris, & Officialium Archiconfraternitatis Cinturatorum, & Cinturatarum nuncupatæ eiusdem S. Augustini, & Sanctæ Monicæ sub inuocatione Beatæ Virginis Mariæ de Consolatione nuncupatæ, in ecclesia S. Iacobi Bononiensis canonicè institutæ petitio cõtinebat, quod dudum eidem Archiconfraternitati, & Confraternitatibus ei legitimè aggregatis, diuersa priuilegia, gratiæ, & Indulgentiæ à fel. rec. Gregorio Decimotertio, & Gregorio Decimoquarto, ac diuersis alijs Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris concessa, ac illis de licentia à piæ memoriæ Clemente Papa Octauo, & prædecessore nostro habita, in lucem editis, & impressis, Archiconfraternitas, & Confraternitates prædictæ, ac earum Confratres vsi, & gauisi fuerunt. Cum autem sicut eadem petitio subiungebat, Marcus Antonius, & Rector, ac Officiales prædicti plurimùm cupiant, eadem priuilegia, gratias, & Indulgentias ad hoc, vt in posterum firmiùs subsistãt, nostro, & Sedis Apostolicæ patrocinio communiri, pro parte eorundem Marci Antonij, & Rectoris, ac Officialium Nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus priuilegia, gratias, & Indulgentias huiusmodi approbare, & confirmare, aliàsq; in præmissis opportunè prouidere

dere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. 3. Nos igitur, qui Chriſtifidelium quorumlibet deuotionem, & religionem vigere ſynceris deſideramus affectibus, Marcum Antonium, & Rectorem, ac Officiales prædictos, eorũmq; ſingulos, ac Archiconfraternitatis huiuſmodi ſingulares perſonas à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, alijsq; eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris, & pœnis, à iure, vel ab homine, quauis occaſione, vel cauſa latis, ſiquibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium duntaxàt conſequendum, harum ſerie abſoluẽtes, & abſolutas fore cenſentes, necnon ſingulorum priuilegiorum, indultorum, gratiarum, & Indulgentiarum huiuſmodi, necnon literarum deſuper cõfectarum tenores, & veriores, ac Data, præſentibus pro expreſſis habentes, huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, omnia, & ſingula priuilegia, Indulgentias, prærogatiuas, facultates, gratias, & indulta quæcũque eidem Archiconfraternitati, ſiuè alijs quorumcunque locorum Confraternitatibus ei debitè annexis, & illius, ſiuè illarum vtriuſque ſexus Confratribus Centuratis pro tempore exiſtentibus, tàm per Gregorium Decimumtertium, & Gregorium Decimumquartũ, quàm quoſcunque alios Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros quandocunque, & quomodocunque, etiam per viam, & modum extẽſionis, ampliationis, & communicationis, ac aliàs ſub quibuſcunque tenoribus, & formis, ac cum quibuſuis clauſulis, & decretis hactenus quomodolibet cõceſſa, & aliquando reuocata, ac ſub quibuſuis reuocationibus, ſuſpenſionibus, reſtrictionibus, limitationibus, & modificationibus auctoritate Apoſtolica etiam quandocunque, & qualitercunque factis comprehenſa, decretis tamen Concilij Tridentini non repugnantia; necnon literæ deſuper emanatæ eadem auctoritate tenore præſentium perpetuò approbamus, & confirmamus, ac innouamus, eìsq; perpetuæ, & inuiolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adijcimus: & nihilominùs pro potiori cautela, illa omnia cum eorum extenſionibus, ampliationibus, & communicationibus prædictis de nouo etiã perpetuò concedimus.

§. 4. Decernentes præſentes, & deſuper conficiendas literas, ſemper, & perpetuò validas, & efficaces eſſe, & fore, neque ſub quibuſuis ſimiliũ, vel diſſimilium gratiarum, indulgentiarum reuocationibus, ſuſpenſionibus, aut alijs contrarijs diſpoſitionibus, & per Nos, vel alios Romanos Pontifices ſucceſſores noſtros, etiam in craſtinum aſſumptionis eorundẽ ſucceſſorum ad ſummi Apoſtolatus apicem, ſub quibuſcunque verborũ expreſſionibus, & formis, etiam Motu proprio, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine pro tempore quomodolibet factis, comprehendi, vel confundi, ſed tanquàm pro piorum operum augmento ſemper ab illis excipi, & quoties illæ emanabunt, toties in priſtinum, & validiſſimum ſtatum reſtitutas, repoſitas, & plenariè reintegrata, ac de nouo, & ſub quacunque poſteriori Data per Cuſtodem, & Rectorem, ac Officiales dictæ Archiconfraternitatis, nunc, & pro tempore exiſtentes quandocunque eligenda, conceſſas eſſe, & fore,

fore, suósq; plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere debere.

§. 5. Sicq; per quoscunque Iudices, & Commissarios, & Delegatos quauis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, & Vicelegatos, iudicari, & diffiniri etiam debere. Irritum quoque, & inane quidquid secus super his à quoquam, quauis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 6. Non obstantibus Apostolicis, ac in Prouincialibus Concilijs editis generalibus, & specialibus cōstitutionibus, & ordinationibus, ac quibusuis suspensionibus, reuocationibus, & restrictionibus, ceterisq; contrarijs quibuscunque.

§. 7. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ absolutionis, approbationis, confirmationis, innouationis, roboris, adiectionis, concessionis, & decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attentare præsumpserit indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum.

Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ Millesimo sexcentesimo vigesimo primo, tertio Nonas Iunij, Pontificatus nostri anno primo.

Constit. III.

Ex Transumpto impresso in Typographia Cameræ Apostolicæ, Romæ asseruato in Archiuo Ordinis. num. 3.

Summarium.

Hæc est quædam sententia, lata a Cardinale Saulio Protectore ad fauorem Assistentium Prioris Generalis, auctoritate Pontificis Gregorij XV.

ANTONIVS S.R.E. PRESBYTER Cardinalis Decanus Saulius nuncupatus, Episcopus Ostiensis, ac totius Ordinis Eremitarum S. Augustini Protector. 1621.

§. 1. CVm sicut accepimus, paucis abhinc elapsis mensibus orta fuerit controuersia inter Venerabiles Patres, Magistrum F. Alphonsum Nunnium Assistentē absolutū pro Vltramontanis ex vna, & Magistrum F. Petrum de Gongora Prouincialem Prouinciæ Bethicæ Ordinis Eremitarum S. Augustini ex altera parte, super executione Diplomatis fel. rec. Clementis Papæ VIII. ad fauorem Assistentium Generalis S. Augustini, cum declarationibus de mente, & commissione eiusdem summi Pontificis Clementis Octaui factis, primùm per Nos anno 1593. die nona Nouembris, deinde per Illustrissimum Dominum Cardinalem Bandinum, Capituli generalis eiusdem Ordinis Recineti celebrati Præsidentem anno 1602. ac demùm per R. P. F. Ioannem Baptistā de Aste, dicti Ordinis Generalem, nedum Vlyssipponæ die vigesimaquarta Septembris 1609. sed etiā Romæ auctoritate summi Pontificis Pauli V. fel. mem. die prima Octobris 1613. vt ex literis eiusdem Generalis super hoc specialiter editis, latissimè constat, ad quas habeatur relatio; præfatùsque P. F. Petrus de Gongora Prouincialis noluerit dicto Patri Magistro Fratri Alphonso Nunnio Assistenti

Controuersia inter Assistentem absolutū & Prouincialē Bethicæ.

ſiſtenti abſoluto debitum ſibi locum cedere, vel aſſignare, ſuiſq; priuilegijs, immunitatibus, exemptionibus, conceſſionibus, gratijs, & indultis, tàm per Sanctam Apoſtolicã Sedem in dicto diplomate, cum dictis declarationibus, & expreſſionibus, quàm per ſupranominatum Patrem Magiſtrum Fratrem Ioannem Baptiſtã de Aſte Generalem, & ſui officij, & apoſtolica auctoritate conceſſis, eum vti, gaudere, potirìque, ſicut alij Aſſiſtẽtes abſoluti eius prædeceſſores vſi, gauiſi, & vſque modò potiti ſunt: neque literis Magiſtri Fratris Fulgentij à Monte Georgio nunc Generalis obedire voluerit, quibus ſub varijs pœnis, & cenſuris præcipiebatur ipſi Prouinciali, omnibùsq;, ac ſingulis Patribus, ac Fratribus eiuſdem Ordinis, ne eſſent impedimento, quominùs dictus Pater Magiſter F. Alphõſus Nunnius Aſſiſtens abſolutus dictis gratijs, fauoribus, priuilegijs, & exẽptionibus pacificè, & quietè frui valeret; à quibus præceptis, & iuſſionibus ad Illuſtriſſimum Nuntiũ Apoſtolicum Hiſpaniæ appellauit, à quo accepta, poſt cauſæ diſcuſſionẽ, ſententia, vt literis dicti Patris Generalis obtemperaret in omnibus; ſed circa locum ſuper Prouinciales, & Priores locales, & circa vocem in Diffinitorio, haberetur recurſus ad ſanctã Sedem Apoſtolicam; iterum dictus Pater Prouincialis ab hac ſententia ad ſanctam Sedem prædictã, & ad Sanctiſſimum Dominum noſtrũ Papam fecit appellationem, qui S.D.N. Gregorius Papa XV. cum ad Nos hanc cauſam pro expeditione, & terminatione remiſerit.

Sententia ad fauorem Aſſiſtẽtis abſoluti.

§. 2. Nos qui intimo cordis affectu Religionem totam S. Auguſtini ſemper dileximus, pacem, & quietẽ inter dictæ Religionis Fratres omni ſtudio, ac ſedulitate procurauimus, viſis videndis, & conſideratis cõſiderandis, cum abſque vlla legitima, ac rationabili cauſa dictus P. M. F. Petrus de Gongora Prouincialis exemptiones, priuilegia, immunitates, & gratias prædicto Magiſtro Alphonſo Nunnio Aſſiſtenti abſoluto denegauerit, earùmq; executionẽ indebitè impedierit, literis quoque ſui Superioris Generalis impudenter cõtradixerit, ne pernicioſæ inobedientiæ crimen vlteriùs ſerpat, & proterua quorundã Religioſorum temeritas retundatur, deteſtabilìſq; contradicentium obſtinatio conteratur, hoc noſtro perpetuò valituro Decreto, auctoritate S. D. N. Gregorij Papæ XV. Nobis ſpecialiter conceſſa, ſtatuimus, & ordinamus, vt dictus Pater Magiſter Frater Alphonſus Nunnius Aſſiſtens abſolutus gaudeat, fruatur, & potiatur omnibus, & ſingulis gratijs, fauoribus, indultis, priuilegijs, & exemptionibus, cunctis Aſſiſtẽtibus abſolutis conceſſis, tùm per ſupradictum Diploma Apoſtolicũ, cùm per declarationes, & expreſſiones, ſeù nouas cõceſſiones, ſiuè à Nobis, ſiuè ab alijs auctoritate apoſtolica factas, vel à Generalibus dicti Ordinis propria facultate elargitas, quibus alij Aſſiſtentes abſoluti eius prædeceſſores hucuſque gauiſi ſunt, & frui, ac potiri conſueuerunt.

§. 3. Declarantes, omne illud, quod contra prædictum Diploma Apoſtolicum, & eius declarationes, & expreſſiones, ſiuè à Nobis, ſiuè ab alijs auctoritate apoſtolica factas, necnõ cõtra alias prædictorum Generaliũ conceſſione ad fauorem prædictorũ Aſ-

N ſiſten-

ſiſtentium abſolutorum,vel à præaſſerto P.M.F. Petro de Gongora Prouinciale fuit oppoſitum, aſſertũ, productum, attentatum,vel appellatum ante quemcunque Iudicem,ſeù Tribunal, irritum,vanum,& inane, nullùmq; robur,aut firmitatem habuiſſe,ac prædictum Diploma Apoſtolicum cum ſuis declarationibus,& expreſſionibus, auctoritate apoſtolica factis, ceteràq; à dictis Generalibus conceſſa, in ſua viridi obſeruantia, valida, inconcuſſa, nullàq; in parte mutilata permanere.

§. 4. Volumus etiam ad omnes dirimendas lites, & iurgia, vt ſuper præfatis perpetuum ſilentiũ imponatur,neque vllus in poſterùm, ſiue dictum P.M.F. Alphonſum Nunniũ, ſiuè alios futuros Aſſiſtẽtes abſolutos quouis pacto moleſtare, inquietare, perturbare,vel aliquo modo impedire audeat, & præſumat, ſub pœnis in literis prædicti Generalis expreſſis, alijſq; arbitrio Generalium pro tempore exiſtentium infligendis.

§. 5. Pro quorum omniũ, & ſingulorũ executione,præcipimus Patri Generali præſenti, & alijs ſucceſſiuè futuris,vt hoc noſtrum Decretũ adamuſſim ab omnibus, & ſingulis, vbique,& ſemper obſeruari faciat,& procuret,& inobediẽtes,rebelles,ac alio quocũque modo contrauenĩẽtes,per cenſuras eccleſiaſticas, & pœnas in conſtitutionibus d.Ordinis cõtentas, ac contra præcepta, & ordinationes Sedis Apoſtolicæ, aliorùmq; legitimorum Superiorum contemnentes imponi conſuetas, ſtrenuè cogat, efficaciterq; compellat.

Datũ Romæ in Palatio noſtræ ſolitæ reſidẽtiæ,die 7. Iunij MDCXXI.

Antonius Card. Saulius Protector.

Conſtit. IV.

Ex Tranſumpto authentico, quod Romæ aſſeruatur in Archiuo Ordinis, & in Hoſpitio Diſcalceatorum Hiſpaniæ in Vrbe.

Summarium.

Statuta Diſcalceatorum Ordinis noſtri in Regnis Hiſpaniarum, confirmãtur.

GREGORIVS PAPA XV.

Ad futuram rei memoriam.

§. 1. AD ſacrã Beati Petri Sedem, meritis licèt imparibus, diuina prouidentia vocati, ad ea,per quæ Chriſtifideles ſub ſuaui Religionis iugo, & ſtrictioris obſeruantiæ regulis Altiſſimo famulantes, in laudabili eorum inſtituto perſeuerare valeant,libẽter intendimus, atque ea, quæ propterea prouidè facta fuiſſe dicuntur, vt firma, & illibatã perſiſtant, Apoſtolicæ confirmationis robore communimus, aliàsq; diſponimus, prout conſpicimus in Domino ſalubriter expedire.

§. 2. Aliàs ſiquidem à fel.rec. Clemente Papa VIII. prædeceſſore noſtro emanarunt literæ tenoris ſubſequẽtis,videlicèt. Clemẽs Papa VIII. Ad perpetuã rei memoriã. Apoſtolici muneris Nobis licèt immeritis diuina diſpoſitione cõmiſſi ratio poſtulat,vt Religioſos quoſcũque, eorum præſertim, qui ſub ſtrictiori regulæ obſeruãtia Altiſſimo famulari ſtudẽt, quieti,& proſpero regimini libenter cõſulamus, eòſq; ſpecialibus fauoribus,& gratijs proſequamur, prout in Dño cõſpicimus ſalubriter expedire.

§. 3. Cum itaque ſicut accepimus Venerabilis frater Dominicus Archiepiſcopus Sipõtinus, noſter, & Apoſtolicæ

ſtolicæ Sedis Nuncius vigore cõmiſſionis, & facultatis per Nos ſibi ad hoc per noſtras in forma Breuis literas ſub Dat. die 24. Martij MDCI. expeditas, quarum tenores præſentibus pro expreſſis haberi volumus, attributæ, aſſentientibus, & petentibus dilectis filijs Priore Prouinciali, & Fratribus Ordinis Eremitarum S. Auguſtini Calceatis Prouinciæ Caſtellæ ab eorum Prouincia, dilectos etiam filios Diffinitorem, & Fratres Recollectos, ſeù Diſcalceatos eiuſdem Ordinis Eremitarum S. Auguſtini in prædicta Prouincia Caſtellæ exiſtentes, eorùmq; Conuentus Madritij, Talaueræ, Nabæ, Portilij, & Touoſi, ac alios fundatos, & fundandos, necnon res, & bona quæcunque perpetuò ſeparauerit, & ſegregauerit, ac à gubernio, & ſuperioritate Prouincialis, & Fratrum Calceatorũ prædictorum exemerit, & liberauerit, ac alios circa ſtatum, & guberniũ eorundem Fratrum Recollectorum diſcalceatorum diſpoſuerit, & ordinauerit, prout in ipſius Dominici Archiepiſcopi, & Nuncij patẽtibus literis deſuper expeditis, quarũ etiam tenorẽ pręſentibus pro expreſſo haberi volumus, pleniùs dicitur contineri.

§. 4. Nos eorundem Fratrũ Recollectorũ diſcalceatorum quieti, & proſpero ſtatui ampliùs conſulere, eòsq; vt ſtrictiorem regularẽ obſeruantiam, quam profitentur ad Dei laudem, & Chriſtifideliũ ædificationem, & animarum ſalutem, vt decet, retinere, & obſeruare poſſint, ſpecialibus fauoribus, & gratijs proſequi volentes, necnon Diffinitorẽ, & ſingulares Fratres Recollectos diſcalceatos huiuſmodi, à quibuſuis excõmunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, alijsq; eccleſiaſticis cenſuris, & pœnis à iure, vel ab homine quauis occaſione, vel cauſa latis, ſiquibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium duntaxat cõſequendum, harum ſerie abſoluentes, & abſolutos fore cenſentes, ſupplicationibus eorum nomine per dilectum filium Ioannẽ de S. Hieronymo eorum Procuratorem Generalẽ in Romana Curia reſidentem Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, ſeparationem, & diuiſionẽ ipſorum Diffinitoris, & Fratrum Recollectorum diſcalceatorũ Ordinis Eremitarum S. Auguſtini in quacũque Regnorum Hiſpaniarũ parte exiſtentium à Prouinciale, & Fratribus Prouinciæ Caſtellæ Ordinis Fratrũ calceatorum Eremitarum S. Auguſtini à prædicto Dominico Archiepiſcopo, & Nuncio factas, & prout illas cõcernunt literas patentes eiuſdẽ Dominici Archiepiſcopi, & Nũcij deſuper expeditas auctoritate apoſtolica tenore præſentiũ perpetuò confirmamus, & approbamus, illìsq; perpetuæ, & inuiolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adijcimus, ac omnes, & ſingulos tàm iuris, quàm facti defectus, ſiqui in eiſdẽ interuenerint, ſupplemus: & nihilominus Diffinitorem, & Fratres Recollectos diſcalceatos Regnorũ Hiſpaniarũ prædictos, eorùmq; Conuentus, res, & bona quæcunque à Prouincia, Prouinciali, & Fratribus calceatis dicti Ordinis Eremitarũ S. Auguſtini tàm Prouinciæ Caſtellæ, quàm aliarum quarumcunque Prouinciarum, eorùmq; cura, gubernio, & ſuperioritate, auctoritate, & tenore prædictis quatenus opus ſit de nouo diuidimus, & ſeparamus, ac eximimus, & liberamus, ipsòsq; Diffinitorem, & Fratres Recollectos diſcalceatos, eorùmq; Conuentus, tàm

N 2 hacte-

hactenus receptos, quàm deinceps recipiendos in Regnis Hispaniarum existentes in Prouinciam S. Augustini nuncupandam Fratrum Recollectorum discalceatorum Hispaniarũ perpetuò erigimus, & instituimus, eiùsq; Prouinciæ sic erectæ, & institutæ Prælatum de cetero Priorem Prouincialem, eiùsq; Prouinciæ S. Augustini denominari, & in Capitulo Prouinciali tàm hac prima vice, quàm deinceps quandocunque opus fuerit de triennio in triennium iuxta regularia eorundem Fratrũ Recollectorum instituta canonicè eligi debere volumus, & declaramus; ipsis verò futuro Prouinciali, ac ceteris Superioribus, Fratribus, & Conuẽtibus eiusdem Prouinciæ S. Augustini, vt omnibus, & singulis priuilegijs, gratijs, indultis, exẽptionibus, libertatibus, immunitatibus, fauoribus, concessionibus, & indulgentijs, quibus aliæ Prouinciæ, aut Prouinciales, Conuentus, & Fratres dicti Ordinis Eremitarum S. Augustini, & præsertim quibus dicta Prouincia Castellæ, eiùsq; Prouincialis, atque Conuentus, & Fratres, vti, frui, potiri, & gaudere solent, & possunt, ac poterunt quomodolibet in futurum (salua regulari eorundem Fratrum Recollectorum discalceatorum obseruantia) vti, frui, potiri, & gaudere possint, & valeant concedimus, & indulgemus.

§. 5. Hanc aũt Prouinciam S. Augustini Fratrum Recollectorũ discalceatorum Hispaniarũ, eiùsq; Priorẽ Prouincialem, Conuentus, & Fratres nunc, & pro tẽpore existentes, iurisdictioni, visitationi, correctioni, & reformationi dilecti filij Prioris Generalis totius Ordinis Fratrum Eremitarum S. Augustini immediatè subijcimus, & supponimus, ac ab ipsomet Priore Generali personaliter visitari, & reformari posse, qui Prior Generalis in visitatione huiusmodi vnũ Diffinitorem eorundem Fratrũ Recollectorum ex antiquioribus, & alterum Religiosum magis idoneum ex eisdem Fratribus Recollectis, qui illum de statu totius Prouinciæ S. Augustini huiusmodi informare possint, & debeant, assumere teneatur.

§. 6. Veruntamen ipsum Priorem Generalem neque ante, neque post huiusmodi visitationẽ, neque in ipso actu visitationis ipsis Fratribus Recollectis aliquam exceptionẽ, aut libertatem concedere, neque constitutionibus, & Regularibus institutis eiusdem Prouinciæ S. Augustini derogare, sed illorum transgressores castigare, ac pœnis in eisdem constitutionibus inflictis afficere posse.

§. 7. Insuper neminem, qui professionem per eosdem Fratres Recollectos discalceatos emitti solitam non emiserit, eorum habitum sub excommunicationis maioris pœna induere posse, & siquem non professum huiusmodi eo habitu indutum reperire contingat, ipso habitu exui, & priuari à quocunque licitè posse.

§. 8. Neque etiam cuicunque Fratrum Recollecto discalceato professo ad Fratres calceatos eiusdem Ordinis, siuè ad quemcunque alium Ordinem laxiorem sine speciali Sedis Apostolicæ licentia transire licitum esse; & secùs facientes pœnas per Apostolicas constitutiones, & regularia eiusdem Ordinis instituta inflictas eo ipso incurrere: sicque, & non aliter per quoscunque Iudices ordinarios, & delegatos, etiam causarũ Palatij Apostolici Auditores, ac Sedis Apostolicæ Nũcios, etiã de

de latere Legatos iudicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inane quidquid secus super his à quoquã quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus, & ordinamus.

§. 9. Ceterùm circa alia, quæ præsentibus non sunt expressa Prouinciam prædictam S. Augustini, eorũmq; Conuentus, & Fratres iuxta regularia instituta, & constitutiones in Capitulis Prouincialibus eiusdem Prouinciæ canonicè faciendas, gubernari debere statuimus. Quocircà prædicto Dominico Archiepiscopo nunc, & pro tempore existenti nostro, & Apostolicæ Sedis in eisdem Regnis Hispaniarum Nuncio, ac Venerab. fratri Archiepiscopo Toletano, necnon dilecto filio Curiæ causarum Cameræ Apostolicæ generali Auditori per præsentes cõmittimus, & mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut vnus eorum per se, vel alium, seù alios præsentes literas, & in eis contenta quæcunque, vbi, & quando opus fuerit, & quoties pro parte dictorum Prouincialis, & Fratrum Recollectorum Prouinciæ S. Augustini fuerint requisiti, solemniter publicãtes, eisq; in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes faciant, auctoritate nostra, præmissa omnia, & singula inuiolatè perpetuò obseruari, & Prouincialem, & Fratres dictæ Prouinciæ S. Augustini eorundẽ præmissorum effectu pacificè frui, & gaudere. Non permittentes eos desuper à quoquam quauis auctoritate quomodolibet indebitè molestari, contradictores quoscunque per censuras, & pœnas ecclesiasticas, aliaq; oportuna iuris, & facti remedia appellatione postposita compescendo, inuocato etiã ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij secularis.

§. 10. Non obstantibus fel. rec. Bonifacij Papæ VIII. prædecessoris nostri de vna, & in Concilio generali edita de duabus dietis, dummodò vltra tres dietas aliquis auctoritate præsentium ad iudicium non trahatur: alijsq; constitutionibus, & ordinationibus apostolicis, ac eiusdem Ordinis Fratrum Eremitarum S. Augustini, & dictæ Prouinciæ Castellæ, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, priuilegijs quoque indultis, & literis apostolicis eidem Ordini, ac Prouinciæ, necnon Generali, Prouinciali, ceterisq; personis sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis etiam derogatoriarũ derogatorijs, alijsq; efficacioribus, & insolitis clausulis, ac irritantibus, & alijs decretis in genere, vel in specie, ac aliàs in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, & confirmatis, & approbatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi de illis, eorùmq; totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales, idem importantes, mentio, seù quæuis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur præsentibus pro sufficienter expressis, & insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris hac vice duntaxat specialiter, & expresſè derogamus, ceterìsque contrarijs quibuscunque. Datum Romæ apud S. Petrum, sub Anulo Piscatoris, die xj. Februarij MDCII.

Pontificatus nostri anno vndecimo.

§. 11. Subinde verò pro parte tūc existêtis Procuratoris generalis ejusdem Congregationis Nobis exposito, quòd numerus domorum, seù Conuentuum, & aliorum regulariū locorum dictæ Prouinciæ S. Augustini ita (benedicente Domino excreuerint) vt Prouincia S. Augustini in plures Prouincias diuidi posset, & si dictæ Congregationis futurum forer, si illa de cetero per vnum illius Vicarium Generalem regeretur, & gubernaretur: Nos supplicationibus eiusdem Procuratoris generalis nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, dilectis filijs tunc existenti Priori Prouinciali, ac alijs Superioribus, & Fratribus dictæ Cōgregationis, prædictam S. Augustini in plures Prouincias prout domorū, Cōuentuum, & aliorum regularium locorum oportunitas suasisset, arbitrio tamen Venerab. fratris nostri Antonij Episcopi Ostiensis Cardinalis Saulij nuncupati dicti Ordinis apud Nos, & Apostolicam Sedem Protectoris diuidere, necnon vnum Vicarium generalem eiusdem Congregationis, qui ipsi Congregationi præesset, eàmq; regeret, & gubernaret canonicè, eligere liberè, & licitè possent, ita tamen, vt nullatenus præiudicaret superioritati, & auctoritati Prioris Generalis dicti Ordinis; sed eidem Vicarius Prouincialis, & Fratres discalceati prædicti subiecti remanerent in omnibus, & per omnia sicut priùs erant, Apostolica auctoritate licentiam, & facultatem concessimus, & impartiti sumus; prout in nostris in simili forma Breuis sub die 5. Iunij 1621. expeditis literis, quarum tenores præsentibus pro expressis haberi volumus plenius continetur.

§. 12. Cum autem sicut accepimus prædictus Antonius Episcopus, & Cardinalis in vim, & executionem literarum nostrarum huiusmodi Capitulum generale desuper celebrari mandauerit, & dilectum filium Gabrielem de Conceptione eiusdem Congregationis Procuratorem generalem in huiusmodi Capituli generalis Præsidentem elegerit, constituerit, & deputauerit, dans illi auctoritatē diuidendi Prouincias, prout Capitulo generali prædicto expedire visum fuisset, prout in ipsius Antonij Episcopi, & Cardinalis desuper confectis patentibus literis pleniùs dicitur contineri. In Capitulo autem generali huiusmodi dilectus filius Hieronymus de Resurrectione ipsius Congregationis professor in eiusdē Congregationis Vicarium Generalē electus fuerit, ac prædicta S. Augustini in quatuor Prouincias, videlicèt S. Augustini in Regnis Castellæ nouæ, & veteris, B. Mariæ de Pilar in Regnis Arragoniæ, & Cathaloniæ, Beati Thomæ de Villanoua in Regnis Valentiæ, & Bethicæ, ac S. Nicolai de Tolentino in Indijs Philippinis diuisa, necnon quatuor Prouinciales, alijq; Officiales necessarij electi, & postmodum pro felici, ac prospero ipsius Congregationis regimini, & progressu constitutiones, & decreta edita respectiuè fuerint, tenoris subsequentis, videlicet.

§. 13. Quòd omnes electiones tā Vicarij Generalis, Diffinitorum, Procuratorum generaliū Romanæ Curiæ, ac Regiæ, & Secretarij Generalis, quàm Priorum Prouincialium, & Conuentuum, Rectorùmq; Collegiorum

giorum fiat in Capitulis generalibus tàm ex præsentibus, quàm ex absentibus Congregationis.

§. 14. Item quòd Vicarius Generalis toti Congregationi præsit, eàmq; regat, atque gubernet cum omnimoda potestate sicut habet Reuerendissimus Generalis in toto Ordine tàm ex iure, quàm ex priuilegijs sinè tamen præiudicio eiusdem Patris Generalis, & facultatem sibi in dictam Congregationem concessarum, & competentium, quod officium, & potestas Vicarij Generalis per sex annos duret, quibus finitis eo ipso illius potestas, & auctoritas absque alia renunciatione expiret, & nouus Vicarius Generalis eligatur, & nisi intermisso altero sexennio, iterū in Vicariū Generalem non eligatur.

§. 15. Item, quòd Diffinitor primus omnibus Capitulis generalibus dictæ Congregationis quando eligendus est nouus Vicarius generalis præsideat vsque ad electionem noui Vicarij Generalis, quòd non fiant Diffinitores Prouinciales, sed tantùm quatuor Diffinitores generales, singuli ex singulis Prouincijs, quorum consilio, & interuentu ipse Vicarius Generalis vti debeat tùm in grauioribus controuersijs, causis, & appellationibus vniuersæ Cōgregationis, & singulorum Fratrum expediendis, tùm in Prouinciarum, singulorum Monasteriorum, & Domorum reformatione, ac singulari obseruantia dirigenda.

§. 16. Item quòd Vicarius Generalis sine consilio, & consensu Diffinitorij generalis nullum Religiosum ad pœnas grauissimas, vel priuationem habitus, & alia huiusmodi condemnare possit.

§. 17. Item, quòd Vicarius Generalis ad minus singulis sex mensibus conuocare, & cōgregare debeat quatuor Diffinitores generales, ad discernendas, & iudicandas causas Fratrum, & Conuentuum, & ad tractandum de statu, & reformatione totius Congregationis, & officia tūc temporis vacantia prouidenda, quæ vsque ad proximum Capitulum generale perdurabunt.

§. 18. Item, quòd Diffinitores generales, & Priores Prouinciales triennales sint, & in eisdem, vel similibus officijs nisi transacto altero triennio eligi non possint.

§. 19. Item, quòd Priores Conuentuum, ac Rectores Collegiorum, Procuratores, & Secretarij Prouinciales etiam durent ad tres annos, & nisi intermisso anno cum dimidio in eisdē, vel similibus officijs eligi non possint, nisi nouem Patribus Diffinitorij generalis pro altero triennio eligi conuenire videbitur.

§. 20. Item, quòd Secretarij, & Procuratores generales tàm Curiæ Romanæ, quàm Regiæ etiam durent ad tres annos, nisi Pater Vicarius Generalis, & Diffinitores generales esse conueniens iudicauerint, vt pro altero triennio eligantur.

§. 21. Item, quòd Capitulum generale Congregationis tertio quoque anno celebretur Dominica tertia post Pascha Resurrectionis, illùdq; in singula triennia indicendum, & cōuocandum Vicarius Generalis curam habeat, atque in eodem Capitulo singulis triennijs noui Diffinitores generales, Priores Prouinciales, & Conuentuales, Rectores Collegiorum, Procuratores generales, ac Secretarius generalis, necnon Procuratores,

ratores, & Secretarij Prouinciales eligantur: sicq; sexto quoque anno in Capitulo generali nouus Vicarius Generalis eligi debeat, qui statim confirmetur à Præsidente Capituli absque præiudicio constitutionis faciendæ à P. Generali.

§. 22. Item, quòd ad Capitulum generale dictæ Congregationis conuenire teneantur, præter Vicarium Generalem præsentem, & absolutũ illius sexennij tantùm, quatuor Diffinitores generales, Procurator generalis Regiæ Curiæ, & Secretarius generalis, & ex vnaquaque Prouincia Prouincialis cum Diffinitore, & Discreto electio in Capitulis Prouincialibus, quæ fieri debeant suo tempore infra vltimum annum triennij, antequam celebretur Capitulũ generale, qui omnes solummodò vocem habebunt ad eligendum Vicarium Generalem, quatuor Diffinitores generales, Secretarium, ac Procuratores generales; & Priores Prouinciales.

§. 23. Item, quòd ad eligendum Priores Conuentuum, Rectores Collegiorum, Procuratores, ac Secretarios Prouinciales solùm conueniant, & habeant vocem nouem Patres, scilicèt Vicarius Generalis præsens, & absolutus illius sexennij, quatuor Diffinitores generales absoluti, & Prouincialis absolutus illius triennij simul cum Diffinitore, & Discreto illius Prouinciæ, cuius officia fuerint, quæ prouidenda sunt, quia maiorem notitiam habebunt de statu Prouinciarum.

§. 24. Item, quòd si Vicarius Generalis ante finitum tempus sui muneris à vita migrauerit, vel ab officio amotus fuerit, Vicarius absolutus, & eo deficiente, Prouincialis, in cuius Prouincia mortuus fuerit, toti Congregationi præsideat, locum, & potestatem Vicarij Generalis habeat vsque ad Dominicam tertiam post Pascha Resurrectionis proximè futuram, in qua celebrari faciat Capitulum generale pro electione noui Vicarij Generalis, & tunc nouiter electus munus suum exerceat non solùm vsque ad Capitulum, in quo faciendæ sunt omnes electiones, sed etiam per sequens triennium.

§. 25. Item, quòd si Vicarius Generalis irreligiosè vixerit, vel in sui officij administratione malè se gesserit, ad Diffinitorium generale in Capitulis generalibus eius culpas corrigere, & castigare pertineat.

§. 26. Item, quòd Priores Prouinciales (durante suo officio) eam auctoritatem, & potestatem habeăt in tota Prouincia, quam ceteri Prouinciales habere cõsueuerunt, dummodò institutis dictæ Congregationis non aduersentur, vel à Capitulo generali eius potestas non fuerit limitata.

§. 27. Item, quòd in Prouincia Indiarum Philippinarũ propter magnam loci distantiam in suis Capitulis Prouincialibus, quæ fieri debĕt singulis triennijs, eligantur Prouincialis, quatuor Diffinitores Prouinciales, Priores Conuentuum, & alij Officiales, qui in similibus Capitulis Prouincialibus eligi solent, nisi aliter aliquando Capitulo generali videbitur expedire, seruata semper constitutione generali totius Congregationis.

§. 28. Item, quòd nullus Religiosus laicus totius Congregationis possit ascendere ad aliquem ordinĕ; neque

neque ad clericatum absque licentia summi Pontificis, sed quòd semper maneant in sua professione.

§. 29. Nos ad vberes, & suaues fructus, quos eiusdem Congregationis professores in militanti Ecclesia in dies afferunt, paternæ dirigentes considerationis intuitum, & vt eadē Cōgregatio maioribus proficiat incrementis, ac omnia, & singula præmissa ab omnibus, ad quos spectat firmiter, & inuiolabiliter obseruētur, quantū cum Domino possumus prouidere, ac Gabrielem, & Fratres prædictos specialibus fauoribus, & gratijs prosequi volentes, & eorum singulares personas à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, alijsq; ecclesiasticis sententijs, censuris, & pœnis à iure, vel ab homine, quauis occasione, vel causa latis, siquibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præmissorum duntaxàt consequendum, harum serie absoluentes, & absolutas fore censentes, Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, electionem Vicarij Generalis, ac diuisionem Prouinciarum in Capitulo generali, vt supra factas, necnon constitutiones, & decreta præinserta huiusmodi apostolica auctoritate tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illìsq; inuiolabilis apostolicæ firmitatis robur adijcimus, ac omnes, & singulos tàm iuris, quàm facti defectus, siqui desuper quomodolibet interuenerint, supplemus; & insuper has quatuor Prouincias sic, vt præfertur, diuisas in vnam Congregationē Fratrum discalceatorum S. Augustini nuncupandam, & per vnum illius Vicarium Generalem, modo, & forma præmissis regēdam, & gubernandā, cum omnibus, & singulis priuilegijs, facultatibus, & indultis eisdem Fratribus tàm in genere, quàm in specie, ac aliàs quomodolibet tàm per Nos, quàm alios quoscunque Romanos Pontifices prædecessores nostros concessis, auctoritate, & tenore prædictis de nouo quatenus opus sit erigimus, & instituimus. Necnon eisdem Fratribus discalceatis, vt omnibus, & singulis priuilegijs, gratijs, & indultis tàm spiritualibus, quàm temporalibus, dummodò sint in vsu, & nō sint reuocata, neque sub aliquibus reuocationibus comprehensa, ac sacri Concilij Tridentini decretis, & constitutionibus apostolicis non aduersentur, & quibus alij Ordinis S. Augustini Fratres vtuntur, potiuntur, & gaudent, pari modo vti potiri, & gaudere liberè, & licitè valeant, auctoritate, & tenore prædictis concedimus, & indulgemus. Decernentes, præsentes literas validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suòsq; plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac Congregationi, & Fratribus prædictis in omnibus, & per omnia plenissimè suffragari. Sicq; ab omnibus censeri, & ita per quoscunque Iudices Ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores iudicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inane si secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari: non obstantibus omnibus illis, quæ in dictis literis concessa sunt non obstare, ceterìsq; cōtrarijs quibuscunque. Volumus autem, quòd præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius

cuius

cuius perfonæ in dignitate ecclefiaftica conftitutæ munitis, eadē prorfus fides vbique adhibeatur, quæ ipfis præfentibus adhiberetur, fi forent exhibitæ, vel oftenfæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam maiorem fub Anulo Pifcatoris, die 31. Augufti MDCXXII. Pontificatus noftri anno fecundo.

HONORII QVARTI.

Conftit. I.

Ex Bulla originali cum figillo plumbeo, quæ Romæ affervatur in Archiuo Ordinis, nu. 1.

Summarium.

Confirmatur Priori Generali, & Fratribus Ordinis conceffio domus cuiufdā in Vico S. Victoris Parifienfis, facta ab Abbate, & Fratribus S. Victoris.

1286. *HONORIVS EPISCOPVS Seruus Seruorum Dei.*

Dilectis filijs Priori Generali, & Fratribus Eremitarū Ordinis S. Auguftini Salutem, & Apoftolicam benedictionem.

§. 1. PEtitio veftra Nobis exhibita cōtinebat, quòd Abbas, & Conuentus monafterij S. Victoris Parifienfis, quandā domum eorum fitam in Vico S. Victoris Parifienfis, monafterio prædicto contiguam, dilecto filio Fratri Iuuenali de Narnia veftri Ordinis Parifius Vicario, & Procuratori tuo fili Prior nomine tuo, & totius veftri Ordinis ad vfus Fratrum ipfius Ordinis Parifijs ftudentium ad annuum cenfum cum omnibus iuribus, & pertinentijs fuis perpetuò conceffeunt, prout in patentibus literis inde confectis, dictorum Abbatis, & Conuentus figillo munitis pleniùs continetur.

§. 2. Nos itaque veftris fupplicationibus inclinati, quod fuper præmiffis factum eft, ratum, & gratum habentes, illud non obftante, quòd Venerabilis fratris noftri Epifcopi Parifienfis in ijs confenfus minimè interuenit, auctoritate apoftolica ex certa fcientia confirmamus, & præfentis fcripti patrocinio communimus: Nolentes, quòd per hoc eidem Epifcopo aliquod in pofterum præiudicium generetur. Tenorem autem prædictarum literarum de verbo ad verbum præfentibus fecimus annotari, qui talis eft.

§. 3. Vniuerfis præfentes literas infpecturis Frater P. humilis Abbas S. Victoris Parifienfis, totufq; eiufdē loci Conuentus, æternam in Domino falutem. Notum facimus, quòd cum Nos haberemus, teneremus, poffideremus quandam domum fitā Parifijs in fundo, & dominio noftro, & Ecclefiæ noftræ contiguam, ex vna

vna parte, domui bonorum puerorum Parisiensium, & domui nostræ Gemellæ, quam habemus in Vico S. Victoris ex altera, nos pensata vtilitate nostra, prædictam domum, sicut eam tenebamus, cum omnibus eius appenditijs, prout se comportat in longum, & latum, ante, & retro, à publica strata vsque ad alueum Beueris, dedimus, tradidimus, & concessimus ad annuum censum capitalem Fratri Iuuenali de Narnia Vicario, & Procuratori Parisijs Religiosi viri Fratris Clementis Prioris Generalis Fratrum Eremitarum Ordinis S. Augustini nomine totius Ordinis, ad quodcunque opus, & vsus ipsorũ Fratrum Parisijs studentium, & totius dicti Ordinis tenendam, & possidendam ab eisdem Fratribus in perpetuum in manu mortua sine coactione ponendi extra manum mortuam, pro vigintiquatuor libris Parisiensibus annui redditus, nobis, & Ecclesiæ nostræ annuatim reddẽdis, & persoluẽdis ab eisdem Fratribus, quatuor terminis Parisijs communiter consuetis. Et promittimus bona fide, quòd contra donationem, & traditionem huiusmodi, & concessionem sub modo prædicto factam per nos, vel per alium non veniemus in futurum. Et quòd dictam domũ, prout se comportat cum omnibus eius appenditijs quietam, & liberam ab omni alio censu, onere, obligatione, seù costumia, garentizabimus, liberabimus eisdem Fratribus, nomine quo supra, ad vsus, & consuetudines patriæ in manu mortua contra omnes. Salua auctoritate, & consensu Domini Parisiensis Episcopi in futurum impetrandis, & habendis (si haberi poterunt) aliàs nobis nullum præiudicium generetur, & de dicta impotentia habendis, credetur nostro dicto, bona fide prolato. Volumus tamen, & tenore præsentium requirimus, ac etiam supplicamus, quòd præsens contractus per quemlibet competentem Superiorem, nobis non requisitis valeat confirmari. Hoc saluo nobis, & retento, quòd si processu temporis contingeret dictam domum vendi, vel distrahi ab eisdem, in casu, in quo Ventæ debeãtur, quòd inde habeamus Ventas, sicut in alijs censiuis Parisijs fieri consueuit. Sciendum est autem, quòd actum est, & conuentum est expressè in contractu prædicto inter nos, & dictos Fratres, quòd ipsi tenebuntur dictam domum cum suis pertinentijs sustentare, tenere, & conseruare in bono statu, in quo modò est, aut etiam meliori. Ita tamen, quòd non poterunt cursum aquæ Beueris in nullo impedire, sed in quantùm dicta aqua per eorum porprisiam transitum faciet, ab immunditijs suis, prout decet, liberare. Pro qua domo sustentanda, & tenenda in bono statu, necnon & pro dicto censu nostro, vt dictum est, Nobis annuatim reddendo, dictus Vicarius, & Procurator, se, & successores suos quoslibet, & omnia bona Ordinis sui mobilia, & immobilia, præsentia, & futura, & specialiter totam terram, quam à Nobis, & ab alijs omnibus de nouo emit, sitam in Cardineto retro dictam domum nostram, cum omnibus in eadem terra, & eius pertinentijs, ædificijs construendis in eadem in posterùm, nobis speciali titulo hypothecæ, nomine quo supra in contraplegium obligauit, & obligata relinquit. Renuntians

tians exceptioni rei non sic gestæ, doli mali sine causa contradictioni literarum, conuentioni iudicum, & loci, & constitutioni de duabus dietis, si contra eos super hoc contigerit impetrari. Ita quòd si in solutione census dictæ terræ nobis annuatim debiti, & in solutione dicti census ratione dictæ domus nobis annuatim (vt dictum est) reddendi, & præmissis adimplendis, ipsi defecerint, nos, vel mandatum nostrum ad dictam domum, & ædificia in dictis terris tunc constructa, & ad bona in eis existentia, possimus liberè, & sinè contradictione assignare, & dicta bona, vel de dictis bonis tantùm capere, & in manu nostra tenere, ac nostra facere quousque de dictis defectibus, seù aliquo eorũdem nobis, vel mandato nostro fuerit plenariè satisfactum. Concedimus insuper, & quantùm in Nobis est, consentimus, quòd in dicta domo prædicti Fratres Oratorium possint habere, & construere, hoc adiecto, quòd semper dictus census, & redditus viginti quatuor librarũ, & quæcunque sunt, in integrum referuentur. Super dicta domo, & alijs bonis mobilibus, & immobilibus quæcunque in dicta domo, & Cardineto, vel vbicunque contigerit eos quocunque modo, & quandocunque habere. Hoc etiam saluo nobis, & retento, quòd ipsi Fratres in dicta domo non poterunt turres erigere, nec Campanile in dicto loco construere, nec Campanam ponere, seù pendere, nisi de voluntate nostra, & assensu. Promisit etiã, & conuenit dictus Frater Iuuenalis, nomine quo supra, fide data, quòd infra tres annos proximò venturos, faciet, & procurabit totum præsentem contractum, per generale sui Ordinis Capitulum etiã approbari, & confirmari, ipsàmq; approbationem, nobis tradi, & assignari, authẽticarum literarum testimonio roboratam. In cuius rei testimonium sigilla nostra præsentibus literis duximus apponenda. Datum anno Domini Millesimo ducentesimo octuagesimo quinto, mense Nouembris.

§. 4. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginã nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire: Siquis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorũ Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctam Sabinam, decimoseptimo Calendas Decembris, Pontificatus nostri anno secundo.

Constit. II.

Ex Bulla originali, quæ cum sigillo plumbeo Romæ asseruatur in Archiuo Ordinis. num. 2.

Summarium.

Confirmatur concessio quædam vnius petij terræ in loco Cardineti facta à Capitulo Ecclesiæ Parisiensis Fratribus Ordinis.

HONORIVS EPISCOPVS 1286.
Seruus Seruorum Dei.

Dilectis filijs Priori Generali, & Fratribus Eremitarum Ordinis S. Augustini Salutem, & Apostolicam benedictionem.

§. 1. PEtitio vestra Nobis exhibita continebat, quòd dilecti filij Capitulum Ecclesiæ Parisiensis, ipsius ecclesiæ diligenter vtilitate

litate pensata, quandã petiam terræ, sitam in loco, qui dicitur Cardinetũ vltra paruum pontem infra muros Parisiẽses, dilecto filio Fratri Iuuenali de Narnia vestri Ordinis Parisijs Vicario, & Procuratori tuo fili Prior, nomine tuo, & totius vestri Ordinis vendiderunt pro certa pecuniæ quãtitate, sibi nihilominùs in prædicta petia terræ quodam censu annuo reseruato, prout in patentibus literis inde confectis dictorum Capituli sigillo munitis, pleniùs continetur.

§. 2. Nos itaque vestris supplicationibus inclinati, venditionẽ huiusmodi ratam, & gratam habentes eam, non obstante quòd Venerabilis fratris nostri Episcopi Parisiensis in venditione ipsa consensus minimè interuenit, auctoritate apostolica, de certa scientia confirmamus, & præsentis scripti patrocinio cõmunimus. Decernentes, quòd per hoc eidem Episcopo nullum in posterum præiudicium generetur. Tenorem autẽ prædictarum literarum de verbo ad verbum præsentibus fecimus annotari, qui talis est.

§. 3. Vniuersis præsentes literas inspecturis Capitulum Parisiense Salutem in Domino sempiternã. Noueritis, quòd nos, pensata, & considerata vtilitate nostræ Parisiensis ecclesiæ, quandam petiam terræ continentem quatuor arpenta terræ, vel circiter, quam habemus sitã in Cardineto vltra paruum pontem infra muros contiguam terræ S. Bernardi ex vna parte, & terræ hæredum Auberti dicti ad Fabas ex altera, prout se comportat à via supra Secauam, vsque ad alueũ Beueris, vendidimus, & nomine venditionis puræ concessimus, quitauimus, tradidimus, & liberauimus in manu mortua ex nunc in perpetuum Fratri Iuuenali Vicario Parisijs, Religiosi viri Fratris Clementis Prioris Generalis Fratrũ Eremitarũ Ordinis S. Augustini, ementi vice, & nomine dicti Prioris, & totius Ordinis pro pretio quadringentarũ librarum Parisiensium, iam nobis à dicto Vicario, nomine dicti Prioris, & Ordinis prædicti, soluto, & tradito in pecunia numerata, de quo ad plenum nos, & ecclesia nostra quitauimus penitùs Religiosos prædictos, tenentes nos benè pagatos, cedentes eis ex nunc, & perpetuò in eos, & eorum successores, siuè ab eis causam habituros, penitùs transferentes omne ius, & dominium, omnem possessionem, & proprietatem, omnes actiones reales, & personales, & quascunque alias, quæ Nobis, & prædictæ Parisiensi ecclesiæ competebant, & competere poterant quocunque modo in petia dictæ terræ, duntaxàt retentis nobis in perpetuũ duobus denarijs capitalis census in dicta petia terræ, & super fundo eiusdem nihil aliud iuris, vel actionis nobis, vel dictæ ecclesiæ Parisiensi de cetero renitentes. Prædictam autẽ terræ petiam, prout se comportat secũdùm declarationem Fratrum prædictorum, ab ipsis Religiosis, & eorum successoribus, siuè ab eis causam habituris ex nũc perpetuò manu mortua sinè coactione vendendi, aut extra manum suam quocunque modo ponendi, liberè possidendam promittimus bona fide, & per stipulationem legitimam, nos dictis Religiosis, & eorum successoribus, siuè ab eis causam habituris garentizaturos, liberaturos, & defensuros in manu mortua (vt dictum est) quotiescun-

que, & quandocunque opus fuerit, & ſuper hoc fuerimus requiſiti, quitam, & liberam ab omni alia redeuentia, onere, coſtumia, ſeruitute, impedimento, obligatione, & exactione qualibet. Hoc excepto, quòd ſi contingat dictos Religioſos dictã petiam terræ vendere, & deducto de pretio eo, in quo locus venditus ex ſupra poſitis ædificijs, vel aliàs per dictorum Religioſorum quamcunque diligentiam, & culturam factus fuerit pretioſior, pretium infra quadringentarum librarum ſummã ſit, vel eam non excedat, octo libras tantummodò vendarum nomine exigemus. Si verò quadringentas libras excedat venditionis pretium, de exceſſu illo vendas exigemus ſecundùm conſuetudinem, & cenſus naturam vnà cum dictis octo libris nomine Vendarum pro ſumma quàdringentarum librarum, vel infra (vt dictum eſt) exigendis. Quantùm verò locus ipſorum diligentia factus fuerit pretioſior, ſacramento Prioris dicti Ordinis Pariſienſis, qui fuerit pro tempore, committimus dirimẽdum. Cum verò locus prædictus ab ipſis Religioſis tranſlatus fuerit in alium, ex tunc in quamcunque perſonam alienatus fuerit, aut tranſlatus idem ſit de Vendis, & cẽſu, quod ſupra dictum eſt; hoc excepto, quòd ſi quæſtio fuerit quantùm locus fuerit pretioſior alienantis ædificamento, diligentia, vel cultura, boni viri arbitrio dirimatur. Et hæc omnia, & ſingula promittimus, & promiſimus (abſentia Decani noſtri non obſtante) nos ſeruaturos, & adimpleturos contra omnes, & præcipuè contra Dominum Pariſienſem Epiſcopum, Abbatem, & Conuentum Sancti Victoris Pariſienſis, noſtris proprijs ſumptibus, periculo, & expenſis, & eos ſuper ijs obſeruabimus ab omni inquietitudine, & moleſtia illæſos penitùs, & indemnes. Quòdq; aduerſus venditionem huiuſmodi, vel præmiſſorũ aliquod, nullam per Nos, vel per alium, veniemus in futurum. Obligantes dicto Vicario ſtipulanti vice, & nomine dictorum Prioris, & Ordinis pro præmiſſis omnibus firmiter obſeruandis, nos, & noſtros in dicta eccleſia ſucceſſores. Volumus inſuper, & concedimus, quòd in dicto fundo terræ vendito poſſint dicti Religioſi eccleſiam, oratorium, cœmeteriùmque, & quodcunque ſanctum conſtruere abſque contradictione noſtra, ſucceſſorùmq; noſtrorum, dicto cenſu nihilominùs in integrum remanente. Renuntiantes in hoc facto exceptioni non numeratæ pecuniæ, doli actioni in factũ, beneficio reſtitutionis in integrum, omnibus literis apoſtolicis, priuilegijs, & indulgentijs nobis hactenus, ſeù eccleſiæ Pariſienſi, aut Vniuerſitati Magiſtrorum, & Scholarium Pariſienſium, à Sede Apoſtolica indultis, aut in poſterum indulgendis, & cruceſignatis, & cruceſignandis, conceſſis, & concedendis ſub quacunque forma verborum, contra prædicta facientibus, conſtitutioni de duabus dietis Concilij Generalis, iudicum, & loci conuentioni. Dicti autem duo denarij capitalis cenſus annuatim in feſto Natiuitatis Domini perſoluantur. Datum anno Domini Milleſimo ducenteſimo octuageſimo quinto, in feſto Beati Auguſtini Epiſcopi. In cuius rei teſtimonium præſentes lit-

teras

teras sub eadem data, nostro sigillo fecimus roborari.

§. 4. Nulli ergo omninò hominū liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorū Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctam Sabinam, decimoseptimo Calendas Decembris, Pontificatus nostri anno secundo.

Constit. III.

Ex Bulla originali cum sigillo plumbeo, quæ Romæ asseruatur in Archiuo Ordinis. nu. 3.

Summarium.

Confirmatur Contractus inter Fratres Ordinis, & Abbatem Sancti Victoris, super emptionem terræ cuiusdam Agnetis Auberti ad Fabas nigras.

1286. *HONORIVS EPISCOPVS Seruus Seruorum Dei.*

Dilectis filijs Priori Generali, & Fratribus Eremitarum Ordinis S. Augustini Salutem, & Apostolicam benedictionem.

§. 1. MEritis vestræ Religionis inducimur, vt vos, & Ordinem vestrum fauore Apostolico prosequamur. Sanè petitio vestra Nobis exhibita continebat, quòd cum Agnes relicta quondam Auberti dicti ad Fabas Ciuis Parisiensis vidua, quodam arpentum terræ situm in loco, qui dicitur Cardinetum infra muros Parisienses, quòd à monasterio Sancti Victoris Parisiensis sub annuo censu duodecim denariorum Parisiensium tenebat, dilecto filio Fratri Iuuenali de Narnia vestri Ordinis Parisijs Vicario, & Procuratori tuo fili Prior nomine tuo, & totius nostri Ordinis pro quadam quantitate pecuniæ vendidisset: demùm dilecti filij Abbas, & Conuentus eiusdem monasterij venditionem huiusmodi approbantes, & acceptantes, voluerunt, & concesserunt, quòd dictus Vicarius nomine præfati vestri Ordinis prælibatum arpentum terræ tenere valeat, & perpetuò possidere; de prædictis duodecim denarijs, duobus sibi tantummodò reseruatis, annis singulis persoluendis; residuos decem vobis penitùs remittendo. Pro huiusmodi autem approbatione, acceptatione, ac remissione dicti Abbas, & Conuentus, prout habet etiam eorum confessio, quadraginta libras Parisienses à prædicto Vicario nomine præfati vestri Ordinis receperunt, ipsámq; conuerterunt in vtilitatem monasterij prælibati, sicut in patentibus literis inde confectis dictorum Abbatis, & Conuentus sigillo munitis, pleniùs continetur.

§. 2. Nos itaque vestris supplicationibus inclinati, quòd super præmissis factum est, ratum, & gratum habentes, illud non obstante, quòd Venerabilis fratris nostri Episcopi Parisiensis in ijs consensus minimè interuenit, auctoritate Apostolica ex certa scientia confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Nolentes, quòd per hoc eidem Episcopo aliquod in posterùm præiudicium generetur. Tenorem autem prædictarum literarū de verbo ad verbum præsentibus fecimus annotari, qui talis est.

§. 3. Vniuersis præsentes literas inspecturis Frater P. humilis Abbas

Sancti Victoris Parisiensis, totusq; eiusdem loci Conuentus, Salutem in Domino. Cum Agnes relicta defuncti Auberti ad Fabas Ciuis Parisiensis vidua vendiderit perpetuò, & quietauerit Fratri Iuuenali Vicario, & Procuratori Religiosi viri Fratris Clementis Prioris Generalis Fratrum Eremitarum Ordinis Sancti Augustini nomine totius Ordinis quodam arpentum terræ, quod habebat, & tenebat in Cardineto infra muros Villæ Parisiensis, situm in censiua, & dominio ecclesiæ nostræ ad duodecim denarios censuales. Nos dictam venditionem volumus, laudamus, & approbamus tanquàm domini fundi illius. Volentes, & concedentes, quòd dictus Vicarius nomine dicti Ordinis, & nomine quo supra, dictum arpentum in manu mortua, sinè coactione ponendi extra manum mortuam teneat, & perpetuò possideat. De dictis duodecim denarijs Parisiensibus census capitalis, decem denarios remittentes, & quitantes penitùs, & expressè: ita quòd loco duodecim denariorum prædictorū, duos denarios in signum superioritatis annuatim pro dicto arpento, dictus Vicarius, seù tenentes illud arpentū in festo S. Remigij soluere tenebuntur; pro quibus quitatione, & remissione faciendis, confitemur, nos ab eodem Procuratore, nomine quo supra, quadraginta libras Parisienses habuisse, & recepisse in pecunia numerata, iā nobis tradita, & soluta, & in vtilitatē ecclesiæ nostræ iam conuersa. Promittentes bona fide, quòd cōtra præmissa, vel aliquod de præmissis, per nos, vel per alium non veniemus in futurum. In cuius rei testimonium præsentes literas nostro sigillo fecimus roborari. Datum anno Domini Millesimo ducētesimo octuagesimo quinto, mense Nouembris.

§. 4. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginā nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attentare præsumpserit, indignationē Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum.

Datum Romæ apud S. Sabinam, decimoseptimo Calendas Decēbris, Pontificatus nostri anno secundo.

Constit. IV.

Ex Bulla originali cum sigillo plumbeo, Romæ in Archiuo Ordinis asseruata. num. 4.

Summarium.

Tempore generalis Interdicti in Vigilia, & festo S. P. Augustini possumus diuina celebrare, excommunicatis exclusis, & nisi Fratres interdicto causam dederint, aut eis specialiter fuerit interdictum.

HONORIVS EPISCOPVS 1286.
Seruus Seruorum Dei.

Dilectis filijs Generali, & alijs Prioribus, ac Fratribus Ordinis Eremitarum S. Augustini Salutem, & Apostolicam benedictionem.

§. 1. PRo reuerentia B. Augustini Confessoris, cuius profitemini regulam, necnon pro sanctæ conuersationis, & vitæ vestræ meritis, delectamur vos prosequi dono gratiæ specialis.

§. 2. Hinc est, quòd Nos vestris supplicationibus annuentes, vobis auctoritate præsentium indulgemus, vt cum generale Terræ fuerit interdictum, in vigilia, & festo Sancti Augustini Confessoris, vos vnà cum alijs

alijs Religiosis, & Clericis secularibus, qui tunc in Ecclesijs, & Oratorijs vestris conuenerint, apertis ianuis, excommunicatis duntaxàt exclusis; diuina officia ibi solemniter celebrare possitis, dummodò vos, & ijdem Religiosi, & Clerici causam non dederitis interdicto, nec id vobis, & eis contingat specialiter interdici.

§. 3. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attentare præsumpserit indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctam Sabinam, decimo Calendas Iunij, Pontificatus nostri anno secundo.

Constit. V.

Ex Bulla originali, quæ Romæ asseruatur cum sigillo plumbeo in Cancellaria Monasterij S. Augustini de Vrbe.

Summarium.

Ecclesia Parochialis S. Triphonis fuit vnita, & concessa Fratribus Ordinis tunc existentibus in Ecclesia S. Mariæ de Populo Vrbis.

1286. *HONORIVS EPISCOPVS Seruus Seruorum Dei.*

Dilectis filijs Priori, & Fratribus Eremitarum Ecclesiæ S. Mariæ de Populo Vrbis Ordinis S. Augustini Salutem, & Apostolicam benedictionem.

§. 1. Meritis vestræ Religionis inducimur, vt ea, quæ ipsius Religionis profectum, & augmentũ perspiciunt, quantùm cum Deo possumus, solicito animo procuremus.

§. 2. Ex parte siquidem vestra fuit propositum coram Nobis, quòd nobilis vir Ægidius de Lufredis Ciuis Romanus quasdam domos tunc ad ipsum spectantes infra Parochiã ecclesiæ S. Triphonis de Vrbe sitas, vobis pro construendis ibidem ecclesia, & claustro ad vsum Fratrum vestri Ordinis pia, & prouida liberalitate donauit.

§. 3. Nos autem incongruum æstimantes duas ecclesias præsertim disparis professionis, & diuersorum Collegiorum existere sic vicinas cum ex earum propinquitate nimia, posset dicta ecclesia Sancti Triphonis sustinere in suis iuribus detrimentum, ac inter personas in ecclesijs ipsis degentes suboriri dissensio, & scandalum suscitari, & intendentes dispendio huiusmodi obuiare, ac turbationi cuilibet, quæ inde prouenire valeret, viam præcludere; paci quoque, ac quieti vestræ consulere, vobis in hac parte specialem gratiam faciendo, prædictam ecclesiam Sancti Triphonis cum omnibus domibus, vineis, terris, possessionibus, alijsque iuribus, & pertinentijs suis, vobis, & Ordini vestro de fratrum nostrorum consilio, auctoritate Apostolica, duximus concedendam, vt vos, seù alij eiusdem Ordinis Fratres, qui in dicta ecclesia Sancti Triphonis per vos, vel successores vestros fuerint collocati perpetuò sub dicti Ordinis obseruantia possitis liberè virtutum Domino famulari, eiùsque bona omnia supradicta licitè retinere.

§. 4. Ne verò Parochiani eiusdẽ ecclesiæ S. Triphonis defectum pa-

tiantur aliquem in diuinis, eadem auctoritate decernimus, vt Ioannes Archipresbyter ipsius ecclesiæ Sancti Triphonis eisdẽ Parochianis administret ecclesiastica Sacramenta donec in alia ecclesia prouisionem eiusdem ecclesiæ S. Triphonis prædicti Ordinis, qui pro tempore fuerit, per se, vel per alios Fratres ipsius Ordinis, prout sibi expedire videbitur, curam animarum eidem ecclesiæ imminentem, gerere teneatur.

§. 5. Volumus autem, quòd per huiusmodi nostram concessionem vobis factam, prædicto Archipresbytero, & Clericis eiusdem ecclesiæ S. Triphonis, qui nunc sunt, quoad perceptionem fructuum ipsius ecclesiæ nullum præiudicium generetur, sed quòd ipsi more solito fructus eosdem percipiant apud Capellam S. Stephani ad eandem ecclesiam S. Triphonis spectantem, vbi permaneant quousque ipsis contigerit alibi prouideri. Cedentibus verò, vel decedentibus dictis Archipresbytero, & Clericis, seù aliquibus, vel aliquo eorundem, huiusmodi fructus, quos tales percipiebant in vsus Fratrum Eremitarum, qui morabuntur in ipsa ecclesia S. Triphonis, liberè conuertantur.

§. 6. Interdicimus insuper vobis, & præfatis vestris successoribus omne genus alienationis de possessionibus, & alijs rebus, & iuribus ipsius ecclesiæ S. Triphonis, quomodolibet faciendæ. Statuentes, vt si vos, seù præfatos successores derelinquere dictam ecclesiã S. Triphonis contingat, ex tunc eadem ecclesia cum præfatis possessionibus, ac alijs omnibus suis bonis, & iuribus in libera dispositione Apostolicæ Sedis persistant.

§. 7. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginã nostræ concessionis, & constitutionis, ac nostri interdicti infringere, vel ei ausu temerario contraire: Si quis autem hoc attẽtare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctam Sabinam, decimo Calendas Martij, Pontificatus nostri anno secundo.

INNO-

INNOCENTII TERTII.

Constit. Vnica.

Habetur in quarto Decretalium, titulo Qui Clerici, vel vouentes *cap. 7.* Insinuante, *& in Archiuo manuscripta.*

Summarium.

Mulier, quæ votum emiserat in manibus cuiusdam de Fratribus S. Augustini, & posteà nupserat, votum seruare iubetur.

1199. *INNOCENTIVS TERTIVS.*

Vlyssipponensi, & Conimbricensi Episcopis.

Mulier professa redire cogitur ad obedientiam. §. 1. INsinuante V. nobili muliere nostro est Apostolatui reseratum, quòd dudum puella, & in annis teneris constituta mulier S. accepit in virum, qui ab inimicis Crucis Christi fuit paruo post tempore interfectus. Post cuius obitum à quibusdam Curialibus fuit Regi Legionensi pro relictæ copula supplicatum, quod cum ad consanguineorum eius notitiam deuenisset, vt maritum acciperet, ei sub obtestatione Regia suggesserunt. Ipsa verò quòd tunc nollet nubere protestãte, consilium accepit ab eis, quod votum emitteret castitatis.

Votum emissum in manibus Fratris S. Augustini. §. 2. Hoc autem in manibus cuiusdam de Fratribus S. Augustini fecit, eo adiecto tenore, vt in domo propria cum omni sua substantia remaneret. Sanè in eiusdem Ordinis habitu biennio post permansit, licèt id se inuitam fecisse asserat, & coactam tàm metu Regio, quàm parentum.

§. 3. Post hæc eidem Regi, quod fecerat, indicauit; quod approbans, vetuit, ne quis ea nolente domum intraret ipsius, vel exinde aliquid asportaret. Interim verò tempore modico elabente P. Curialis Regias literas secum portans, & F. Ferdinãdi dictæ mulieris domum intrantes, vt ipse P. vi saltèm duceret eam in vxorem acceperunt ab ipsa, quòd si eam idem P. duceret, ipsius manibus interiret. Posthæc verò dimissis domo, & omnibus, quæ habebat in domo cuiusdam Iudæi per tres, in ecclesia verò Sãctæ Mariæ de Verga per sex latuit septimanas: ita quòd exinde propter necessitates humanas, etiam egredi non auderet, tandẽ se coactam videns, & omnibus destitutam, attendens nihilominùs, quòd inuita votum emiserit, eo dimisso, de parentum consensu P. Michaelis publicè fuit matrimonialiter copulata, de qua quatuor sustulit filios tempore procedente. Verùm quia salutem animæ omnibus desiderat anteferre, ac metuens, quòd huiusmodi coniunctio licita non existat, quid super his tenere debeat, edoceri responso nostro suppliciter postulauit.

§. 4. Nos ergo attendentes, quòd in emissione voti, quod præcessit, nulla, vel modica coactio affuisset, quam patientia, & perseuerantia sequẽtis temporis penitùs profugauit; & quòd *Votum emissum modica coactione impedit matrimonium.*

& quod sequens coniunctio potiùs iniqua fuit, & violenter extorta, fraternitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus inquisita diligentiùs veritate, si præmissis veritas suffragatur, prædictam fœminā ad malè dimissum Religionis habitum reassumendum, & seruandum quod vouit, monere, ac inducere procuretis, &, si opus fuerit, per censuram ecclesiasticam coercere.

Quod si ambo alter vestrum &c.

Datum Lateran. Calendis Decembris, Pontificatus nostri anno secundo.

INNOCENTII IV.

Constit. I.

Ex Bulla originali cum sigillo plumbeo, Romæ asseruata in Archiuo Ordinis, nu. 1.

Summarium.

Fratres Eremitæ S. Guilelmi in Tuscia assumere iubentur Regulam, & Ordinem S. Augustini, & secundùm illum professionem emittere, saluis suis obseruantijs, quæ tamen Ordini eidem non sint contrariæ.

1244. *INNOCENTIVS EPISCOPVS Seruus Seruorum Dei.*

Dilectis filijs Vniuersis Eremitis exceptis Fratribus S. Guilelmi per Tusciam constitutis Salutem, & Apostolicam benedictionem.

§. 1. INcumbit Nobis ex officij debito pastoralis & plantare sacram Religionem, & fouere plantatam, &, quantum in Nobis est, vniuersos, & singulos in pio proposito confirmare, ne si fauore fuerint Apostolico destituti, nō proficiant in incepto, sed deficiant potiùs, vel tepescant.

§. 2. Cum enim per dilectos filios Fratres Stephanum H. G. & P. Eremitas propositum vestrum fuisset Nobis expositum diligenter; Nos volentes, vos sinè pastore sicut oues errantes post gregum vestigia euagari: Vniuersitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus in vnum vos regulare propositum conformantes, Regulam Beati Augustini, & Ordinem assumatis, ac secundùm eum profiteamini de cetero vos victuros: saluis obseruantijs, seù cōstitutionibus faciendis à vobis, dummodò eiusdem Ordinis non obuient institutis. Prouisuri vobis nihilominùs de Priore idoneo per electionē canonicam, cui præstetis obedientiam, & reuerentiam debitam impēdatis. Si vero super præmissis aliquid difficultatis emerserit, ad dilectum filium nostrum R. Sancti Angeli Diaconum Cardinalem, quem vobis Correctorem, ac prouisorem deputauimus, recurratis. *Fratres S. Guilelmi, assumunt Ordinē D. Augustini.*

Datum Lateran. decimoseptimo Calendas Ianuarij, Pontificatus nostri anno primo.

Constit. II.

Ex Bulla originali, quæ cum sigillo plumbeo Romæ asseruatur in Archiuo Ordinis, num. 2.

Summarium.

Fratribus Eremitis in Tuscia conceditur facultas recitandi Officium diuinum, secundùm Ordinem S. Augustini, & eius Regulam obseruandi.

INNO-

1244. *INNOCENTIVS EPISCOPVS Seruus Seruorum Dei.*

Dilectis filijs Priori, & Fratribus Eremitis in Tuſcia Ordinis S. Auguſtini Salutem, & Apoſtolicam benedictionem.

§. 1. PIa deſideria deuotorum eo debemus benigno fauore proſequi, quò in ipſis Dei gloria, & animarum ſalus noſcitur contineri.

§. 2. Cum igitur perennis obtentu præmij, ſub Beati Auguſtini Regula Conditori omnium humiliter famulari, & diuinum Officium ſecundùm Eccleſiæ Romanæ conſuetudinem elegeritis celebrare, Nos veſtris precibus fauorabiliter annuẽtes, dictam Regulam auctoritate Apoſtolica deuotioni veſtræ duximus concedendam. Statuentes, vt vos, & ſucceſſores veſtros perpetuis futuris temporibus, obſeruetis eandem, & Officium ipſum ſecundùm præfatam conſuetudinem celebretis.

Ordinẽ S. Auguſtini aſſumere iubētur Eremitæ in Tuſcia.

§. 3. Nulli ergo omninò hominũ liceat hanc paginam noſtræ conceſſionis, & conſtitutionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum.

Datum Lateran. ſecundo Calendas Aprilis, Pontificatus noſtri anno primo.

Conſtit. III.

Ex Tranſumpto publico, quod Romæ aſſeruatur in Archiuo Ordinis. num. 3.

Summarium.

Plures Indulgentiæ conceduntur in quibuſdam diebus Feſtis.

INNOCENTIVS EPISCOPVS Seruus Seruorum Dei. 1244.

Vniuerſis Chriſtifidelibus præſentes literas inſpecturis Salutem, & Apoſtolicam benedictionem.

§. 1. QVoniam (vt ait Apoſtolus) omnes ſtabimus ante tribunal Chriſti, prout in corpore geſſimus, ſiuè bonum fuerit, ſiuè malum, oportet nos diem meſſionis extremum, miſericordiæ operibus præuenire, ac æternorum intuitu ſeminare in terris, quod reddente Domino cum multiplicato fructu recolligere debeamus in cælis; firmam ſpem, fiduciàmq; tenentes, quoniam qui parcè ſeminat, parcè & metet, & qui ſeminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet vitam æternam.

§. 2. Cum igitur dilecti filij Generalis, & Fratres Eremitarũ Sancti Auguſtini Ordinis, ſicut ipſi in ſua Nobis petitione monſtrarũt, domos, & eccleſias eorum non modicum indigeant reparatione, nec propriæ ſufficiunt facultates ad reparationẽ prædictarum cum ſit eis neceſſarium per meditata ſuffragia, præſtare cupientes. Itaque ſicut domos ſuſcepimus in noſtra protectione, & reparatione indigere noſcantur non modicùm ſumptuoſa; Nos cupientes, vt domos eccleſiæ prædictæ congruis honoribus frequententur, & reparentur, ac etiam conſeruentur, & vt Chriſtifideles eo libentiùs cauſa deuotionis confluant, & ad eaſdẽ eccleſias,

Prior Generalis in Ordine.

ecclesias,& domos, ac de reparatione, & conseruatione prædictarum manus protinus porrigant adiutrices, quo ex hoc ibidem dono cælestis gratiæ vberiùs conspexerint se refectos; De omnipotentis Dei misericordia, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus verè pœnitentibus, & confessis, qui in Natiuitatis, Circuncisionis, Epiphaniæ, Resurrectionis, Ascensionis, Pentecostes; necnon in Assumptionis, Natiuitatis, Annũtiationis,& Purificationis Beatæ Mariæ, ac à Dominica Septuagesimæ inclusiuè vsque ad Dominicam in Palmis, & die Mercurij, die Iouis, & die Veneris Hebdomadæ sanctæ, ac Natiuitatis Beati Ioannis Baptistæ, ac Apostolorum Petri, & Pauli, in solemnitatibus Apostolorum, & Euangelistarum, ac in omnibus festiuitatibus S. Augustini, dictis ecclesijs Dedicationis festiuitatibus, & celebritate omnium Sanctorum; & ipsas Natiuitatis, Circũcisionis, Epiphaniæ, Resurrectionis, Ascensionis, Pentecostes; necnon Natiuitatis, Assumptionis B. Mariæ, & Natiuitate B. Ioannis Baptistæ, & Apostolorũ Petri, & Pauli prædictarum festiuitatum Octauas, præfatas ecclesias deuotè visitauerint annuatim, & ad reparationem,& conseruationem prædictarum, manus porrexerint adiutrices, vt præfertur, singulas videlicèt Festiuitatum,& eorum Octauas, & celebritate, & dierum prædictorũ, videlicèt à Dominica Septuagesimæ vsque ad Dominicam Palmarum, mille annos, & totidem quadragenas illorũ verò tantùm dierum prædictorum diebus, quibus prædictas ecclesias visitauerint, & ad reparationem, & conseruationem earundẽ manus porrexerint adiutrices, vt præfertur, à pœna, & à culpa misericorditer relaxamus: Præsentibus perpetuis futuris temporibus duraturis.

Datum Lateran. Sexto Calendas Maij, Põtificatus nostri anno primo.

Constit. IV.

Ex Bulla originali, quæ Romæ asseruatur in Archiuo Ordinis subscripta à Summo Pontifice; & pluribus Cardinalibus. nu. 4.

Summarium.

Multa priuilegia, immunitates,& gratiæ conceduntur Priori Generali, & Fratribus Eremitis in Tuscia. *Prior Generalis in Tuscia.*

INNOCENTIVS EPISCOPVS Seruus Seruorum Dei.

Dilectis filijs Priori, & Fratribus Eremitis in Tuscia constitutis, tàm præsentibus, quàm futuris regularem vitã professis IN PP M.

§. 1. REligiosam vitam eligẽtibus, Apostolicũ conuenit adesse præsidium, ne fortè cuiuslibet temeritatis incursus, aut eos à proposito reuocet, aut robur (quod absit) sacræ Religionis infringat.

§. 2. Eapropter dilecti in Domino filij vestris iustis postulationibus clementer annuimus, & domos vestras, in quibus diuino vacatis obsequio, sub Beati Petri, & nostra protectione suscipimus,& præsentis scripti priuilegio communimus.

§. 3. In primis siquidem statuentes, vt Ordo Canonicus, qui secundùm Deum, & Beati Augustini Regulam in domibus ipsis auctoritate apostolica institutus esse dignoscitur perpetuis ibidem temporibus inuiolabiliter obseruetur. *Ordo S. Augustini Canonicus enũtiatur.*

§. 4.

§. 4. Præterea quaſcunque poſſeſſiones, quæcunque bona prædictæ domus in præſentiarum iuſtè, ac canonicè poſſident, aut in futurum cõceſſione Pontificum, largitione Regum, vel Principum, oblatione fidelium, ſeù alijs iuſtis modis præſtante Domino poterunt adipiſci, firma vobis, veſtrìsq; ſucceſſoribus, & illibata permaneant.

§. 5. In quibus hæc proprijs duximus exprimenda vocabulis. loca ipſa, in quibus præfatæ domus ſitæ ſunt cum pertinentijs ſuis, videlicèt cum eccleſijs, decimis, hortis, vineis, oliuetis, pratis, terris, nemoribus, vſuagijs, paſcuis, in boſco, & plano, in aquis, & molendinis, in vijs, & ſemitis, & omnibus alijs libertatibus, & immunitatibus ſuis. Sanè noualium veſtrorum, quæ proprijs manibus, aut ſumptibus colitis, de quibus aliquis hactenus non percepit, ſiuè de veſtrorum animalium nutrimẽtis, nullus à vobis decimas exigere, vel extorquere præſumat.

A Decimis eximitur Ordo.

§. 6. Liceat quoque vobis, Clericos, vel laicos, liberos, & abſolutos è ſeculo fugientes, ad conuerſionem recipere, & eos abſque contradictione aliqua retinere.

A ſeculo fugiẽtes etiã clericos recipi poſſunt.

§. 7. Prohibemus inſuper, vt nulli Fratrum veſtrorum poſt factam in domibus veſtris profeſſionem, fas ſit ſine Prioris ſui licentia, niſi arctioris Religionis obtentu, de eiſdem domibus diſcedere: diſcedentem verò abſque communium literarum veſtrarum cautione, nullus audeat retinere.

§. 8. Inſuper auctoritate apoſtolica inhibemus, ne vllus Epiſcopus, vel quælibet alia perſona, ad Synodos, vel Conuentus forenſes vos ire, vel iudicio ſeculari de veſtra propria ſubſtantia, vel poſſeſſionibus veſtris ſubiacere compellat: nec domos veſtras cauſa Ordines celebrandi, cauſas tractandi, vel aliquos Conuentus publicos conuocandi, venire præſumat: Nec regularem Prioris veſtri electionem impediat, aut de inſtituendo, vel remouendo eo, qui pro tempore fuerit, contra ſtatuta Ordinis veſtri aliquatenus ſe intromittat. Illud adijcientes, vt ſcilicèt Priores ipſi Epiſcopo ſaluo Ordine ſuo profiteri debeant, & contra ſtatuta Ordinis ſui, nullam profeſſionem facere compellantur.

Epiſcopi nõ habẽt iuriſdictionẽ ĩ noſtris eccleſijs, & monaſterijs.

Non ſe ĩtromittunt in electionibus.

Nõ poſſunt cõpellere Fratres ad profitendum contra ſtatuta Ordinis

§. 9. Pro Conſecrationibus verò altarium, vel eccleſiarum, ſiuè pro oleo ſancto, vel quolibet eccleſiaſtico ſacramento, nullus à vobis, ſub obtentu conſuetudinis, vel alio modo quidquam audeat extorquere; ſed hæc omnia gratis Epiſcopi Diœceſani impendant. Aliòquin liceat vobis quoſcunque malueritis catholicos adire Antiſtites, gratiam, & communionẽ Sedis Apoſtolicæ habentes, qui noſtra freti auctoritate, vobis, quod poſtulatur, impendant. Quòd ſi Sedes Diœceſanorum Epiſcoporum fortè vacauerit, interim omnia eccleſiaſtica Sacramenta à vicinis Epiſcopis accipere liberè, & abſque contradictione poſſitis; ſic tamen vt ex hoc in poſterum proprijs Epiſcopis nullum præiudicium generetur. Quia verò interdum proprìorum Epiſcoporum copiam non habetis, ſi quos Epiſcopos Romanæ Sedis (vt diximus) gratiam, & communionem habentes, & de quibus plenam notitiam habeatis, per vos tranſire contigerit, ab eis benedictiones vaſorum, & veſtium, & conſecra-

Pro oleo ſancto, & conſecrationibus, nihil accipiãt Epiſcopi.

Sede vacãte Sacramẽta ab alijs Epiſcopis recipiũtur

Benedictionem vaſorũ ſi copia nõ adſit Epiſcopi ordinarij poſſum' ab alijs recipere.

fecrationes altariũ auctoritate Apostolicæ Sedis, recipere valeatis.

Tẽpore interdicti possumus Diuina celebrare.

§. 10. Cum autem generale interdictum terræ fuerit, liceat vobis clausis ianuis, exclusis excommunicatis, & interdictis, non pulsatis cãpanis, dummodò causam non dederitis interdicto suppressa voce diuina Officia celebrare.

§. 11. Chrisma verò, oleum sanctum, consecrationes altarium, seù basilicarum, ordinationes Clericorũ, qui ad Ordines fuerint promouẽdi, à Diœcesanis suscipietis Episcopis, siquidem catholici fuerint, & gratiã, & communionem sacrosanctæ Romanæ Sedis habuerint, & ea vobis voluerint sine prauitate aliqua exhibere.

Oratoria, & Capellæ non ædificantur in parochijs vbi sunt monasteria sine nostra licentia.

§. 12. Prohibemus insuper, vt infra fines parochiarum vestrarum, nullus sinè assensu Diœcesanorum Episcoporum, & vestro, Capellam, seù Oratorium de nouo construere audeat, saluis priuilegijs Pontificum Romanorum.

Exactiones nouæ nobis imponẽdæ non sunt.

§ 13. Ad hæc nouas, & indebitas exactiones ab Archiepiscopis, Episcopis, Archidiaconis, seù Decanis, alijsq; omnibus ecclesiasticis, secularibusuè personis, à vobis omninò fieri prohibemus.

Sepultura libera in ecclesijs nostris.

§. 14. Sepulturam quoque in ecclesijs vestris liberam esse decernimus, vt eorum deuotioni, & extremæ voluntati, qui se in eisdem ecclesijs sepeliri deliberauerint, nisi fortè excommunicati, vel interdicti fuerint, aut etiam publicè vsurarij, nullus obsistat. Salua tamen iustitia illarũ ecclesiarum, à quibus mortuorum corpora assumuntur.

A Decimis soluẽdis eximũtur Fratres

§. 15. Decimas prætereà, & possessiones ad ius ecclesiarum vestrarũ spectantes, quæ à laicis detinentur, redimendi, & legitimè liberandi de manibus eorum, & ad ecclesias, ad quas pertinent, reuocandi, libera sit vobis de nostra auctoritate facultas.

Electio Generalis ad Fratres spectat.

§. 16. Obeunte verò Generali Priore vestro, vel suorum quolibet successorum, nullus vobis qualibet subreptionis astutia, seù violentia præponatur, nisi quem Fratres communi consensu, vel Fratrum maior pars consilij sanioris secundùm Deũ, & Beati Augustini Regulam, prouiderint eligendum.

§. 17. Paci quoque, & tranquillitati vestræ paterna in posterum solicitudine prouidere volentes, auctoritate apostolica prohibemus, vt infra clausuras locorum vestrorum, nullus rapinam, seù furtum facere, ignem apponere, sanguinem fundere, hominem temerè capere, vel interficere, seù violentiam audeat exercere.

Confirmantur priuilegia concessa.

§. 18. Prætereà omnes libertates, & immunitates à prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus, locis vestris concessas, necnon libertates, & exceptiones secularium exactionum à Regibus, & Principibus, vel alijs fidelibus, rationabiliter vobis indultas, auctoritate apostolica confirmamus, & præsentis scripti priuilegio communimus.

§. 19. Decernimus ergo, vt nulli omninò hominum liceat, præfatas domos retinere, perturbare, aut eorum possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seù quibuslibet vexationibus fatigare; sed ea omnia integra conseruentur eorum, pro quorum gubernatione, ac sustentatione concessa sunt vsibus omnimodis

dis profutura. Salua Sedis Apoſtolicæ auctoritate, Diœceſanorũ Epiſcoporum canonica iuſtitia, & in ſupradictis Decimis, moderatione Concilij generalis.

§. 20. Si qua igitur in futurum eccleſiaſtica, ſecularisvè perſona hanc noſtræ conſtitutionis paginam ſciens contra eam temerè venire tẽtauerit, ſecundò, tertiòve, commonita, niſi reatum ſuum congrua ſatisfactione correxerit, poteſtatis, honorisq; ſui careat dignitate, reamq; ſe diuino iudicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat, & à ſacratiſſimo corpore, & ſanguine Dei, & Domini Redemptoris noſtri Ieſu Chriſti aliena fiat, atque in extremo examine diſtrictæ ſubiaceat vltioni: Cunctis autem eiſdem domibus, ſua iura ſeruantibus, ſit pax Domini noſtri Ieſu Chriſti, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud diſtrictum Iudicem præmia æternæ pacis inueniant. Amen. Amen.

Signum Innocentij Quarti.

Notas fac mihi Domine vias vitæ.

Ego Innocentius Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus.

Ego Stephanus S. Mariæ Tranſtib. tituli Calliſti Presbyter Cardinalis.

Ego Otho Sancti Nicolai in Carcere Diaconus Cardinalis.

Ego Rainaldus Oſtienſis, & Velletrenſis Epiſcopus.

Ego Ramerius Sãctæ Mariæ Coſmedin Diaconus Cardinalis.

Ego Riccardus S. Angeli Diaconus Cardinalis.

Ego Frater Iacobus Præneſtinus Epiſcopus.

Datum Lateran. per manum Fratris Iacobi de Ordine Fratrum Prædicatorum S. R. E. Vicecancellarij, ſexto Calendas Maij, Indictione vndecima, Incarnationis Dominicæ anno Milleſimo ducenteſimo quadrageſimo quarto, Pontificatus verò Domini Innocentij Papæ Quarti anno primo.

Conſtit. V.

Ex Bulla originali, quæ cum ſigillo plumbeo aſſeruatur Romæ in Archiuo Ordinis. nu. 5.

Summarium.

Archiepiſcopis, & Epiſcopis, ceterìsq; Eccleſiarum Prælatis commendatur obſeruantia priuilegiorũ, Ordini conceſſorum.

INNOCENTIVS EPISCOPVS Seruus Seruorum Dei, 1244.

Venerabilibus fratribus Archiepiſcopis, & Epiſcopis, & dilectis filijs Abbatibus Prioribus, Decanis, Archidiaconis, & alijs Eccleſiarum Prælatis, ad quos literæ iſtæ peruenerint, Salutem, & Apoſtolicam benedictionem.

§. 1. Pium fore dignoſcitur, vt glorianitibus in malitia, per Nos taliter obſiſtatur, quòd repreſſis eorum inſultibus, vacantes diuino cultui liberiùs poſſint in obſeruantia mandatorum Domini delectari.

§. 2. Cum igitur dilectos filios Priores, & Fratres Eremitas Ordinis S. Auguſtini de Tuſcia dignè velimus ex Apoſtolicæ Sedis priuilegio,

P quod

quod eis de nouo concessimus, spirituale consequi gaudium, & temporalem obtinere profectum; Vniuersitatem vestram rogamus, & hortamur attentè per apostolica vobis scripta mandantes, quatenus eosdē pro diuina, & nostra reuerentia fauoris oportuni præsidio prosequentes, eos, qui contra tenorem ipsius Priuilegij eisdē aliquas præsumpserint irrogare iniurias, vel iacturas, vt eis debitam satisfactionem impendant per censuram ecclesiasticam monitione præmissa, cessante appellationis obstaculo, compellatis.

Ordinarij hortatur ad obseruātiā Priuilegiorum.

Datū Lateran. quinto Idus Maij, Pontificatus nostri anno primo.

Constit. VI.

Ex Bulla originali cum sigillo plumbeo, asseruata Romæ in Archiuo Ordinis. num. 6.

Summarium.

Mandat O. Cardinali Diacono Legato confirmare obedientiam factam à Priore S. Mariæ Magdalenæ Vallis Petræ, & vnionem in manibus Prioris de Brictinis.

1246. *INNOCENTIVS EPISCOPVS Seruus Seruorum Dei.*

Dilecto filio O. Sanctæ Mariæ in via lata Diacono Cardinali, Apostolicæ Sedis Legato Salutem, & Apostolicam benedictionem.

§. 1. Insinuarunt Nobis dilecti filij Prior, & vniuersi Fratres Eremitæ de Brictinis, Ordinis S. Augustini; quòd Prior ecclesiæ Sanctæ Mariæ Magdalenæ in Valle de Petra Bononiensis Diœcesis, ad frugem vitæ melioris aspirans, de sui Conuentus voluntate vnanimi, & consensu, in manibus dicti Prioris de Brictinis pro se, ac præfato Conuentu (saluo per omnia iure Venerabilis fratris nostri Bononiensis Episcopi) fecit obedientiam manualem, Beati Augustini Regulam, & constitutiones, ac obseruantias eorundem seruaturum perpetuò pro se, ac suis Fratribus se promittens, sicut in publico Instrumento, confecto exinde, pleniùs dicitur contineri.

VnioOrdini ecclesiæ S. Mariæ Magdalenæ Vallis Petræ.

§. 2. Cum autem Priores, & Eremitas huiusmodi, pro Religionis suæ meritis, affectu prosequamur in Domino speciali, dicto Episcopo preces direximus, & mandatum, vt quod in hac parte, intentione salubri factum esse dignoscitur, pro diuina, & nostra reuerentia gratum sibi constituens, & acceptum, id prout spectat ad ipsum, confirmare non differat, & super hoc tibi etiam, cum requisitus à te fuerit, reuerēter intendat, ita quòd ex hoc processu temporis, gratiosi apud Nos meruisse gaudeat incrementa fauoris. Quocirca discretioni tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus eundem Episcopum, sicut efficaciùs poteris, vt mandatum nostrum compleat, exhorteris. Nobis, quod super hoc feceris, & inueneris, rescripturus.

Datum Lugduni, decimoquinto Calendas Iulij, Pontificatus nostri anno quarto.

Constit. VII.

Ex Bulla originali plumbea, asseruata Romæ in Archiuo Ordinis. nu. 7.

Summarium.

Indulgentiæ conceduntur pro ecclesia Fratrum de Brictinis.

INNO-

1247. *INNOCENTIVS EPISCOPVS Seruus Seruorum Dei.*

Vniuersis Christifidelibus præsentes literas inspecturis Salutem, & Apostolicam benedictionem.

§. 1. QVoniam (vt ait Apostolus) omnes stabimus ante tribunal Christi, recepturi prout in corpore gessimus, siuè bonum fuerit, siuè malum, oportet nos diem messionis extremæ, misericordiæ operibus, præuenire, ac æternorum intuitu, seminare in terris, quod (reddente Domino) cum multiplicato fructu, recolligere debeamus in cælis; firmam spem, fiduciàmq; tenentes, quoniam qui parcè seminat, parcè & metet, & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet vitam æternam.

Fratres de Brictinis Ordinis S. Augustini. §. 2. Cum igitur dilecti filij Prior, & Fratres Eremitæ de Brictinis Pensauriensis Ordinis S. Augustini, sicut sua nobis petitione monstrarunt, ibidem ecclesiam eorum, domos, & officinas, suis vsibus oportunas de nouo ædificare cœperint opere sumptuoso, ad quod fidelium subsidium dignoscitur esse eis plurimùm oportunum; Vniuersitatem vestram rogamus, & hortamur in Domino, in remissionem vobis peccaminum iniungentes, quatenus eis ad hoc de bonis collatis vobis à Deo, pias eleemosynas, & grata charitatis subsidia erogetis, vt per subuentionem vestram, opus inceptum valeat consummari, & vos per hæc, & alia bona, quæ (Domino inspirante) feceritis, ad æternæ possitis felicitatis gaudia peruenire. Nos enim de Omnipotentis Dei misericordia, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus verè pœnitentibus, & confessis, qui eis ad hoc manum porrexerint adiutricem, quadraginta dies de iniuncta sibi pœnitentia misericorditer relaxamus.

Datum Lugduni, quinto Calendas Octobris, Pontificatus nostri anno quinto.

Constit. VIII.

Ex Bulla originali plumbea, quæ Romæ asseruatur in Archiuo Ordinis. num. 8.

Summarium.

Archiepiscopis, & Episcopis, & alijs cõmendantur Fratres de Brictinis in eleemosynarum quæstuatione.

INNOCENTIVS EPISCOPVS Seruus Seruorum Dei. 1248.

Venerabilibus fratribus Archiepiscopis, & Episcopis, ac dilectis filijs Decanis, Archidiaconis, & alijs ecclesiarum Prælatis, ad quos literæ istæ peruenerint, Salutem, & Apostolicam benedictionem.

§. 1. CIrca opera pietatis, non credimus vos inuenire difficiles, ad quæ teneamini per vos ipsos. Rogamus itaque synceritatem vestram, & hortamur attentè, per Apostolica vobis scripta districtè præcipiendo mandantes, quatenus dilectos filios Fratres Eremitarũ de Brictinis Ordinis S. Augustini, qui diuinis obsequijs insistentes, non habeant vnde valeant sustentari, pro diuina, & nostra reuerentia commendatos habentes, eis, cum ipsi, vel eorum nuntij ad partes vestras accesserint, non inferatis; nec permittatis super eleemosynis colli- *Fratres de Brictinis Ordinis S. Augustini, pro eleemosynis cõmendãtur.*

gendis ad sustentationem ipsorum, ab aliquibus inferri molestiam aliquam, vel grauamen, ita quòd ex hoc præter diuinæ retributionis meritum, possitis à Nobis non immeritò commendari.

Datum Lugduni, quarto Nonas Iulij, Pontificatus nostri anno sexto.

Constit. IX.

Ex Bulla plumbea originali, quæ asseruatur Romæ in Archiuo Ordinis. nu. 9.

Summarium.

Fratres Eremitæ S. Augustini possunt recitare diuinum Officium, prout in suis Breuiarijs iuxtà statutum Regulæ, & morem Ecclesiæ Romanæ.

1248. *INNOCENTIVS EPISCOPVS Seruus Seruorum Dei.*

Dilectis filijs Priori Generali, & vniuersis Fratribus Eremitarum Ordinis S. Augustini in Tuscia Salutem, & Apostolicam benedictionem.

§. 1. PIo vestro Collegio, quod sibi libenter thesaurum quietæ conscientiæ thesaurizat, id gratiæ dignè concedimus, quod ab eo fluctum mentis excutiat, & ipsum in spiritus tranquillitate disponat.

Breuiariũ correctum conceditur. §. 2. Vestræ itaque precibus deuotionis inducti, vt obseruantia moderni diuini Officij, quod in Breuiarijs vestris, exactâ diligentia correctum à vobis ex statuto Regulæ vestræ iuxtà Ecclesiæ Romanæ moré, excepto Psalterio, celebrare debetis, sitis contenti perpetuò, necnon vt si aliqui vestrum diuino intersint Officio cum alijs celebrantes, tunc illud eis sufficiat, & ad dicendum Officium proprium minimè teneantur, auctoritate vobis præsentium indulgemus.

§. 3. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire: Siquis autem hoc attentare præsumpserit indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum.

Datum Lugduni, tertio Calendas Augusti, Pontificatus nostri anno sexto.

Constit. X.

Ex Bulla originali cum plumbo, quæ asseruatur Romæ in Archiuo Ordinis. nu. 10.

Summarium.

O. Diacono Cardinali Legato vnio Eremitarum S. Mariæ Magdalenæ cum Fratribus de Brictinis committitur, & Constitutionum moderatio.

INNOCENTIVS EPISCOPVS Seruus Seruorum Dei. 1249.

Dilecto filio O. Sanctæ Mariæ in via lata Diacono Cardinali, Apostolicæ Sedis Legato Salutem, & Apostolicam benedictionem.

§. 1. DIlecti filij Prior, & Fratres Eremitarum de Brictinis Ordinis Sancti Augustini Fanensis Diœcesis Nobis exponere curauerunt, quòd cum Prior, & Fratres domus Sanctæ Mariæ Magdalenæ de Valle petræ Ordinis S. Benedicti Bononiensis Diœcesis incorporari eorundem Eremitarũ domui, & Ordini affectarent, tibi direximus scripta nostra, vt Venerabilẽ fratrem nostrum Bononiensem Episcopum monere, ac inducere procurares, quòd *Ordo S. Mariæ Magdalenæ vnitur Fratrib. de Brictinis.*

quòd Fratres dictæ domus S. Mariæ Magdalenæ Ordini, & domui dictorum Eremitarum studeret, sed eodẽ Episcopo à te super hoc monito diligenter, id non posse propter diuersitatem Ordinum asserente, ad supplicationem eorundem Prioris, & Fratrum Eremitarum asserentium, quòd ipsi propter constitutiones eorum Ordini editas lōgè arctioribus, quàm dicti Fratres S. Mariæ Magdalenæ obseruantijs astringuntur; iteratò tibi nostris dedimus literis in mandatis, vt si Ordinem prædictorum Eremitarum Ordine Fratrum eorundem S. Mariæ Magdalenæ ex constitutionum additione, tibi arctiorem esse constaret, super incorporatione, siuè vnione prædictis, præfati Episcopi requisito assensu, & ipsius in omnibus iure saluo, dispensatiuè procederes, prout videret tua circumspectio expedire; & licèt huiusmodi negotium dilecto filio Magistro Vbaldo Subdiacono, & Capellano nostro duxeris committendum, in ipso tamen nullus habitus est processus. Quarè præfati Prior, & Fratres Eremitarum Nobis humiliter supplicarũt, vt ne in ipsorum præiudicium, factum huiusmodi diutiùs protelerur, incorporationem, siuè vnionem prædictam fieri de benignitate Sedis Apostolicæ mandaremus.

§.2. Quocircà discretioni tuæ per iterata scripta mandamus, quatenus super incorporatione, siuè vnione præfatis procedas iuxtà traditam tibi formam; contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo.

Datum Lugduni vij. Idus Decẽb. Pontificatus nostri anno septimo.

Constit. XI.

Ex Bulla originali, quæ cum sigillo plumbeo Romæ asseruatur in Archiuo Ordinis. num. 11.

Summarium.

Fratres Eremitæ Ordinis S. Augustini in Tuscia possunt absoluere à censuris, excommunicationis, interdicti, & suspensionis volentes eorum Collegio aggregari.

INNOCENTIVS EPISCOPVS *1250.*
Seruus Seruorum Dei.

Dilectis filijs Priori, & Fratribus Eremitarum Ordinis S. Augustini in Tuscia Salutem, & Apostolicam benedictionem.

§. 1. QVa ex Apostolici cura tenemur officij, circa religionis augmẽtum attenti, & vigiles inueniri, super ijs dignè votis vestris annuimus, in quibus honorem vestri Ordinis, & animarum profectum contineri sentimus.

§.2. Hinc est, quòd Nos precibus vestræ deuotionis inducti, vt volentibus vestro aggregari Collegio, qui suspensionis, aut interdicti, vel excommunicationis sententijs sunt ligati, tu fili Prior beneficium possis iuxtà formam Ecclesiæ, impartiri, & ipsos in Fratres recipere valeatis, vobis auctoritate præsentium indulgemus: Ita tamen, quòd si aliqui ex eisdem propter debitum huiusmodi sententijs sunt ligati, de ipso prius satisfaciant, vt tenentur. *Ordinẽ nostrum ingredi tes absolui possũt à censuris.*

§. 3. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginã nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire: Siquis autem hoc

attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorũ Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum.

Datum Lugduni, duodecimo Calendas Augusti, Pontificatus nostri anno octauo.

Constit. XII.

Ex Bulla originali plumbea, asseruata Romæ in Archiuo Ordinis, nu. 12.

Summarium.

Approbatæ sunt Cõstitutiones Fratrum de Brictinis, & eis eligendi Diffinitores facultas conceditur secundùm Regulam S. Augustini.

1251. *INNOCENTIVS EPISCOPVS Seruus Seruorum Dei.*

Dilectis filijs Priori, & Fratribus Eremi de Brictinis Fanensis Diœcesis Salutem, & Apostolicam benedictionem.

§. 1. QVæ omnium Conditoris honorem, & profectum continet animarũ amore præcipuo diligentes, eo quòd quidquid in desiderio præter illa geratur, apud Dei sapientiam pro nihilo reputatur; dignum fore prouidimus, vt in ijs, quæ interitu salutis æternæ cupitis, Nos fauorabiles ad Redemptoris gloriam habeatis.

Constitutiones Fratrũ de Brictinis approbantur.

§. 2. Sanè præsentata Nobis vestra petitio continebat, quòd vos vitia carnis cupientes extinguere, vt succedente virtutum gratia, possitis perennis vitæ brauium obtinere; deliberatione prouida statuistis, vt semper in communi Refectorio comedentes, à festo Exaltationis Sanctæ Crucis vsque ad festũ Resurrectionis Dominicæ, præterquàm diebus Dominicis exceptis minutis in necessitate Fratribus, ieiunetis, bis in die reliquo tempore comesturi, præterquàm in quarta, & sexta feria, ac temporibus alijs ab Ecclesia constitutis; nisi Prior, qui pro tempore fuerit, aliter cum Fratribus duxerit dispensandum. Debiles quoque, ac iter agentes ad obseruantiam dicti ieiunij minimè teneantur, præterquàm in sexta feria Quadragesimæ S. Martini, & temporibus alijs per Ecclesiam constitutis. Insuper Fratres, quorum vnusquisque cultellum habeat non acutum, ab esu carnium, & condimento sanguinis (præter infirmos) penitùs abstinebunt. Caseum, & oua tribus diebus in hebdomada comesturi, exceptis Quadragesima S. Martini, ac Septuagesima, & solemnibus ieiunijs, per Ecclesiã constitutis, in quibus nec iter agentes caseum, & oua comedant, licèt illis vescendi singulis alijs temporibus liberam habeant facultatem.

§. 3. Statuistis præterea, vt à vobis omnibus singulis celebretur Capitulum generale, in quo Diffinitores à Priore, & Visitatoribus eligantur; ipsi verò Diffinitores cum Visitatoribus anni præteriti, corrigendi, & reformandi tàm in capite, quàm in membris, quæ correctionis, & reformationis officio nouerint indigere, liberam habeant potestatem. Item quòd Visitatores etiam ordinentur, qui omnia loca Fratrum visitent, corrigant, & reforment, prout secundùm Deum, & Beati Augustini Regulam, secundùm quam statuistis Domino in perpetuum famulari, viderint expedire.

§. 4. Ceterùm humiliter attendentes,

dentes, quòd Regnum Dei non in veste pretiosa consistit, & quòd induit paupertatis habitum Conditor singulorum, laudabiliter statuistis, vt Fratres vestri Ordinis de colore, seù valore vestium minimè contendentes, semper in eis vilitatẽ obseruent, & quatuor tunicis, vna cuculla, & duobus scapularijs sint contenti. Itẽ quilibet Frater cingatur ampla corrigia non consuta, & illa contentus existat. Item, quòd non vtantur lineis indumentis; nec extra Eremũ, possessiones (præter hortum, & siluam) habere præsumant. Super habendis caligis, calceis, & similibus, Prior secundùm suum arbitrium potestatem habeat disponendi. Item, quòd nullus in mensa Fratrum recipiatur, nisi Religiosus extiterit, vel constitutus in aliqua prælatura. Quarè Nobis humiliter supplicastis, vt statutum huiusmodi Apostolico dignaremur munimine roborare.

§. 5. Nos igitur vestris iustis precibus inclinati, statutum huiusmodi ad instar fel. rec. Gregorij Papæ prædecessoris nostri auctoritate Apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus, iure Diœcesanorum Episcoporum in omnibus semper saluo.

§. 6. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginã nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire: Siquis autem hoc attentare præsumpserit, indignationẽ Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum.

Datum Lugduni, decimoquinto Calendas Octobris, Pontificatus nostri anno octauo.

Constit. XIII.

Ex Bulla plumbea originali, quæ asseruatur Romæ in Archiuo Ordinis. num. 13.

Summarium.

Confirmatur sententia lata contra Fratres Minores ad fauorem Fratrum de Brictinis.

INNOCENTIUS EPISCOPUS Seruus Seruorum Dei. 1251.

Venerabili fratri Episcopo Senogaliensi Salutem, & Apostolicam benedictionem.

§. 1. In causa, quæ inter Priorem, & Fratres Eremitarũ de Brictinis in Marchia Anconitana ex parte vna, & dilectos filios Fratres Minores eiusdem Marchiæ ex altera, super ecclesiæ S. Mariæ de Monte Graufri, sita in Colta Montissam Firmanæ Diœcesis, vertebatur; dilectum filium nostrum S. tituli Sanctæ Mariæ Transtiberim Presbyterum Cardinalem dedimus Auditorem, qui cognitis causæ meritis eiusdem, & relatis fideliter coram Nobis, præsentibus Procuratoribus vtriusque partis, diffinitiuam pro eisdem Eremitis sententiam promulgauit, prout in patẽtibus literis exinde confectis, & sigillo Cardinalis prædicti signatis, pleniùs continetur.

Controuersia iter Fratres de Brictinis, & Minores decisa pro Fratribus de Brictinis.

§. 2. Cum itaque Nos eandem sententiam prouidè latam, ratam, & firmam habentes, eam auctoritate Apostolica duxerimus confirmandã, fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus præfatam sententiam, iuxtà tenorem literarum ipsarum, facias per censuram eccle-

Confirmatio sententiæ.

siasti-

ſaſticam, appellatione remota, firmiter obſeruari.

Datum Peruſij, quinto Idus Aprilis, Pontificatus noſtri anno nono.

Conſtit. XIV.

Ex Bulla originali cum plumbo, quæ in Archiuo Ordinis Romæ aſſeruatur. num. 14.

Summarium.

Continet vnionem primam, factam inter Fratres Lombardiæ, & Romaniolæ F. Ioannis Boni: præſcribitur formula Profeſſionis: & Lanfrancus Mediolanenſis, Prior Generalis eligitur, & confirmatur.

1252. *INNOCENTIVS EPISCOPVS Seruus Seruorum Dei.*

Vniuerſis Prioribus, & Fratribus Ordinis Eremitarum Salutem, & Apoſtolicam benedictionem.

§. 1. ADmonet Nos cura ſuſcepti regiminis, & auctoritas Pontificalis inducit, vt & plantare ſacram religionem, & plantatā fouere ſummoperè debeamus, quod vtiliùs tunc exequimur, ſi ea, quæ ſunt recta, nutrimus, & corrigimus quæ profectum virtutis impedire noſcuntur.

Vnio inter Fratres Lombardiæ, & Fratres Ioannis Boni.

§. 2. Quia verò diuerſitas formæ, quam Fratres veſtri Ordinis in profitendo, & eligendo ſibi Priorem Generalem ſeruabant, diuerſitatem inducebat etiam animorum, & per conſequens ſcandalum generabat, poſt diuerſas electiones, & ceſſiones factas de Prioribus in Ordine ipſo, & diuerſos proceſſus ſuper ijs habitos, Nos, ad quos ſpectat errata corrigere, ac nutrire directa, cupientes paci, & tranquillitati veſtræ paterna ſolicitudine prouidere, dilecto filio noſtro G. Sancti Euſtachij Diacono Cardinali, cui dudum generalē curam Ordinis prædicti commiſimus, examinationem electionis celebratæ in Generalem Priorem eiuſdem Ordinis, de dilecto filio Fratre Lanfranco Mediolanenſi, tunc Priore domus veſtræ Bononienſis, & proceſſuum eorundem, duximus committendā.

Lanfranc. Prior Bonon.

§. 3. Cum igitur idem Cardinalis de mandato, & auctoritate noſtra, de præfato L. quia eam inuenit celebratam canonicè confirmata ſuper profeſſione, ac electione, necnon & nominatione Prioris ipſius Ordinis, faciendis de cetero, ac alijs articulis, eadem auctoritate ſtatutum edidit prouidum, & honeſtum, prout in ipſius Cardinalis literis inde confectis pleniùs continetur.

§. 4. Nos veſtris ſupplicationibus inclinati, quod ab eodem Cardinale ſuper ijs factum eſt, ratum, & gratum habentes, id auctoritate apoſtolica confirmamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus; tenorem literarum ipſarum præſentibus de verbo ad verbum inſeri faciendo, qui talis eſt.

§. 5. Guilelmus miſeratione diuina S. Euſtachij Diaconus Cardinalis Religioſis viris, & dilectis in Chriſto vniuerſis Prioribus, & Fratribus Ordinis Eremitarum, tàm præſentibus, quàm futuris in perpetuum. Variam . . . Ordinis veſtri formā in profitendo, & eligendo ſibi Priorem Generalem ſectantes, in variam inter ſe diſſenſionis materiam inciderunt, propter quod neceſſarium extitit, in hac parte vobis, & eidem Ordini per Apoſtolicæ Sedis prouidentiam ſubueniri. Sanè ad audientiam

tiam Domini Papæ peruenit, quòd bonæ mem. . . . in Ordine veſtro primùm apud Budriolum Cæſenatis Diœceſis, de conceſſione Diœceſani loci eiuſdem domum incepit, & dũ fama conuerſationis eius per loca vicina crebreſceret, & plurimi conuerterentur ad eum, eccleſiam in honorem Beatæ Mariæ Virginis conſtruxit ibìdem. Creſcente auté numero, meritò huiuſmodi conuerſorum receptorum per eos in diuerſis partibus, in quibus manſiones conſtruxerant, extitit propagata.

Origo Fratrũ Ioannis Boni.

§. 6. Cum autem ijdem Religioſi aliquam de approbatis Regulam nõ haberent, quidam ex eis accedentes ad Sedem Apoſtolicam, obtinuerũt ab ea Beati Auguſtini Regulam ſibi dari, & ſic ex tunc cœperunt in regularibus obſeruantijs inſtrui, & regulariter ſe habere. Et quia eorum habitus, qui habitui Fratrum Minorum videbatur conformis, apud aliquos ſcandalum quodãmodo ſuſcitabat; de mandato, & auctoritate duorum Cardinalium, qui tunc in partibus Lombardiæ legationis fungebantur officio, nigrum, quem geſtatis adhuc habitum, elegerunt.

S. Auguſtini Regulã accepe-rũt Fratres Ioannis Boni.

Habit' Fratrũ Ioannis Boni ſimilis Fratribus Minoribus.

Elegerũt habitũ nigrũ

§. 7. Qui cum iam vocarentur Fratres Eremitæ Ioannis Boni Ordinis S. Auguſtini, Nouitij, qui recipiebantur ab eis profitebantur hoc modo, Ego N. facio profeſſionem, & promitto obedientiam Deo, & Beatæ Mariæ, & tibi Priori Fratrum Eremitarum S. Mariæ de Cæſena, tuiſq; ſucceſſoribus vſque ad mortem, ſecundùm Regulam B. Auguſtini, & conſtitutiones Fratrum iſtius loci. In hac verò forma Profeſſionis, vbi dicebatur (Iſtius loci) auctoritate generalis Capituli eorundem Fratrum (Iſtius Ordinis) poſtmodùm dictum fuit.

Profeſſio Fratrũ Io. Boni.

§. 8. Cùmque dictus Frater Ioannes Bonus, qui per plures annos Fratribus prædictis præfuerat, & Fratres ipſi eidem tanquam Inſtitutori Ordinis ipſorum reuerenter intenderant, curæ ipſorum, quæ per excreſcentem numeroſitatem ſubditorum excreuerat, cedere aſpiraret, Fratre Matthæo, & quibuſdam alijs Fratribus ſuis aſſumptis, ad Epiſcopum acceſſit, qui Epiſcopus dictum Fratrem Matthæum præſentatum ſibi ab eiſdem Fratre Ioanne Bono, & alijs, in Priorem dictæ domus, & per hoc in Generalem totius Ordinis, ſicut dicitur, confirmauit. Quo in Religione prædicta annis pluribus tanquàm Generali Priore generaliter miniſtrante, quamplures intrauerunt Religionem eandem, & ſecundum formã profeſſionis præſcriptæ, quãquàm nonnulli ex eis Fratri Matthæo prædicto ſimpliciter tanquàm Generali Priori, non tanquam Priori Sanctæ Mariæ prædictæ de Cæſena, ſe profiteri principaliter crederent, ſunt profeſſi.

§. 9. Intereà duo Fratres profeſſionis prædictæ, Lugdunum ad Sedé Apoſtolicam venientes, generalem curam Ordinis veſtri à Domino Papa nobis obtinuerunt committi, & priuilegium quoddam commune, in cuius titulo ſcribebatur, Priori Fratrum Eremitarum S. Mariæ de Cæſena, eiq; ſubiectis Prioribus, & Fratribus vniuerſis, à Sede reportarunt eadem.

§. 10. Prædictus denique Frater Matthæus prudenter attẽdens, quòd in adminiſtratione curæ, quã aſſumpſerat, ſine ſcandalo diutiùs rema-

nere

nere non poterat, eo quòd ad eandē curam à quibusdam Fratribus Minoribus sufficiens haberetur; vocatis Prioribus, & Fratribus omnibus de Ordine vestro, quorum intererat, generale Capitulum apud Ferrariā congregauit. Sed inter ipsum Fratrem Matthæum, & Fratres de Cæsena, ac quosdam alios Priores, & Fratres de Romaniola super cessione ipsius F. Matthæi, antequàm eligerēt Diffinitores generalis Capituli, secundùm tenorem Constitutionum ipsius Ordinis poterat, & celebratione Capituli eiusdem cōtentione suborta, dicti Fratres de Cæsena, & alij contra præceptum eiusdem Fratris de ipso Capitulo tanquàm dissentiētes, & contradicentes, ne generale Capitulum fieret, exierunt. Ipse verò Frater Matthæus nihilominùs Diffinitoribus electis prædictis, in manibus eorundem cessit administrationi generali, quam exercuerat, & . . . si quod in confirmatione sua ab Episcopo Cæsenate acceperat, in manibus Nuntij eiusdem præsentis ibìdē publicè resignauit: sicq; huiusmodi cessione, ac resignatione receptis, quidam Fratres ex ijs, qui ibìdem aderant, ad eligendum Priorem Generalem assumpti Fratrem Vgonem Mantuanum in Generalem Priorem totius Ordinis elegerunt. Per illos autem, qui remanserant, statutum fuit in eodem Capitulo, vt omnes, qui ex tunc in Ordine ipsorum profiteri deberent, profiterentur hoc modo, Ego N. facio professionem, & promitto obedientiam Deo, & Beatæ Mariæ, & tibi Priori Generali Fratrum Eremitarum Ioannis Boni.

Capitulum generale Ferrariæ.

Schisma in Ordine.

Vgo Mātuanus Generalis.

§. 11. Posthæc autem vir Venerabilis Aquileiensis Electus, tunc in Lombardia Legatus Apostolicæ Sedis electionem huiusmodi confirmauit; Fratres verò de Cæsena, & quidam alij de Romaniola adhærentes eisdem, apud Cæsenam conueniētes in vnum, & tàm consuetudini, qua Prior Fratrum S. Mariæ de Cæsena prædictæ per Fratres Ordinis ad locum ipsum, tanquàm ad primum, & principalem, à quo idem Ordo processerat, eligi, & Generalis Prior propter hoc meritò esse, & appellari solebat, quàm titulo prædicti priuilegij, primò in Ordine ipso obtenti, in quo prædicto Priori de Cæsena scribebatur principaliter, inhærentes, Fratrem Marcum Cæsenatē in Priorem dictæ domus, & per hoc in Generalem Priorem totius Ordinis, elegerunt; ac electionem, quam de ipso fecerant, obtinuerunt confirmari per Episcopum Cæsenatem.

Frater Marcus de Cæsena Prior Generalis.

§. 12. Diuersis igitur in Ordine vestro assumptis Generalibus Prioribus, & aduersis, alter in illos, qui obediebant alteri multiplices excōmunicationum sententias protulerunt: ex quibus nonnulli celebrauerunt diuina, & excommunicati taliter ad sacros Ordines sunt promoti. Ijs autem temporibus prædictus Frater Vgo proprios Nuntios ad Apostolicam Sedem transmittens, mutationem Professionis prædictæ, & id, quod super electione sua per præfatum Legatum factum extiterat, prout proinde facta fuerat, per eandem Sedem obtinuit confirmari. Quoddā etiam priuilegium tunc obtinuit, quod in nullo alio, quàm in titulo erat à priori diuisum.

Plures Generales in Ordine.

§. 13. Cum autem Ordo vester in diuersas partes diuisus, inter multiplices contentiones, & discordias, in

in ipso exortas ferè per trienniũ fluctuaret, tandem Fratres ipsius Ordinis cupientes vnitatem, & pacem in eodem Ordine reformari, quatenùs ex seipsis Procuratoribus constitutis, illos ad Curiam Romanam, & ad Nos specialiter, tanquàm ad Patronum sui Ordinis transmiserunt. Sed quia tunc eos per nos commodè nõ poteramus audire, prudentibus viris Electo Paduano, & Fratri Simoni Mediolanensi lectori de Ordine Minorum Capellanis, & socijs nostris commisimus, vt Procuratores eosdẽ super ijs, quæ vellent proponere, diligenter audirent, & prout studiosiùs possent, Ordinem ipsum ad statum vnitatis, & pacis intenderent reuocare. Dicti verò Electus, & Frater Simon statu, & conditionibus Ordinis per prædictos Procuratores pleniùs intellectis, quædam in Ordine ipso, pro bono statu eiusdem super certis articulis de assensu Procuratorum ipsorum pronunciauerunt seruanda, & tandem Procuratores ipsos concordes ad propria remiserũt.

§. 14. Quibus ita remissis, præfati Vgo, & Marcus, qui pro Generalibus Prioribus se gerebant, & alij Fratres, qui obediebant eisdem, de communi voluntate omnium, generale Capitulum apud Bononiam celebrarunt; in quo videlicèt Capitulo, ordinatione, quæ per prædictos Electum Paduanum, & Fratrem Simonem tradita fuerat, recitata, & lecta, & Diffinitoribus Capituli generalis electis, prædictus F. Marcus properauit Cæsenam, & in manibus Episcopi Cæsenatis cessit Prioratui loci eiusdem, in quo per ipsum Episcopum fuerat confirmatus, & per eundem à cura Prioratus ipsius extitit absolutus. Frater verò Vgo, qui per Sedẽ Apostolicam confirmatus fuerat in manibus Magistri Bernardi Canonici Bononiensis Domini Papæ Capellani, cui auctoritate Apostolica cõmissum extiterat, quòd reciperet cessionem eiusdem, administrationi, & officio suo cessit.

Capitulum generale Bononiæ

§. 15. Cessionibus itaque huiusmodi taliter expeditis, Priores de ipso Capitulo secedentes in parte, prout spectabat ad eos, ad tractandum de electione futuri Generalis Prioris, in quatuor Fratres de ipso Capituló, qui deberent Generalem Priorem eligere, consenserunt. Illi autẽ Spiritus Sancti gratia inuocata, Fratrem Lanfrancum Mediolanensem, tunc Priorem domus vestræ Bononiensis, in Priorem Generalem Ordinis vestri vnanimiter, & concorditer elegerunt. Electio cuius approbata per communẽ consensum omnium de ipso Capitulo, fuit ad Sedẽ Apostolicã per Procuratores ipsius Capituli confirmanda delata, cuius electionis, & eorum, quæ superiùs sunt narratæ processum, nobis Dominus Papa examinandum, & pleniùs intelligendum commisit. Vnde nos præmissis omnibus intellectis, ea in ipsius Domini Papæ, & fratrum suorum præsentia fideliter retulimus, & recitauimus diligenter.

Lãfrancus Bononiæ Prior Generalis electus.

§. 16. Nos itaque de speciali mãdato, & auctoritate eiusdem Domini, electionem prædicti Fratris Lanfranci, quam inuenimus celebratã canonicè, ac ipsum Fratrem Lanfrãcum in Generalem Priorem vestri Ordinis confirmamus. Eadem auctoritate nihilominus statuentes, vt idem Prior, & quilibet eius successor in perpetuum, qui quidem cum eligendus

gendus fuerit secundùm sanctiones canonicas, & statuta vestri Ordinis eligatur, & electionis suæ confirmationem ab Apostolica Sede, seù à Legato ipsius duntaxàt recipiat Generalis Prior Ordinis Eremitarum, sinè alicuius certi loci, vel proprij nominis expressione, de cetero deberet appellari, & ei tanquam Priori Generali eorum omnes Priores, & Fratres ipsius Ordinis, qui etiam nominentur simpliciter, Fratres Ordinis Eremitarum, in omnibus humiliter obediant, & intendant.

§. 17. Prior quoque Sanctæ Mariæ de Cæsena, & alij Priores vestri Ordinis, qui consueuerunt in Prioratibus suis institui per Diœcesanos locorum, per eosdem instituantur in eis, & tàm Prior Generalis, quàm alij Prouinciales, & Conuentuales Priores eiusdem Ordinis, Episcopis, in quorum Diœcesibus degunt, in ijs, quæ ad iurisdictionem Episcopalem pertinent, intendant, reuerenter, & respondeant, prout debetur: ita tamen quòd ijdem Episcopi contra ipsum Priorem Generalem, inconsulto Romano Pontifice, nil attentent.

§. 18. Fratres etiam, qui de cetero in Ordine vestro debuerint profiteri, eidem Priori Generali, vel certo eius nuntio profiteantur hoc modo.

Formula Professionis faciẽda. Ego N. facio professionem, & promitto obedientiam Deo, & Beatæ Mariæ Virgini, & tibi Priori Generali Ordinis Eremitarum, tuisq; successoribus vsque ad mortem secundùm Regulam Beati Augustini, & constitutiones Fratrum istius Ordinis.

§. 19. Non obstantibus Professionibus, & cõsuetudinibus quibuslibet, vbicunque in Ordine vestro aliter hactenus obseruatis, seù priuilegijs, & indulgentijs, ac confirmationibus Apostolicis cuicunque loco, vel personæ ab Apostolica Sede concessis, quæ cassa, & vacua, & nullius esse momenti de cetero auctoritate decernimus supradicta: seù cõditione, qua prædictus Episcopus Cæsenas in concessione, quam fecit Fratri Ioanni Bono de loco ecclesiæ Sanctæ Mariæ de Cæsena prædictæ apposuisse, refertur, quòd nec ipse Frater Ioannes Bonus, nec aliquis eius successor possit locum, & Ecclesiam prædictam alicui loco supponere, vel personæ: aut quod Priores dicti loci fuerunt in eo per eundem Episcopum aliquando pro Generalibus Prioribus vestri Ordinis confirmati.

§. 20. Cum illis autem de Ordine vestro, qui alijs Prioribus Generalibus aliter, siue quocunque modo in eodem Ordine hactenus sunt professi dispensamus auctoritate præfata, & decernimus, quòd dicto Fratri Lanfranco, tanquàm Priori Generali eorum, eiusq; successoribus in omnibus ad obedientiam, & reuerentiam teneantur.

§. 21. In priuilegio quoque Ordinis vestri, huiusmodi titulus de cetero apponatur. Innocentius Episcopus, &c. Dilectis filijs Priori Generali Ordinis Eremitarum, ac alijs Prouincialibus, & Conuentualibus Prioribus, Conuentibus quoque, ac alijs Fratribus vniuersis sibi subiectis, tàm præsentibus, quàm futuris eremiticam vitam professis in perpetuum. Ad præmissorum autem omnium memoriam, & perpetuam firmitatem, præsentem paginam fecimus sigilli nostri munimine roborari.

rari. Datum Peruſij, ſexto Idus Ianuarij, anno Domini Milleſimo ducenteſimo quinquageſimo tertio, Pontificatus Domini Innocentij Papæ Quarti anno decimo, Indictione vndecima.

§. 22. Nulli ergo omninò hominũ liceat hanc paginam noſtræ confirmationis infringere, vel ei auſu temerario contraire: Siquis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorũ Petri, & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum.

Datum Peruſij, decimoſeptimo Calendas Maij, Pontificatus noſtri anno decimo.

Conſtit. XV.

Ex Bulla originali cum plumbo, qua Romæ in Archiuo Ordinis aſſeruatur. num. 15.

Summarium.

Archiepiſcopi, & Epiſcopi requiſiti à Fratribus Ordinis licentiam debent concedere conſtruendi eccleſias.

1252. *INNOCENTIVS EPISCOPVS Seruus Seruorum Dei.*

Venerabilibus fratribus vniuerſis Archiepiſcopis, & Epiſcopis præſentes literas inſpecturis Salutem, & Apoſtolicam benedictionem.

§. 1. Dilecti filij Priores, & Fratres Ordinis Eremitarum S. Auguſtini, Nobis humiliter ſupplicarunt, vt eis conſtruendi eccleſias, & domos in terris, manerijs, & poſſeſſionibus, quæ ſibi à Chriſtifidelibus conferuntur, ac audiendi, & celebrandi diuina Officia in eiſdem eccleſijs, & recipiendi eccleſiaſtica ſacramenta, licentiam de benignitate ſolita largiremur.

§. 2. Vobis igitur, qui locorum Diœceſani exiſtitis in hac parte deferre volentes, Vniuerſitati veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus eis concedatis licentiam poſtulatam, ſinè iuris præiudicio alieni.

Datum Peruſij, tertio Nonas Auguſti, Pontificatus noſtri anno decimo.

Conſtit. XVI.

Ex Bulla originali plumbea, aſſeruata Romæ in Archiuo Ordinis. num. 16.

Summarium.

Fratribus Eremitis S. Auguſtini Vltramontanis priuilegia, & gratiæ multæ conceduntur.

INNOCENTIVS EPISCOPVS Seruus Seruorum Dei. 1253.

Dilectis filijs Priori, & Fratribus Eremitis in Vltramontanis partibus conſtitutis, tàm præſentibus, quàm futuris, regularem vitam profeſſis in perpetuum.

§. 1. Religioſam vitam eligẽtibus, Apoſtolicum conuenit adeſſe præſidium, ne fortè cuiuſlibet temeritatis incurſus, aut eos à propoſito reuocet, aut robur (quod abſit) ſacræ religionis infringat. *Hæc constit. habetur in Mare Magno Sixti IV. conſt. 5. n. 14.*

§. 2. Eapropter dilecti in Domino filij veſtris iuſtis poſtulationibus clementer annuimus, & domos veſtras, in quibus diuino vacatis obſequio ſub Beati Petri, & noſtra protectione ſuſcipimus, & præſentis ſcripti priuilegio communimus.

§. 3. In primis ſiquidem ſtatuentes,

Ordo canonicus S. Augustini. tes, vt Ordo canonicus, qui secundum Deum, & Beati Augustini Regulam in domibus ipsis auctoritate *Confirmatus auctoritate Apostolica* apostolica institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inuiolabiliter obseruetur.

§. 4. Præterea quascunque possessiones, quæcunque bona prædictæ domus in præsentiarum iustè, ac canonicè possident, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum, vel Principum, oblatione fidelium, seù alijs iustis modis, præstante Domino, poterunt adipisci, firma vobis, vestrisq; successoribus, & illibata permaneant.

Bona recepta sub protectione Sedis Apostolicæ. §. 5. In quibus hæc proprijs duximus exprimenda vocabulis. loca ipsa in quibus præfatæ domus sitæ sunt cum pertinentijs suis, videlicèt cum ecclesijs, decimis, hortis, vineis, oliuetis, pratis, terris, nemoribus, vsuagijs, pascuis in bosco, & plano, in aquis, & in molendinis, in vijs, & semitis, & in omnibus alijs libertatibus, & immunitatibus suis. Sanè noualium vestrorum, quæ proprijs manibus, aut sumptibus colitis, de quibus aliquid hactenus non percepit, siuè de vestrorum animalium nutrimentis, nullus à vobis decimas exigere, vel extorquere præsumat.

Confugientes ad Ordinem recipiuntur, liberè. §. 6. Liceat quoque vobis Clericos, vel laicos, liberos, & absolutos, è seculo fugientes, ad conuersionem recipere, & eos absque contradictione aliqua retinere.

Ab Ordine nō possunt egredi Professi, & ad alios Ordines trāsire. §. 7. Prohibemus insuper, vt nulli Fratrum vestrorum post factam in domibus vestris professionem fas sit sinè Prioris sui licentia, nisi arctioris Religionis obtentu, de eisdem domibus discedere. Discedentem verò absque communium literarum vestrarum cautione, nullus audeat retinere.

§. 8. Insuper auctoritate Apostolica inhibemus, ne vllus Episcopus, *Exemptiones ab Episcopis, & eorum foro.* vel quælibet alia persona ad Synodos, vel Conuentus forenses vos ire, vel iudicio seculari de propria substantia, vel possessionibus vestris subiacere compellat; nec ad domos vestras causa Ordines celebrandi, causas tractandi, vel aliquos Conuentus publicos conuocandi, venire præsumat: nec regularem Prioris vestri electionem impediat, aut de instituendo, vel remouendo eo, qui pro tempore fuerit, contra statuta Ordinis vestri, se aliquatenus intromittat: Illud adijcientes, vt scilicèt Priores ipsi Episcopo saluo Ordine suo profiteri debeant, & contra statuta Ordinis sui nullam professionem facere compellantur.

§. 9. Pro consecrationibus verò altarium, vel ecclesiarum, siuè pro Oleo sancto, vel quolibet ecclesiastico Sacramento, nullus à vobis sub obtentu consuetudinis, vel alio modo quidquam audeat extorquere; *Nihil soluēdū Episcopis pro ordinatione, & altariū consecratione.* sed hæc omnia gratis vobis Episcopi Diœcesani impendant. Alioquin liceat vobis, quoscunque malueritis catholicos adire Antistites, gratiam, & communionem Apostolicæ Sedis habētes, qui nostra freti auctoritate, vobis quod postulatur impendant. Quòd si Sedes Diœcesanorum Episcoporum fortè vacauerit, interim omnia ecclesiastica Sacramenta à vicinis Episcopis accipere liberè, & absque contradictione possitis; sic tamen vt ex hoc in posterum proprijs Episcopis nullum præiudicium gene-

gene-

generetur. Quia verò interdū propriorum Epiſcoporum copiam non habetis, ſi quos Epiſcopos Romanæ Sedis (vt diximus) gratiam, & communionem habentes, & de quibus plenam notitiam habeatis, per vos tranſire contigerit, ab eis benedictiones vaſorum, & veſtium, & conſecrationes altariū, auctoritate Apoſtolicæ Sedis recipere valeatis.

Tēpore interdicti, officia celebrātur. §. 10. Cum autem generale interdictum terræ fuerit, liceat vobis, clauſis ianuis, excluſis excommunicatis, & interdictis, non pulſatis cāpanis (dummodò cauſam non dederitis interdicto) ſuppreſſa voce diuina Officia celebrare.

§. 11. Chriſma verò, Oleum ſanctum, conſecrationes altarium, ſeù *Ab Epiſcopo Diœceſano ordinādi.* baſilicarum, Ordinationes Clericorum, qui ad Ordines fuerint promouendi, à Diœceſanis ſuſcipietis Epiſcopis, ſi quidem catholici fuerint, & gratiam, & communionem ſacroſanctæ Romanæ Sedis habuerint, & ea vobis voluerint ſinè prauitate aliqua exhibere.

Oratoria, & capellæ fieri non poſſūt in noſtra Parochia. §. 12. Prohibemus inſuper, vt infra fines Parochiarum veſtrarum, nullus ſinè aſſenſu Diœceſanorum Epiſcoporum, & veſtro, capellam, ſeù oratorium de nouo conſtruere audeat: ſaluis priuilegijs Pontificum Romanorum.

§. 13. Ad hæc nouas, & indebitas exactiones ab Archiepiſcopis, Epiſcopis, Archidiaconis, ſeù Decanis, alijsq; omnibus Eccleſiaſticis, ſecularibuſvè perſonis à vobis omninò fieri prohibemus.

§. 14. Sepulturam quoque in ec- *Sepultura libera in noſtris eccleſijs.* cleſijs veſtris liberam eſſe decernimus, vt eorum deuotioni, & extremæ voluntati, qui ſe in eiſdem eccleſijs ſepeliri deliberauerint, niſi fortè excommunicati, vel interdicti ſint, aut etiam publicè vſurarij, nullus obſiſtat. Salua tamen iuſtitia illarum eccleſiarum, à quibus mortuorum corpora aſſumuntur.

§. 15. Decimas præterea, & poſſeſſiones, ad ius eccleſiarum veſtrarum ſpectantes, quæ à laicis detinentur, redimendi, & legitimè liberandi de manibus eorum, & ad eccleſias, ad quas pertinent, reuocandi, libera ſit vobis de noſtra auctoritate facultas. *Decimæ à laicis retentæ redimi poſſunt.*

§. 16. Obeunte verò Generali Priore veſtro, vel ſuorum quolibet ſucceſſorum, nullus vobis qualibet ſubreptionis aſtutia, ſeù violentia præponatur; niſi quem Fratres communi conſenſu, vel Fratrum maior pars conſilij ſanioris ſecundùm Deū, & Beati Auguſtini Regulam, prouiderint eligendum.

§. 17. Paci quoque, & tranquillitati veſtræ paterna in poſterum ſolicitudine prouidere volentes, auctoritate Apoſtolica prohibemus, vt infra clauſuras locorum veſtrorum, nullus rapinam, ſeù furtum facere, ignem apponere, ſanguinem fundere, hominem temerè capere, vel interficere, ſeù violentiam audeat exercere.

§. 18. Prætereà omnes libertates, & immunitates à prædeceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus, locis veſtris conceſſas; necnon libertates, & exceptiones ſecularium exactionum à Regibus, & Principibus, vel alijs fidelibus rationabiliter vobis indultas, auctoritate apoſtolica confirmamus, & præſentis ſcripti priuilegio communimus.

§. 19. Decernimus ergo, vt nulli

Q 2 omni-

omninò hominum liceat, præfatas domos temerè perturbare, aut earũ possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seù quibuslibet vexationibus fatigare, sed ea omnia integra conseruentur, eorum, pro quorum gubernatione, ac sustentatione cõcessa sunt, vsibus omnimodis profutura: Salua Sedis Apostolicæ auctoritate, & Diœcesanorum Episcoporum canonica iustitia, & in supradictis decimis, moderatione Concilij generalis.

§. 20. Si qua igitur in futurum ecclesiastica, secularisvè, persona hanc nostræ concessionis paginam sciens contra eam temerè venire tẽtauerit, secundò, tertiòue commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis, honorìsq; sui careat dignitate, reàmq; se diuino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & à sacratissimo corpore, ac sanguine Dei, & Domini Redemptoris nostri Iesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ subiaceat vltioni. Cunctis autem eisdem domibus sua iura seruantibus sit pax Domini nostri Iesu Christi, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum Iudicem præmia æternæ pacis inueniant. Amen.

Signum Innocentij Quarti.

Notas fac mihi Domine vias vitæ.

Ego Innocentius Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.

Ego Stephanus S. Mariæ Transtib. tit. S. Callisti Presbyter Card.

Ego Frater Ioannes *tituli* S. Laurentij in Lucina Presbyter Card.

Ego Riccardus S. Angeli Diaconus Cardinalis.

Ego Ioannes S. Nicolai in Carcere Tulliano Diaconus Cardinalis.

Ego Octauianus S. Mariæ in via lata Diaconus Cardinalis.

Ego Petrus S. Georgij ad velum aureum Diaconus Cardinalis.

Ego Vuilelmus S. Eustachij Diaconus Cardinalis.

Ego Rainaldus Ostiensis, & Velletrensis Episcopus.

Ego Iacobus Portuẽsis, & S. Rufinæ Episcopus.

Ego Stephanus Prænestinus Episcopus.

Datum Assisij per manum Guilelmi Magistri Scholarum Parmensis S. R. E. Vicecancellarij, secundo Calendas Iunij, Indictione vndecima, Incarnationis Dominicæ anno Millesimo ducentesimo quinquagesimo tertio, Pontificatus verò Domini Innocentij Papæ Quarti, anno decimo.

Constit. XVII.

Ex Bulla originali, quæ cum sigillo plumbeo asseruatur Romæ in Archiuo Ordinis. n. 17.

Summarium.

Fratres Eremitæ de Brictinis, recedere à loco, vbi erant, prohibentur.

INNOCENTIVS EPISCOPVS Seruus Seruorum Dei. 1254.

Dilectis filijs Priori, & Conuentui Eremitarum de Brictinis Ordinis S. Augustini Fanensis Diœcesis Salutem, & Apostolicam benedictionem.

§. 1. PRouidentia laudabilis, & salubris in cunctis vestris haberi

haberi debet operibus, vt exinde claritatem nominis in cōspectu Dei, & hominum habeatis.

§. 2. Cum itaque locus habitationis vestræ, in quo elegistis virtutũ Domino sub Religionis habitu perpetuò famulari, satis prout accepimus sit aptus diuino cultui, nec possit absque damno, & graui nota dimitti. Vniuersitati vestræ tenore præsentiũ duximus inhibendum, quòd exinde sinè licentia speciali Sedis Apostolicæ nullatenus recedatis; sed in ipso stabiliter persistentes, ad illa vigilāti studio desudetis, per quæ palma perennis gloriæ vobis ad votum, largiente Domino, valeat prouenire.

Datum Asisij, Calendis Iulij, Pontificatus nostri anno vndecimo.

INNOCENTII VI. Constit. I.

Ex Bulla originali cum sigillo plumbeo, quæ Romæ asseruatur in Archiuo Ordinis. num. 1.

Summarium.

Degentibus in obsequijs Monasterij possunt Fratres administrare Sacramenta, & interdicti tempore admittere illos ad Officia diuina.

1353. *INNOCENTIVS EPISCOPVS Seruus Seruorum Dei.*

Dilectis filijs Generali, & alijs Prioribus, ac Fratribus Ordinis Eremitarum S. Augustini Salutem, & Apostolicam benedictionem.

§. 1. Religionis fauor, sub qua virtutum Domino mente vigili deseruitis, & deuotionis vestræ merita Nos inducunt, vt vos illa gratia prosequamur, quæ vobis, & Ordini vestro dignoscitur opportuna.

§. 2. Dudum siquidem fel. rec. Clemens Papa Sextus prædecessor noster Apostolica vobis auctoritate concessit, vt ijs, qui vestris immorentur obsequijs, cuncta ecclesiastica Sacramenta liberè ministrare, ac ipsos, cum decederent in vestris cœmeterijs sepelire possetis. Et insuper si quando in terras, in quibus resederetis, vel earum personas, interdicti, vel excommunicationis sentētijs contingeret promulgari, familiares vestris seruitijs deputati, huiusmodi sententijs obnoxij, minimè haberētur; ibìq; possent audire diuina, iuxtà formam, quæ locis vestris in eo casu à Sede Apostolica, est concessa, nisi causam dedissent eisdem, vel eis contingeret specialiter excommunicari, seù etiam interdici. *Manentes in obsequijs nostris Sacramenta à nobis recipiunt.*

§. 3. Cum autem ipsius Prædecessoris literæ, super hoc confectæ propter ipsius superuenientem obitum, bullatæ non fuerint; Nos, vt prædictæ concessionis effectu propterea non priuemini, volentes vos in hac parte fauoribus prosequi opportunis, vestris supplicationibus inclinati, vt familiaribus vestris, qui vestris immorantur, & immorabuntur obsequijs, vestris tamen sumptibus, prædicta sacramenta ministrare, ac ipsos, cum decesserint, in vestris cœmeterijs sepelire possitis.

§. 4. Et insuper si quando in Terras, in quibus vos contigerit residere, vel earum personas, præmissas sententias contigerit promulgari; familiares ipsi huiusmodi sententijs obnoxij minimè habeantur; ibique

poſſint audire diuina, iuxtà formam, quæ locis ipſis in eo caſu ab eadem eſt Sede conceſſa, niſi cauſam dederint eiſdem, vel eos contigerit ſpecialiter excommunicari, ſeù etiam interdici.

§. 5. Non obſtantibus quibuſcũque conſtitutionibus Apoſtolicis contrarijs, etiamſi de illis, & totis ipſarum tenoribus de verbo ad verbum eſſet in præſentibus ſpecialis, & expreſſa mentio facienda, vobis auctoritate prædicta tenore præſentium indulgemus.

§. 6. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginã noſtræ conceſſionis infringere, vel ei auſu temerario contraire: Siquis autem hoc attẽtare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum.

Datum Auenioni, decimoſexto Calendas Februarij, Pontificatus noſtri anno primo.

Conſtit. II.

Ex Bulla plumbea originali, quæ Romæ aſſeruatur in Archiuo Ordinis. num. 2.

Summarium.

Epiſcopo Sabinenſi datur commiſſio formandi proceſſum de vita, & ſanctitate S Nicolai de Tolentino.

1357. *INNOCENTIVS EPISCOPVS Seruus Seruorum Dei.*

Venerabili fratri Aegidio Epiſcopo Sabinenſi Apoſtolicæ Sedis Legato Salutem, & Apoſtolicam benedictionem.

§. 1. QVæ ad diuini nominis laudem, ac ſplendorẽ catholicæ fidei, & cõſolationem fidelium populorum per Sedem Apoſtolicam ſunt laudabiliter inchoata, libenter, & ſtudioſè proſequimur, & ad conſummationem illorum, quantum poſſumus, diligentem operam adhibemus.

§. 2. Dudum ſiquidem pro parte Rectoris, qui tunc erat, & quamplurimarum Ciuitatum, Caſtrorum, & locorum inſignium Marchiæ Anconitanæ expoſito fel. rec. Ioanni Papæ XXII. prædeceſſori noſtro, quòd recolendæ memoriæ Nicolaus de Tolentino Ordinis Eremitarum S. Auguſtini Camerinenſis Diœceſis diutiùs in eodem Ordine laudabiliter conuerſatus, ſanctitatis (dum vixit) nitore micuerat, vitæ conuerſatione ſplenduerat, ac magnis, & multis tàm ante, quàm poſt eius obitum, in reſuſcitatione videlicèt mortuorum, diuerſorum curatione morborum, effugatione dæmonum, illuminando etiam cæcos, & liberando captiuos, ſurdis auditum, & claudis greſſum præbendo, & alijs quampluribus diuerſis, & varijs miraculis coruſcarat; dictóq; Prædeceſſori pro dictorum exponentium parte humiliter ſupplicato, vt de ipſius Nicolai vita, & miraculis inquiſitione præmiſſa, ſi prædicta inuenirentur veritate fulciri, eundem Nicolaum catalogo Sanctorum aſcribi, eùmq; faceret ſolemniter per vniuerſas Orbis Eccleſias venerari, idem Prædeceſſor dedit Senogalienſi, & Cæſenati Epiſcopis, ac Abbati monaſterij S. Petri Peruſini, qui tunc erant, per ſuas literas, in mandatis, vt ipſi, vel duo eorum, in loco, ſeù locis, de quibus expedire viderent, de vita, & conuerſatione, atque miraculis dicti Nicolai, & de circunſtantijs omni-

Miracula S. Nicolai de Tolentino.

Cõmiſſarij deputati ad formandũ Proceſſum.

omnibus, negotium huiusmodi contingentibus, inquirerent iuxta formam eis per dictum Prædecessorem sub apostolica Bulla transmissam diligenter veritatem, & quæ super ijs inuenirent in scriptis redacta fideliter sub eorum sigillis per viros idoneos ad Apostolicam Sedem destinarent, prout in eiusdem Prædecessoris literis pleniùs continetur: dictiq; postmodùm duntaxàt Episcopi, sicut fidedignorum relatione percepimus iuxtà ipsarum literarum tenorem, & directam eis formam prædictam de præmissis diligentiùs inquirentes, & repertam per inquisitionem huiusmodi super dicto negotio, ad Sedem Apostolicam sub eorum sigillis fideliter remittentes, illa fecerunt per idoneum nuntium Prædecessori præfato, suisq; Fratribus S. R. E. Cardinalibus, qui tunc erant, die videlicèt quinta mensis Decembris, anno Domini Millesimo trecentesimo vigesimò sexto in Cōsistorio præsentari, idèmq; Prædecessor illa nonnullis ex dictis Cardinalibus examinanda, & sibi postmodùm referenda cōmisit: quorum examinatis, & relatio dicto Prædecessori, & singulis alijs Cardinalibus, qui tùnc erant, tradita, & etiã assignata.

§. 3. Cum autem sicut exhibita Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Prioris Generalis, & Fratrũ prædicti Ordinis petitio continebat, licèt per inquisitionem, examinationem, & relationem præmissas, & alia, quæ super dicto negotio acta tũc temporis extiterunt, de sanctitate conuersationis, & vitæ, ac miraculis ipsius Nicolai plenè, ac euidenter appareat; tamen propter occupationes multiplices dictæ Sedis, & causas alias, præfatum negotium iuxtà morem, quem in talibus Romana seruat Ecclesia, non potuerit expediri, & interim ipse misericordiarum Pater, à dicto tempore remissionis, & præsentationis præmissorum in ipso Nicolao virtutis, siuè opera manifestatis quamplurima propter ipsius Nicolai merita miracula fuerit operatus, & continuò operetur; fuit Nobis pro parte ipsorum Prioris, & Fratrũ humiliter supplicatum, vt ad pleniorem indaginem veritatis, & clarificandum propensum celebrem ipsius Nicolai memoriam, de dictis miraculis post tempus prædictum ob ipsius merita (vt præmittitur) factis, diligenter inquiri de benignitate apostolica mandaremus.

§. 4. Nos igitur attēdentes, quòd quantò virtutum lumina perspicaciùs inspectantur, tantò clariùs elucescunt, quantòq; magis teruntur aromata, tantò fortiùs redolescunt, huiusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus de huiusmodi miraculis, quæ à præmissæ præsentationis tempore diuina clementia, ob ipsius Nicolai merita, operata extitit (vt præfertur) per te, vel alios, ad præmissa idoneos, in locis vbi expedire videris iuxtà formam, quam sub Bulla nostra tibi mittimus interclusam, inquiras diligentiùs, veritatem, & quæ super ijs inueneris, fideliter in scriptis redacta, Nobis sub tuo sigillo cum tuarũ literarum, harum seriem continentium testimonio, intimare procures, vt in dicto negotio (fauente Deo) certiùs agi valeat, & procedi.

Datum Auenioni Idibus Aprilis, Pontificatus nostri anno quinto.

Con-

Constit. III.

Ex Bulla originali cum plumbo, quæ in Archiuo Ordinis Romæ asseruatur. nu. 3.

Summarium.

Continet Breue Ioannis Vigesimi secundi pro S. Nicolao de Tolentino.

1359. *INNOCENTIVS EPISCOPVS Seruus Seruorum Dei.*

Ad perpetuam rei memoriam.

§. 1. TEnorem quarundam literarum fel.rec.Ioannis Papæ Vigesimisecundi prædecessoris nostri in Registro ipsius Prædecessoris repertum, ad dilecti filij Augustini de Brisaco Ordinis Fratrũ Eremitarum S. Augustini professoris,& eorundem Fratrum, & Ordinis Generalis Procuratoris, asserentis se dicto tenore pro ipso Ordine indigere, supplicationis instantiam, de Registro ipso de verbo ad verbum transcribi, & præsentibus annotari fecimus, qui talis est.

Ioannis XXII. pro S. Nicolao §. 2. Ioannes Episcopus Seruus Seruorum Dei. Venerabilibus fratribus Senogalliẽsi, & Cæsenati Episcopis,ac dilecto filio Abbati Monasterij S. Petri Perusini Salutem, & Apostolicam benedictionem. Pater luminum,& misericordiarum, & totius consolationis Deus, qui secundùm multitudinem miserationum suarum Ecclesiam suam fœtu nouæ prolis amplificat,& per nouella Sanctorum miracula, animas peccatorum illuminat, fidelium corda roborat, & accendit zelum ad æternæ lucis præmium animarum, multam nobis, & meritò cõfert materiã gaudiorum, magnàq; gratiarum, & laudum impendenda sibi iugiter nobis debita cumulat,dum per ostensiones veridicas nostræ fidei fundamenta confirmat, ad altiora spem fidelium erigit ad virtutum amorem per Sanctorum exempla nos prouocat, & viam, per quam itur ad patriam,euidenter ostendit,vt per hæc æterni spe præmij, malignitate superata virtute, terrena pessundemus vitia, & cũ felici comercio pro caducis seculi (illo, qui potens est, opitulante) nobis acquiramus æterna.

§. 3. Nuper siquidem ex parte dilecti filij Amelij Abbatis monasterij S. Saturnini Tolosani Rectoris,& quamplurimarum Ciuitatum, Castrorum, & locorum insignium Marchiæ Anconitanæ fuit expositum coram Nobis, & fratribus nostris, etiã cum frequenti instantia, & pluries repetita, quòd recolendæ memoriæ Nicolaus deTolentino Ordinis Eremitarum S. Augustini Camerinensis Diœcesis, diutiùs in eodem Ordine laudabiliter conuersatus, sanctitatis nitore (dum vixit) emicuit, vita, & conuersatione resplenduit, ac magnis, & multis, tàm ante, quàm post eius obitum, in resuscitatione, videlicèt mortuorum,& diuersorum curatione morborum, effugatione dæmonum, illuminando etiam cæcos, & liberando captiuos, surdis auditum,& claudis gressum præbendo, & alijs quampluribus diuersis, & varijs miraculis coruscauit. Quarè pro parte ipsorum fuit Nobis humiliter supplicatum, vt de ipsius Nicolai vita, & miraculis inquisitione præmissa, si inueniremus prædicta, veritate fulciri, Sanctorum catalogo ascriberemus, eundèmq; facere- *Miracula S. Nicolai*

mus

mus solemniter per vniuersas Orbis Ecclesias venerari.

§. 4. Licèt autem præmissa, si vera sint, nostrum, & fratrum nostrorum corda multa iucunditate reficiant, & labiorum vitulum Altissimo immolemus, qui bases columnarum nostræ fidei fundauit supra firmam petram: attendentes tamen huiusmodi negotium tàm sublime, tàm arduum, inscrutabile fore mortalibus, & profundè ipsorum sensibus abditum, cum nullus carne circundatus, arcana possit scrutari cælestia, & vix queamus absque labore, & quandòque defectu veridicè inuestigare terrena; & propter hoc Romana Ecclesia in tanto negotio consueuerit cum exacta diligentia, multàq; maturitate procedere: Considerantes etiam quòd vos, tanquàm vicini loco habere poteritis de præmissis plenam certitudinem veritatis; prædictorum Rectoris, Ciuitatum, Castrorum, & locorũ supplicationibus inclinati, discretioni vestræ, de qua plenam in Domino fiduciam gerimus, per apostolica scripta mandamus, quatenus vos, vel duo vestrum, in loco, seù locis, de quibus expedire videritis, de vita, & conuersatione, atque miraculis prædicti Nicolai, ac de circũstantijs omnibus, negotium huiusmodi contingẽtibus, iuxtà formam, quam vobis sub Bulla nostra mittimus interclusam, inquiratis diligentiùs veritatem, & quæ super ijs inueneritis, in scriptis redacta fideliter, sub sigillis vestris per viros idoneos ad Sedem Apostolicam destinetis, vt per inquisitionem vestram diligenter instructi in huiusmodi negotio, ad laudem diuini nominis, & honorem, firmamentum catholicæ fidei, & consolationem fidelium populorum (dirigente Domino actus nostros) securiùs procedere valeamus. Datum Auenioni, decimo Calendas Iunij, Pontificatus nostri anno nono.

§. 5. Ceterùm, vt earundem literarum tenor prædictus sic insertus, omnimodam rei, seù facti certitudinem faciat, apostolica auctoritate decernimus, vt illud idem robur, eàmq; vim, eundèmq; vigorem dictus tenor per omnia habeat, quem haberent originales literæ supradictæ, & eadem prorsus eidem tenori fides adhibeatur quandocunque, & vbicunque, siuè in iudicio, vel alibi fuerit exhibitus, vel ostensus, vt eidẽ stetur firmiter in omnibus, sicut eisdem originalibus staretur literis, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

§. 6. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginã nostræ constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire: Siquis autem hoc attentare præsumpserit indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum.

Datum apud Villam nouam Auenionensis Diœcesis, quarto Idus Iulij, Pontificatus nostri anno octauo.

INNOCENTII VIII. Constit. I.

Ex Breue originali sub Annulo Piscatoris, Romæ asseruato in Archiuo Ordinis. nu. 1.

Summarium.

Officia Ordinis ad trienniũ reducta sunt, & in contrarium facultates obtentæ à Sede Apostolica, reuocantur.

A ter-

A tergo

Dilecto filio Generali Eremitarum S. Augustini.

1487. INNOCENTIVS PAPA VIII.

Dilecte fili Salutem, & Apostolicam benedictionem.

§. 1. EX dilecto filio Fratre Gratiano de Fuligno sacræ Theologiæ professore, ac Ordinis tui in Curia Romana Procuratore nuper accepimus, quòd antiqua statuta, & priuilegia dicti Ordinis à prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus concessa, & confirmata, ex quibus Ordo ipse magnum incrementum suscepit, nonnulli eiusdem Ordinis professores transgredi, & violare præsumunt sub prætextu literarum à Nobis, aut Prædecessoribus ipsis nostris, fictis coloribus, aut causis per eos impetratores, præsertim circa tempus de exercendis officijs Prioratuum, & Prouincialatuum Ordinis antedicti præfixum; quòdq; huic rei, nisi prouidè occurratur, statuta, & priuilegia ipsa infringentur, & contemnentur, cum totius Ordinis antedicti confusione, & perturbatione.

§. 2. Nos igitur, qui conseruationem, & augmentum Regularium Ordinum, præsertim Eremitarum S. Augustini, nostris potissimũ temporibus in suis laudabilibus institutis, & priuilegijs non solùm præseruari, sed corroborari, & augeri desideramus, omnes, & singulas, tàm per Nos dilecto filio Simoni Beregario, dicti Ordinis Professori Prouinciæ Tholosæ Prouinciali, de exercendo Prouincialatus officium, vltra triennium, quàm alias quascunque tàm à Nobis, quàm à Prædecessoribus nostris prædictis, quibusuis personis, & super quibusuis officijs Ordinis antedicti concessas literas, earum tenores, ac si præsentibus de verbo ad verbum inserti essent, pro expressis habendo, si & inquantum dictis statutis, & priuilegijs contrariæ existant, cum quibuscunque derogatoriarum derogatoris, & insolitis clausulis, quomodolibet, & cuiusuis intuitu, aut consideratione, etiam Regum, Ducum, & aliorum Principũ, vel laborum remuneratione concessas, tenore præsentium reuocamus, Ordinèmq; prædictum, loca, & Prouincias eius in statu, in quo ante per dictas impetrationes erant, reponimus. Et nihilominùs per præsentes committimus tibi, & mandamus, quatenus tàm ipsum Fratrem Simonem, quàm alios quoscunque, officia dicti Ordinis contra statuta, & priuilegia huiusmodi, obtinentes, si spontè noluerint cedere, à Prouincialatus, & alijs officijs secundum statuta prędicta amoueas, & amoueri per quoscunque, aliàs prout consuetum est, facias: & alijs prouideri de eisdem officijs cures. Contradictores, & rebelles iuxtà dicti Ordinis statuta, & priuilegia, etiam nostra auctoritate cogendo, & compescendo; super quo plenam dicta auctoritate tibi concedimus facultatem, literis prædictis, ceterisq; in contrarium facientibus non obstantibus quibuscunque.

Prouinciales nõ sunt vltra triẽnium.

Renuẽtes amoueantur peracto triennio

Datum Romæ apud S. Petrum, sub Anulo Piscatoris die decimaseptima Martij, Millesimo quadringentesimo octuagesimo nono, Pontificatus nostri anno quinto.

Con-

Constit. II.

Ex Transumpto authentico Marcelli Lantes Auditoris Generalis Cameræ Apostolicæ, & asseruatur Romæ in Archiuo Ordinis num. 2.

Summarium.

Continetur Duplicatum duarum Constitutionum Eugenij Quarti, quæ habentur sub Eugenio Quarto Constit. tertia, & quarta.

1484. *INNOCENTIVS EPISCOPVS Seruus Seruorum Dei.*

Ad futuram rei memoriam.

Transsumptum conceditur ab Innocentio Octauo, constitutionum Eugenij Quarti.

§. 1. PRouisionis nostræ debet prouenire subsidio, vt ius suum vnicuique conseruetur. Hinc est, quòd Nos tenorem quarundam literarum fel. rec. Eugenij Papæ IV. prædecessoris nostri in Registro literarum ipsius prædecessoris repertũ, pro eo quòd sicut exhibita Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Priorum, & Fratrum S. Saluatoris Siluæ lacus de Iliceto, & S. Leonardi, ac Sanctæ Mariæ de Monte specchio, necnon S. Antonij supra Balneum Petrioli, domorum Societates de Iliceto nuncupatæ, Ordinis Fratrum Eremitarum S. Augustini Senensis, & Grossetanæ Diœcesis, Priorum, & Fratrum petitio continebat, ipsi huiusmodi tenore ex certis causis se asserunt indigere, de Registro ipso de verbo ad verbum transcribi, & ad ipsorum supplicantium instantiam præsentibus annotari fecimus, qui talis est.

Bullæ habentur in Constitut. tertia, & quarta Eugenij Quarti.

§. 2. Ceterùm, vt earundem literarum tenor prædictus sic insertus omnimodam rei, seù facti certitudinem faciat, apostolica auctoritate decernimus, vt illud idem robur, eandem vim, eundèmq; vigorem dictus tenor per omnia habeat, quem haberẽt originales literæ supradictæ, & etiam prorsus eidem tenori fides adhibeatur quomodocunque, & vbicunque, siuè in iudicio, siue alibi, vbi fuerit exhibitus, & ostensus, & eidem tenori firmiter stetur in omnibus sicut eisdem literis originalibus staretur si forent exhibitæ, vel ostensæ. Per hoc autem nullum ius cuiquam de nouo acquiri volumus, sed antiquum tantummodò conseruari.

§. 3. Nulli ergo omninò hominũ liceat hanc paginam nostræ concessionis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire: Siquis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum.

Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ Millesimo quadringentesimo octuagesimo quinto, quinto Calendas Octobris, Pontificatus nostri anno primo.

Constit. III.

Ex Transumpto Auditoris Cameræ, Romæ asseruato sub Eugenio Quarto. nu. 3.

Summarium.

Omnia priuilegia, & indulta, gratiæ, & immunitates concessæ vel Ordini, vel alicui Congregationi extenduntur ad Congregationem Lombardiæ.

INNO-

1487. INNOCENTIVS EPISCOPVS Seruus Seruorum Dei.

Dilectis filijs Mariano de Genazano Congregationis Iliceti, & Thadæo de Epporegia Congregationis Lombardiæ nuncupatarum Ordinis Fratrum Eremitarum S. Augustini Salutem, & Apostolicam benedictionẽ.

§. 1. VAcantibus sub Religionis obseruantia studio piæ vitæ, Apostolici fauoris præsidium libenter impendimus, & in ijs, quæ solidationem status, necnon perpetuam pacem, & tranquillitatẽ eorum respiciunt, Nos eis gratiosos, & fauorabiles exhibemus.

§. 2. Cupientes igitur, vt vos, & qui pro tempore erunt vestrarum Congregationum Vicarij, & Fratres sub regulari obseruantia Altissimo famulantes, quos idem Ordo, & habitus, ac eadem regularis obseruantia (diuina opitulante clementia) cõiungit, paribus fauoribus ex Apostolicæ Sedis magnificentia potiamini, vestris in hac parte deuotis supplicationibus inclinati; omnia, & singula exemptionis, immunitatis, libertatis, facultatis, indulgentiarũ, & gratiarum priuilegia, cõcessiones, & indulta quæcunque, & qualiacunque vni Congregationi vestrarum, & Ordini vestro per Nos, & prædecessores nostros Romanos Pontifices, ac Ordinem ipsum, quomodolibet concessa, quæ omnia qualiacunque sint, ac si de verbo ad verbum insererentur præsentibus haberi volumus pro expressis; ad alterã Congregationum ipsarum, & illius Vicarium, Visitatores, & Fratres, domos, & personas, & bona, & è contra auctoritate apostolica præsentium tenore extendimus, & volumus, & decernimus, ea omnia sic diuisim concessa, siuè communiter Ordini, & Congregationibus prædictis, & quæ concedi contingeret in futurum cõmuniter suffragentur in omnibus, & per omnia prorsus, & sinè vlla discrepantia, ac si vobis communiter à principio concessa fuissent, & concederentur in futurum, & vobis modernis, & pro tempore existentibus vestrarum Congregationũ Vicarijs, & Visitatoribus, vt vestes, corporalia, & paramenta quæcunque altarium in Missarum, & diuinorum celebratione necessaria, benedicere, ac vobis, & pro tempore existentibus vestrarum Congregationum Fratribus expleto Matutinali Officio, etiã ante lucis auroram Missam celebrare possitis, dicta auctoritate concedimus.

Priuilegia Ordinis extenduntur ad Congregationes

Ante auvorã post Matutinum possum' celebrare Missam.

§. 3. Et ne vestrarum Congregationum Professores, nunc, & pro tẽpore existentes, siuè Capituli, vel Vicarij Congregationis eorum expressa licentia, ad aliquam dignitatem, vel administrationem extra Ordinẽ prædictum, quauis auctoritate assumuntur, & assumi procurent, vel patiantur: nec ad alios Ordines, seù Religiones, etiam arctiores, se transferant, aut quouis quæsito colore ab obedientia Prælatorum suæ Cõgregationis recedere, seù subtrahere quoquo modo præsumant, sub excommunicationis latæ sẽtẽtiæ pœna, in quam ipsi, & eos recipientes eo ipso incurrant, præfata auctoritate statuimus; eisdẽmq; Vicarijs illos sic recedentes, & se subtrahentes, repetendi, ac ipsos, & recipientes illos excommunicationis sententiam incurrisse declarandi, illàmq; iteratis vicibus aggrauandi; necnon contradi-

traditores quoslibet, & rebelles per censuram ecclesiasticam, & alia iuris remedia, inuocato etiam ad hoc (si opus fuerit) auxilio brachij secularis, compescendo; & illos, qui præmissorum occasione cēsuras aliquas incurrissent, ad eorum obedientiam redeuntes ab illis iniunctâ pœnitentia salutari, & alijs quæ iure fuerint iniungenda, in forma Ecclesiæ consueta, absoluendi, & super irregularitate diuinis se immiscendo contracta, dispensandi, eadem auctoritate concedimus facultatem, & præsentibus literis nullatenus censeri esse derogatum, nisi illarum de verbo ad verbum inserto tenore, non autem per clausulas, huiusmodi insertionē importantes cōtigerit derogari, necnon irritum, & inane quidquid secus super his à quocunque quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contingeret attentari, prælibatâ auctoritate decernimus.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus apostolicis, necnon statutis, & consuetudinibus Congregationum, & Ordinis prædictorum, etiam apostolica auctoritate, vel quauis alia firmitate roboratis contrarijs quibuscunque; seu si aliquibus communiter, vel diuisim à Sede prædicta indultū esset, quòd interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

§. 5. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginā nostræ extensionis, constitutionis, concessionis, statuti, decreti, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attentare præsumpserit indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum.

Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ Millesimo quadringentesimo octuagesimo sexto, decimo septimo Calendas Decembris, Pontificatus nostri anno quarto.

Constit. IV.

Ex Breue originali sub Anulo Piscatoris, quod asseruatur Romæ in Archiuo Ordinis. nu. 4.

Summarium.

Prior Generalis habet facultatem absoluendi à censuris, & dispensandi super irregularitate, cum quadam moderatione.

A tergo.

Dilecto filio Anselmo de Montefalcone Ordinis Fratrum Eremitarū S. Augustini professori, Vicario, & Rectori Generali eiusdem Ordinis.

INNOCENTIVS PAPA VIII. *1486.*

Dilecte fili Salutem, & Apostolicam benedictionem.

§. 1. TVis supplicationibus inclinati, vt concessam per Sedem Apostolicam Priori Generali tui Ordinis Fratrum Eremitarum S. Augustini pro tempore existenti absoluendi illius professores à quibuscunque excessibus, censuris, & pœnis, certis casibus duntaxat exceptis, & dispēsandi cum eisdem super irregularitatibus per eos aliàs, quàm ratione bigamiæ, & homicidij voluntarij contractis, facultatem; *Potest Generalis absoluere Fratres ab omnibus casibus, & censuris*

R cum

Facultatē potest alijs communicare. cum potestate eam communicandi Prioribus Prouincialibus Fratrū dicti Ordinis tu, & pro tempore existēs Generalis Prior, & Vicarius, ac Prouinciales Priores, & Vicarij Generales, & Prouinciales Fratrum dicti Ordinis quoties tibi, & eidem pro tempore existenti Priori, & Vicario Generali, ac Prouincialibus, & Vicarijs eorum videbitur, & placebit: præsertim pro commoditate, ac puritate conscientiæ, absolutione, & dispensatione huiusmodi indigentiū, etiam alijs dicti Ordinis professoribus communicare, & vnum ex dicti Ordinis professoribus, qui pari modo, tibi, & eidem pro tempore existenti Priori de simili absolutione, & dispensatione, apostolica auctoritate prouideat, assumere, perpetuis futuris temporibus liberè, & licitè valeatis, præsentium tenore concedimus.

Potest dispēsare cum viginti professis vt sacerdotes ordinētur, cōpleto anno vigesimo. §. 2. Et cum vigintiquinque personis dicti Ordinis professoribus, qui nunc sunt, & pro tempore perpetuò erunt, postquàm vigesimumsecundum eorum ætatis annum attigerint, possint ad presbyteratus Ordinem assumi.

§. 3. Et ante huiusmodi ætatem promoti, & propterea ab executione dicti Ordinis suspensi, cum dictū ætatis annum attigerint, in presbyteratus Ordine prædicto, & in altaris *Cum ordinatis ante tēpus dispensatur.* ministerio, obtenta desuper licentia sui Generalis, vel Prouincialis Prioris, vel ipsorum Vicariorum, ministrare licitè possint, tenore præsentiū auctoritate apostolica dispensamus. Ætatis præmissæ defectu, ac apostolicis constitutionibus nequaquam obstantibus.

Datum Romæ apud S. Petrum, sub Anulo Piscatoris die decimasexta Februarij, Millesimo quadringentesimo octuagesimo sexto, Pontificatus nostri anno secundo.

IOANNIS XXII. Constit. I.

Ex Bulla originali plumbea, asseruata Romæ in Archiuo Ordinis. num. 1.

Summarium.

Episcopus Massanus, Aretinus, & Senensis Defensores Ordinis constituuntur à molestijs illatis.

IOANNES EPISCOPVS 1317.
Seruus Seruorum Dei.

Venerabilibus fratribus Massano, Arretino, & Senensi Episcopis Salutem, & Apostolicam benedictionem. *Episcopi Massanus, Arretinus, & Senēsis cōstituūtur defensores priuilegiorum.*

§. 1. ETsi quibuslibet Religiosis & personis, & locis, ex iniunctæ Nobis seruitutis officio assistere defensionis præsidio teneamur; illis tamen specialiùs, & efficaciùs adesse Nos conuenit, qui Sedi Apostolicæ immediatè subiecti non habent, præter Romanum Pontificem, alium defensorem.

§. 2. Cum itaque sicut ex parte dilectorum filiorum Prioris Generalis, & Fratrum Ordinis Eremitarum S. Augustini fuerit propositum corā Nobis, quòd ipsi à nonnullis, super prædicationibus liberè ab eisdem Fratribus faciendis, & audiendis Cōfessionibus, eis peccata sua volentium confiteri, & alijs iuribus, & libertatibus ipsis ab Apostolica Sede concessis; à Prælatis, Rectoribus, & Clero, alijsq; personis contra indulta priuilegiorum dictæ Sedis, eis ab

eadem

eadem Sede concessorum multipliciter molestentur, & grauamina ipsis multiplicia inferantur.

§. 3. Nos volentes eis super hoc de oportuno remedio prouidere, fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut vnus vestrum, per vos, vel per alium, seù alios Fratribus dicti Ordinis Prouinciæ Senēsis efficaci defensionis præsidio assistentes, non permittatis eos contra tenorem priuilegiorum ipsorum à prædictis, vel alijs quibuscunque molestari; nec eis aliqua grauamina, vel iniurias irrogari: facientes ipsis Fratribus, de illatis eis iniurijs, molestationibus, & grauaminibus contra tenorem eorūdem, ne illis videlicèt, quæ iudicialem requirunt indaginem, per viam iudicij; in alijs verò prout qualitas ipsorum exegerit, iustitiæ complementum, ita quòd officium, potestas, & iurisdictio vestra ex nunc perpetuata censeantur. Molestatores, & iniuriatores huiusmodi, necnon contradictores, & rebelles quandocunque, & quotiescunque expedierit per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo.

Priuilegia concessa cōfirmantur.

§. 4. Non obstantibus tàm de duabus dietis in Concilio generali, quàm felicis recordationis Bonifacij Papæ Octaui prædecessoris nostri; quarum prima cauetur, ne quis (certis exceptis casibus) extra suam Ciuitatem, & Diœcesim; secunda verò ne reus alterius Diœcesis vltra vnam dietam à Fratribus eiusdem Diœcesis ad iudicium euocetur; & alijs quibuscunque Constitutionibus ab eisdem Prædecessoribus nostris, tàm de iudicibus legatis, quàm conseruatoribus, & alijs editis, quæ vestræ possent in hac parte iurisdictioni, aut potestati, eiùsq; libero exercitio quomodolibet obuiare, seù si aliquibus à Sede Apostolica sit indultū, quòd excommunicari, suspendi, vel interdici non possint per literas apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem; & quibuslibet alijs indulgentijs, priuilegijs, & literis apostolicis quibuscunque, & in quacunque forma verborum concessis, per quæ præsentibus non expressa, vel totaliter non inserta, dictæ iurisdictionis, siuè potestatis explicatio possit quomodolibet impediri, & de quibus, quorùmque totis tenoribus de verbo ad verbum oporteat in nostris literis fieri mentionem.

Datum Auenioni, decimoquarto Calendas Maij, Pontificatus nostri anno primo.

Constit. II.

Ex Bulla plumbea originali, asseruata Romæ in Archiuo Ordinis. nu. 2.

Summarium.

Conceditur locus pro fabricando monasterio propè ecclesiam S. Petri in Cælo aureo & officia celebrandi simul cum Canonicis Regularibus.

IOANNES EPISCOPVS Seruus Seruorum Dei. 1326.

Dilectis filijs Priori Generali, & Fratribus Ordinis Eremitarum S. Augustini Salutem, & Apostolicam benedictionem.

§. 1. VEneranda Sanctorum Patrum Doctorum Ecclesiæ vita promeruit, ac ipsorum celebris,

lebris, proficuáq; doctrina persuadet, vt eis, qui iam Deum facie ad faciem, tenebrarum fugata caligine intuentur in patria, quique illius suauissima felicitatis dulcedine perfruũtur, à nobis, & cunctis Christifidelibus in huius peregrinationis nostræ via, dum viuimus, vbi cum in enigmate videmus per speculum, quantùm ex alto conceditur, debita honoris, & laudis exhibitio tribuatur; honor enim illis exhibitus, exhibetur Christo, laudes eorũ Saluatoris nostri redundat in laudem, quem & laudare & honorare, dum viuerent, veluti ipsius mancipati obsequijs, indefessis præconijs non cessarũt. Propterea Psalmista hortabatur cum diceret, Laudate Dominum in Sanctis eius; laudatur enim Dominus, qui Sanctos fecit, eósq; vt laudarentur, immò vt ipsum in seculũ seculi collaudarent, instituit, cum ijdem in eum, & propter eum dignis præconijs attollũtur.

Laudes quatuor Doctorũ Ecclesię

§. 2. Verè vtique isti Sancti sunt verè Doctores Ecclesiæ, Gregorius scilicèt, Ambrosius, Augustinus, atque Hieronymus, quorum doctrina informatur Ecclesia, quorum vita mores salubriter informantur, vt de ipsis scriptum esse intelligatur, & meritò, Qui fecerit, & docuerit hic magnus vocabitur in Regno cælorum; & illud, Qui elucidant me, vitã æternam habebunt: Per hos enim quatuor Doctores egregios, quasi per quosdam cælestis eruditionis limpidissimos riuulos diuini eloquij, noui scilicèt & veteris testamenti, totiùsq; catholicæ fidei firmitatis à fonte Sapientiæ, quod est Verbum Dei in excelsis, post gloriosissimorum tamen Apostolorum, & Euangelistarũ instructiones viuificas, & ipsorũ sacrata volumina, ad nos copiosa, immò vberrima fluenta decurrunt, cum per eorundem Doctorum verba melliflua, scripturæ sacræ, fideiq; catholicæ referentur mysteria, enodentur apices, parabolæ pateant, similitudines innotescãt, hoc eorum testantur Epistolæ, sermones hoc edocent, libri efficaciùs hoc demonstrant.

Laudes D. Augustini.

§. 3. Hos inter celeberrimus idẽ Pontifex Augustinus, magnæ quidem auctoritatis, & sanctitatis Præsul, magnæ circumspectionis, & prouisionis Pater, magnæ subuentionis, & miserationis Antistes, dilectus itaque Deo, & hominibus, cuius memoria in benedictione est, veluti gẽmula carbunculi ignitæ charitatis, & flammæ, in eloquentiæ, & sapientiæ auri ornamento locata resplenduit; & velut Aquila grandis venit ad Libanum, & tulit medullam cedri, dũ aggressus est quæstiones altissimas, & easdem profundissimas non expauit, quinimmò in eis vitiorum spinis abscissis, profligatis hæresibus, earùmq; radicibus extirpatis, catholicæ fidei veritatem in lucem produxit, eduxit in publicum, firmis, ac inuictis rationibus solidauit, vt illius suauitatem dulcedinis, ac si medullam cedri in holocaustũ diuinæ maiestatis absumens, ad refectionem totius militantis Ecclesiæ propinaret. Grata itaque Deo eius oblatio, acceptum ipsius sacrificium nobis vtilissimum, quod impendit, quatenus de ipso non dubitatiuè, sed admiratiuè, & commendatiuè dicamus, Nunquid ingressus es profunda maris, & in nouissimis abyssi ambulasti? nunquid apertæ sunt tibi portæ mortis, & ostia tene-

tenebrosa vidisti? Habet ergo exinde vnde commendetur Augustinus ex scientia, commendetur ex labore, laudetur ex intentione, extollatur ex vita; nam cum viuendi normam sacræ religionis præscriberet, Præsul idem tanquàm forma gregis factus ex animo, nedum alijs prædicaret, ipse reprobus efficeretur, eandem in se non minùs seruare, quàm alijs imperare, quinimmò & illi supererogare fategit, vt diceret, Charitati vestræ de nobis ipsis sermo reddendus est.

§.4. Hæc dum Nos, qui (licèt immeriti) vices Dei, & Domini nostri Iesu Christi tenemus in terris, quibùsq; totius gregis Dominici cura ab ipso Domino in persona Beati Petri Principis Apostolorum, cuius successor existimus, commissa est, pia deuotione recolimus, & profunda meditatione pensamus, dignum arbitramur, & congruum, vt vbi tāti Doctoris corpus, & Præsulis tumulatum quiescere dicitur, ibi vltra id, quod sibi honoris, & laudis ab vniuersali exhibetur Ecclesia, singulari quadam reuerentia à vobis, & Fratribus Ordinis vestri, qui sub eiusdē Patris Regula degitis, & sancta obseruatione militatis, quìque diuinis insistitis laudibus, vacatis orationi, intēditis exhortationi, insudatis studio, & animarum saluti propensiùs inuigilatis, specialiter honoretur, quatenus inibi tāquàm membra suo capiti, filij patri, magistro discipuli, duci milites cohærentes Deo, & ipsi Sancto, auctoritate fulti Apostolica præcordialius iubiletis, vbi & Præceptoris vestri, Patris, Ducis, & Capitis Augustini noueritis reliquias fore sepultas.

Ratio ædificādi monasterium Papiæ.

Fratres tāquàm mēbra Augustino tāquàm capiti cohærent.

§.5. Eapropter ad honorē Sanctæ, ac indiuiduæ Trinitatis, Beatæ, & gloriosæ, sempèrq; Virginis Genitricis Dei Mariæ, Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius, ac eiusdē Beati Augustini Doctoris egregij, omniùmq; Sanctorum, necnon diuini cultus augmentum, de fratrum nostrorum consilio, auctoritate apostolica statuimus, ac etiam ordinamus, quòd Fratres vestri Ordinis, quibus præsit Prior secundùm obseruantiam ipsius Ordinis Eremitarū, iuxtà ecclesiam monasterij S. Petri in Cælo aureo Papiensis, cui præest Abbas, & Conuentus Canonicorum Regularium Ordinis B. Augustini prædicti degunt inibi sub eodem, etiam si ad Romanam Ecclesiā nullo pertineat mediante, vbi sacrum corpus eiusdem B. Augustini esse dicitur solemniter tumulatum, mediatè, vel immediatè, prout eisdem Priori, & Fratribus videbitur expedire, & commodè fieri poterit vsque ad vigesimumquintum, vel tricenum numerum ad minùs iuxtà subscriptam formam debeant insimul perpetuis futuris temporibus habitare; quòdq; vos dictos Fratres ibìdem vsque ad huiusmodi numerum teneamini deputare, quos (actore Deo) studeatis habere ætate maturos, literali scientia præditos, & honesta conuersatione decoros, remanētibus tamen dictis Abbate, & Conuentu Canonicorum, prout ipsi nunc sunt in monasterio prælibato, sicut infrà pleniùs est expressum.

Licētia ædificādi monasterium iuxta ecclesiam S. Petri in Cælo aureo.

Corpus D. Augustini in ecclesia S. Petri in Cælo aureo.

Debent Fratres esse ad numerū ad min⁹ triginta

Canonici debēt remanere sicuti fuerunt.

§.6. Sanè Fratrū habitatio prædictorum constituatur in loco decēti iuxtà ecclesiam monasterij antedicti, prout superiùs est expressum, & ab eorundem Abbatis, & Canonicorū

Habitatio distincta ab habitatione Canonicorum. habitationibus sit discreta, & taliter disponatur, quòd ipsi Fratres eandé ecclesiam dicti monasterij per aliam portam de nouo inibi faciendam li- *Noua porta pro Fratribus facienda.* berè ingredi, & egredi valeant; ac in eadem ecclesia cum dictis Abbate, & Canonicis, iuxtà modum designatum inferiùs in diuinis Officijs interesse, *Officia Diuina simul celebranda.* etiamsi dicta ecclesia existat, & huiusmodi habitatio ipsorum Fratrũ fuerit infrà spatium cannarum, infrà quòd ecclesiam, vel oratorium, seù locum religiosum, aut habitationem Religiosorum non debere construi, nonnullis Religiosis Mendicantium, & aliquorum aliorum Ordinum per speciale Apostolicæ Sedis priuilegiũ est indultum; talisq; super hoc prouisio habeatur, quòd dicti Abbas, & Canonici propter huiusmodi portã faciendam, & habitationem ipsorũ Fratrum (vt præmittitur) disponendam, nequeant in suis habitationibus impediri: sed habitationes dictorum Fratrum ab ipsorum Abbatis, & Canonicorum habitationibus sint discretæ, ac diuersis Refectorijs comedant, & Dormitorijs dormiant, hi, & illi, in suis Refectorijs, & Dormitorijs separatis.

§. 7. Dictam autem habitationẽ, & domos, Refectorium scilicèt, Dormitorium, Claustrum, Hortum, cum alijs Officinis debitis, & consuetis iuxtà morem dicti Ordinis Eremitarum, ijdem Fratres construi facient *Fabrica sumptibus proprijs à Fratribus facienda.* suis sumptibus, vel de eleemosynis fidelium absque onere ipsorum Abbatis, & Canonicorum, prout dictis Fratribus Dominus ministrabit; & prouideatur attentiùs in hac parte, quòd si fundus, vel solum, vbi dicti Fratres ædificare voluerint, sit aliquarum priuatarum personarum, vel dilectorum filiorum communis, seù Venerabilis fratris nostri Episcopi Papiensis, aut alterius ecclesiæ, dummodò aliquod aliud monasteriũ, vel ecclesia inibi non existat, illum, vel illud præfati Fratres ement, vel alijs *Fundus pro fabrica emend⁹.* iustis modis acquirent, & ibìdem ædificabunt suis sumptibus, vel de huiusmodi eleemosynis, prout superiùs est expressum.

§. 8. Si verò idem fundus, seù solum Abbatis, & Canonicorum existeret prædictorum, illum, vel illud nihilominùs dicti Fratres ement iusto pretio ab eisdem: Quòd si fortè Abbas, & Canonici antedicti prædictum fundum, seù solum pro iusto (vt præfertur) pretio nollent vendere Fratribus memoratis, eos ad id *Canonici ad fũdi venditionẽ compellendi.* monitione præmissa, per censuram ecclesiasticam, sublato appellationis obstaculo, auctoritate nostra decernimus compellendos.

§. 9. In diuinis autem Officijs, modum seruari volumus subsequentem, scilicèt, quòd cum tàm Canonici, quàm Fratres prædicti conformè diuinum Officium dicantur habere, ipsi Canonici, & Fratres insimul eisdem temporibus, locis, & horis pensum debitæ seruitutis Domino soluturi, conueniant in ecclesia memorata, *Officia diuina sunt simul per soluẽda.* ita quòd ab eis non diuersis, sed eisdem temporibus, locis, & horis, Horæ Canonicæ, & Missæ solemnes in dicta ecclesia celebrentur. Secretas autem Missas dicti Canonici, & Fratres legere poterunt, prout volent, honestate, decentia, & aptitudine loci, & temporis obseruatis.

§. 10. Volumus tamen, vt si altaria in dicto monasterio iam erecta, *Altariũ diuisio.* sint æqualia numero, eorum medietas

tas dictis Canonicis, & reliqua medietas eorundem eisdem Fratribus pro legendis Missis huiusmodi assignetur. Si verò existant inæqualia numero, maior pars eorum ad id deputetur Fratribus memoratis.

Præeminentia Abbatis in Missis solemnibus.

§. 11. Et quia idem Abbas antiquior in loco, & dignitate maior existit, Abbas qui est, & qui pro tempore fuerit, in celebrationibus Missarum, & prædicationibus, in Natalis Domini, & Epiphaniæ Dominicæ, in Ramis palmarum, Resurrectionis, & Ascensionis Dominicæ, Pentecostes, Natiuitatis B. Ioannis Baptistæ, in omnibus, & singulis Sãctorum Petri, & Pauli Apostolorum, Assumptionis, & omnibus alijs Beatæ Virginis, S. Augustini, Omnium Sanctorum, Consecrationis, seù Dedicationis ecclesiæ dicti monasterij, & in omnibus Sanctorum solemnioribus eiusdem monasterij festiuitatibus, quibus specialiter consueuit multitudo fidelium conuenire in ecclesia dicti monasterij, præferatur, vt Missam solemniorem celebrandam diebus huiusmodi, celebret, & in solemniori prædicatione ipsis etiam diebus prædicet, si hoc voluerit idẽ Abbas: Si autem celebrare, aut prædicare nequiuerit, vel noluerit ipse Abbas, loco eius (si tamen monasterium ipsum Priorem claustralem habeat) ipse Prior claustralis in huiusmodi celebratione, & prædicatione succedat. Quo siquidem Priore claustrali, si eum monasteriũ ipsum habeat (vt præfertur) celebrare, seù prædicare similiter non valente, vel nolente, tunc Prior eorundem Fratrum dicti loci, vel is, cui per Fratres ipsos, iuxtà morem eorum, hoc celebrationis, & prædicationis officiũ committetur, de ipsis Missæ celebratione, ac prædicatione disponat, prout eis videbitur faciendum.

§. 12. Alijs verò diebus tàm Dominicis, & festiuis, quàm etiam ferialibus, quotiescunque prædicari, necnon in antedictis festiuitatibus; siuè diebus solemnioribus, præterquàm in prædicatione solemniori, vt suprà exprimitur, si in eisdem festiuitatibus, seù solemnioribus diebus eadem forsan die pluries in eodem monasterio contingeret prædicari; prædicationes huiusmodi dicti Fratres, vel ille, cui hoc ipsi iuxtà morẽ huiusmodi committent, distribuent, & assignabunt etiã ipsi Abbati, prout eis videbitur expedire.

Locus insignior Abbatis, & Canonicorum.

§. 13. In sedendo verò in eadem ecclesia quibuscunque diebus, ipse Abbas solemniorem locum teneat, ipsiq; Canonici iuxtà eum.

Locus Abbatis in Processionibus.

§. 14. In processionibus autem dictus Abbas sit vltimus, ipsùmq; proximò præcedant Prior claustralis, & Canonici prælibati, seruatis tamen per eos, quoad alios viros ecclesiasticos, Religiosos, & seculares in incedendo, loco, & ordine hactenus per ipsos in processionibus consuetis: Præfati autem Fratres in incedendo in processionibus huiusmodi, antiquum locum, & ordinem suum seruent.

Missarũ distributio & ordinatio.

§. 15. De alijs insuper Missis cõuentualibus in dicta ecclesia celebrandis, taliter ordinamus, & volumus obseruari, quòd Abbas, Canonici, & Fratres prædicti diuidant, seù assignent inter sese iuxtà numerum personarum, sufficientiam, & expeditionem eorundem, qualiter aliquas Abbas (si ad hoc vacare voluerit) aliquas Canonici, & nonnullas Fratres

tres

tres prædicti Missas celebrent, & alia Officia, siuè per hebdomadas, seù singulis diebus, vel aliàs, prout expedientia exegerit, & decentia suaserit, partiantur.

§. 16. Volumus tamen, vt diuisio, & partitio huiusmodi, & Missarum celebrandarum, ac totius diuini Officij diurni, & nocturni assignatio, incipiendo tamen primò in Abbate, si (vt præmittitur) ad id vacare voluerit, & in Canonicis prælibatis, deinde ad Fratres perueniēdo prædictos, necnon pulsatio Campanarum ad diuina Officia viuorum, & mortuorum, & Horis canonicis ad eundem Priorem prædictorum Fratrum, vel ad illum, cui huiusmodi Officium diuisionis, partitionis, assignationis, & campanarum pulsationis iuxtà morem eorundem Fratrum commissum fuerit, debeat pertinere.

§. 17. Idem quoque volumus obseruari, si plures eadem die Missæ conuentuales in eadem ecclesia celebrentur, vtputà vna de die, & altera de Sancta Maria, & de Spiritu sancto, vel in similibus, aut pro viuis, vel defunctis; vt inter eosdem Abbatē, Canonicos, & Fratres, (sicut prætangitur) diuidantur, & etiam assignentur. Reseruata dictis Abbati, & Priori claustrali, si (vt supra dicitur) sit ibìdem, prærogatiua in celebratione solemnioris Missæ in festiuitatibus, siuè diebus solemnioribus supradictis, quemadmodum superiùs est expressum.

§. 18. Prohibemus autem, ne dicti Fratres de audiendis confessionibus parochianorum eiusdem ecclesiæ dicti monasterij, & de Sacramentis ecclesiasticis ministrandis, eisdem aliquatenus intromittant, nisi iuxtà formam Constitutionis fel. rec. Bonifacij Papæ Octaui prædecessoris nostri, super hoc, & certis alijs articulis editæ, ac per piæ memoriæ Clementem Papam Quintum prædecessorem nostrum innouatæ; necnō secundùm Constitutionem à Clemēte prædicto editam, ne Religiosi certa Sacramenta ecclesiastica Clericis, & laicis ministrare præsumant, sinè parochialis presbyteri licentia speciali, aut permissione iurium aliorum; sed ipsorum parochianorum confessiones audiant, & eis Sacramenta prædicta ministrent dicti Abbas, & Canonici, vel alij in dicto monasterio, vel alij, quibus hæc anteà competebant, prout iuris existit, & consueuerunt temporibus anteactis.

§. 19. De sepulturis verò defunctorum, qui sepelientur apud monasterium antedictum, & de funeralibus, quæ ratione corporum ipsorum defunctorum obueniunt, ex certis causis legitimis inter eosdem Abbatem, Canonicos, & Fratres, ad præsens non disponimus, nec etiam ordinamus; sed illorum dispositionem, & ordinationē, Nobis, & Sedi Apostolicæ in posterùm duximus reseruandas, nisi duntaxàt de parochianis antiquis ecclesiæ monasterij prælibati, qui sepelientur apud monasterium antedictum, de quorum funeralibus, & legatis, seù relictis, alijsque quibusuis oblationibus, & obuentionibus, quæ ratione corporum ipsorum parochianorum prouenerint, totum (vt est hactenus consuetum) cedat Abbati, & Canonicis memoratis. *Prouisio sepulturarũ, & funeralium.*

§. 20. Præterea ordinamus, & volumus, vt oblationes, quæ offerētur in altari, vel alibi in monasterio

prælí-

prælibato, in pecunia, pannis, & similibus, nisi offerentes expresse distinguant quid, quantumuè velint esse Abbatis, & Canonicorum, & quid, quantumvè Fratrum; sint cōmunes Abbati, & Canonicis, ac Fratribus antedictis, vt videlicet Abbas, & Canonici medietatem, & Fratres præfati reliquam medietatem oblationum habeant eorundem. Aliæ verò oblationes, quæ specialiter prædictis Abbati, & Canonicis à fidelibus datæ fuerint, cedant eis. Illæ autem huiusmodi oblationes, quæ similiter eisdem Fratribus à dictis fidelibus extiterint erogatæ, remaneant Fratribus memoratis.

§. 21. Ea tamen, quæ ad vsum altaris, vel ecclesiæ pro luminaribus, vel aliàs ad diuinum cultum donata fuerint à fidelibus prælibatis, in vsum huiusmodi, secundùm iuris exigentiam expendantur fideliter, & etiam conuertantur.

§. 22. Si autem super prædictis, vel aliquo, seù aliquibus eorundem, aut circa ea inter Abbatem, & Canonicos ex parte vna, & Fratres præfatos ex altera contigerit aliquam ambiguitatem oriri, eisdem Abbati, Canonicis, & Fratribus licentiam elargimur, vt super ijs inter sese possint, quòd eis videbitur expedire, salubriter ordinare, ac petere ordinationem huiusmodi à Sede prædicta vbi opus fuerit, confirmari.

§. 23. Licèt autem suprascripta, prout distinguuntur, duxerimus statuendá, ac etiam ordinanda, eàque velimus firmiter obseruari, nihilominùs tamen nostræ intentionis existit, & volumus, quòd prædictis Abbati, & Canonicis, eorùmq; successoribus in perpetuum inconcussa, & illibata permaneant, omnia, & singula priuilegia, indulgentiæ, exemptiones, libertates, immunitates, decimæ, prioratus, aliàq; membra, grangiæ, ecclesiæ, capellæ, castra, villæ, casalia, maneria, domus, terræ, vineæ, possessiones, prata, pascua, nemora, siluæ, stagna, lacus, molendina, decursus aquarum, aliàq; bona mobilia, & immobilia, iuspatronatus, ceteràq; iura, actiones, iurisdictiones ipsorum, ac dicti monasterij, in quibuscunque, & vbicunque consistant, & quibuscunque nominibus censeantur, vt ea omnia, & singula plenè, ac liberè habeant, ipsisq; gaudeant, & vtantur, prout ad ipsos pertinent, quibùsq; iustis modis, seù titulis, ac eis competit ex priuilegio, consuetudine, vel de iure: itaquòd nullum eis quoad præmissa priuilegia, & alia prænominata iura, & bona ipsorum, seù aliqua, vel aliquod eorundem, præiudicium generetur, vel obstaculum valeat quomodolibet interponi.

§. 24. Postremò per huiusmodi statutum, ordinationes, decretum; & voluntates, nostra, & alia, quæ in præsentibus inseruntur, non intendimus, vt dicti Fratres ipsi Abbati, Cōuentui, seù Canonicis sint subiecti, nec etiam è conuerso: sed Canonici præfati (prout modò) Abbati subsint eidem, & corrigantur, ac puniantur, vbi necesse fuerit, ab eodem, necnon obseruent suam Regulã, suàsq; honestas, & licitas consuetudines sicut priùs. Prædicti verò Fratres secundùm Regulam eorundem, ac priuilegia, & indulgentias dictæ Sedis ipsi Ordini Eremitarum indultã, suàsq; consuetudines, & constitutiones licitas, & honestas viuant, & à Prælatis corrigantur eorum, & puniantur,

niantur, prout opus fuerit, secundùm sui Ordinis disciplinam.

§. 25. Non obstantibus supradicto cannarum priuilegio, & quibuslibet alijs, per quæ statuti, ordinationis, decreti, & voluntatum nostrorum prædictorum executio impediri posset quomodolibet, vel differri, & de quibus plenam, & expressam oporteret in eisdem præsentibus fieri mentionem.

§. 26. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostrorū statuti, ordinationis, constitutionis, prohibitionis, reseruationis, concessionis, & voluntatum infringere, vel ei ausu temerario contraire: Siquis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum.

Datum Auenioni, decimotertio Calendas Februarij, Pontificatus nostri anno vndecimo.

IVLII SECVNDI.

Constit. I.

Ex Breue originali sub Anulo Piscatoris Romæ asseruato in Archiuo Ordinis, num. 1.

Summarium.

Fratres Germaniæ per vnionem factam Congregationi Lombardiæ ab obedientia Generalis non sunt exempti.

A tergo.

Dilecto filio moderno Priori Generali Ordinis Fratium Eremitarum S. Augustini.

IVLIVS PAPA SECVNDVS. 1506.

Dilecte fili Salutem, & Apostolicam benedictionem.

§. 1. NVper Nobis pro parte dilectorum filiorū Ioannis de Scantz Generalis, & Prouincialiū, Vicariorum, ac Diffinitorū vnionis regularis obseruantiæ Ordinis Fratrum Eremitarum S. Augustini per Alemaniam constitutorum exposito, quòd aliàs dictæ vnioni, & illius domibus, & locis, ac Fratribus in eis pro tempore degentibus multa priuilegia, & indulta tàm per diuersos Romanos Pontifices prædecessores nostros, quàm Imperatores, & Reges Romanos, & alios Principes seculares, ac etiam Generales dicti Ordinis concessa fuerant. Nos tūc eorūdem Ioannis Generalis, & Prouincialium, Vicariorum, Visitatorū, & Diffinitorum supplicationibus inclinati, prædicta, & quæcunque priuilegia, indulta, gratias, fauores, exemptiones, libertates, & indulgentias Fratribus Congregationis Lombardiæ eiusdem Ordinis per Sedem Apostolicam concessa, eorum tenores tunc expressis habentes, illa vnioni, & illius domibus, locis, & Fratribus cōcessa (quatenus essent in vsu) apostolica auctoritate per alias nostras literas approbauimus, & scripti nostri patrocinio communiuimus, ac omnia, & singula exéptiones, immunitates, libertates, facultates, indulgentias, gratias, priuilegia, concessiones, & indulta quæcunque, & qualiacunque essent, vnioni, & Congregationi, ac Ordini supradictis per eosdem Prædecessores quomodolibet forsan concessa ad alterutram ipsarum Congregationum, & earum Vica-

Vnioni Alemaniæ communicata priuilegia Cōgregationi Lōbardiæ.

Vicarios, Fratres, domos, & personas, ac bona, extendimus, illisq; (vt præfertur) concessa, & quæ eisdem vnioni, Congregationi, & Ordini in genere duntaxàt concederentur in posterum, vtramque ipsarum vnionis, & Congregationis, earùmq; Vicarios, Visitatores, Fratres, domos, personas, & loca absque vlla penitùs differentia, vti, potiri, & gaudere, eàq; omnia, & singula inter ipsos communia esse, & eis suffragari debere in omnibus, & per omnia, perinde ac si eisdem vnioni, & Congregationi communiter à principio concessa fuissent, & concederentur in futurum, prout in eisdem literis pleniùs continetur.

§. 2. Cum autem sicut Nobis nuper exponi fecisti, Congregatio prædicta Lombardiæ Sedi Apostolicæ immediatè subsit, & dicti Ioannes Vicarius generalis, & alij Prouinciales Vicarij, Visitatores, & Diffinitores dicti Ordinis, qui literas prædictas absque licentia, seù sciẽtia Protectoris, aut Prioris, seù Procuratoris Generalis dicti Ordinis impetrarunt, prætextu confirmationis, extensionis, & concessionis huiusmodi se à superioritate tua, & pro tempore existentis Prioris Generalis præfati Ordinis, & Sedi prædictæ immediatè se subiectos prætendant, quod si foret, in graue dispendium dicti Ordinis, tàm de obseruantia, quàm Conuentualium Fratrum dicti Ordinis, etiam in Alemania existentium, cederet, cum ipsi se à dicto Priore Generali totius Ordinis exemptos, & Sedi prædictæ subiectos prætendentes, reliquos Fratres fauore Principum secularium, & aliàs multipliciter molestarent. Pro parte tua Nobis fuit humiliter supplicatum, vt in præmissis oportunè prouidere paterna diligentia curaremus.

Litera Apostolicæ impetratæ sine licẽtia Protectoris, Generalis, vel Procuratoris Generalis, inualida.

§. 3. Nos igitur tuis in hac parte supplicationibus inclinati, auctoritate apostolica tenore præsentium decernimus, & declaramus per confirmationem, & approbationem, statutum, & exemptionem prædicta, & alia præmissa, eosdem Fratres dictæ vnionis per Alemaniam constitutos, ab obedientia, & superioritate, & subiectione dicti Prioris Generalis, & aliorum Priorum Generalium exemptos non fuisse, sed sub eisdem Prioribus, sub quibus priùs erant remansisse, & remanere in omnibus, & per omnia perinde ac si prædictæ literæ à Nobis non emanassent.

Nõ sunt exempti à iurisdictione Generalis.

§. 4. Quocirca Venerabili fratri Episcopo Caiacensi in Romana Curia residenti, & dilecto filio Cantori ecclesiæ Beatę Mariæ ad Gradus Maguntinensis per præsentes committimus, & mandamus, quatenus ipsi, vel eorum alter, per se, vel alium, seù alios, præsentes literas, & in illis cõtenta, vbi, quando, & quoties opus fuerit, ac pro parte tua, seù pro tempore existentis Prioris Generalis dicti Ordinis desuper requisiti fuerint, publicantes, ac tibi in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra, te, seù pro tempore existentem Priorem Generalem præfatum pacifica possessione, vel quasi decreti, & declarationis prædictorum gaudere; non permittentes te, seù pro tempore existentem Priorem Generalem prædictum per dictos Ioannem generalem, & alios Prouinciales Vicarios, Visitatores, & Diffinitores vnionis huiusmodi, seù quoscunque alios contra

Prior Generalis 1 suo possessu confirmandus.

contra decreti, & declarationis prædictorum tenorem quomodolibet molestari. Contradictores quoslibet, & rebelles per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita compescendo.

§. 5. Non obstantibus præmissis; ac fel. rec. Bonifacij Papæ Octaui prædecessoris nostri de vna, & Concilij generalis de duabus dietis, dummodò vltra tres dietas aliquis auctoritate præsentium non trahatur; & quibusuis alijs constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon dicti Ordinis, iuramento, confirmatione apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, ceterisq; contrarijs quibuscunque.

Datum Romæ apud S. Petrum, sub Anulo Piscatoris, die vigesima quarta Martij, Millesimo quingentesimo sexto; Pontificatus nostri anno tertio.

Constit. II.

Ex Breue originali, quod asseruatur Romæ in Archiuo Ordinis, nu. 2.

Summarium.

Bulla aurea, in qua priuilegia Ordini concessa confirmantur, & alia conceduntur.

1507. *IVLIVS EPISCOPVS Seruus Seruorum Dei.*

Ad perpetuam rei memoriam.

§. 1. DVm fructus vberes, quos sacer Ordo dilectorum filiorum Fratrum Eremitarum S. Augustini in agro militantis Ecclesiæ, in propagatione Religionis, & fidei Catholicæ defensione, & augmento produxit hactenus, & in futurum productum speramus, diligenter attendimus, dignum censemus, & congruum, vt circà ea, quæ ipsius Ordinis incrementum, illiùsq; professorum, ac aliarum personarum eiusdem Ordinis deuotarum animarum salutem concernunt, benignis fauoribus intendamus, & ad illius ecclesias, & pia loca deuotionis causa frequentanda Christifideles Indulgentijs, & remissionibus excitemus, ac aliàs in præmissis, prout in Domino salubriter expedire conspicimus, Apostolici fauoris præsidia salubriter impendamus.

§. 2. Sanè pro parte dilectorum filiorum Aegidij de Viterbio Prioris Generalis, & Fratrum dicti Ordinis Nobis nuper exhibita petitio continebat, quòd cum plurima priuilegia, immunitates, exemptiones, concessiones, & indulta, ac Indulgentiæ, aliæq; peccatorum remissiones diuersis modis dicto Ordini, illiùsque Fratribus per diuersos Romanos Pōtifices prædecessores nostros concessa fuerint, etiam per modum extensionis aliorum priuilegiorum, indulgentiarum, & indultorum alijs Ordinibus, etiam Mendicantibus concessorum, ad ipsum Ordinem Fratrū Eremitarum, & communicationis eorum ipso Ordini Fratrum Eremitarum, & illius personis, ac si eidem Ordini Fratrum Eremitarum specialiter concessa fuissent; habeàntque etiam nonnullæ Congregationes, & nonnulla alia loca dicti Ordinis Fratrum Eremitarum plura priuilegia, immunitates, indulgentias, & indulta eis etiā per dictos Romanos Pontifices prædecessores nostros specia-

liter concessa, ita vt membra dicti Ordinis maioribus priuilegijs communita videantur, quàm ipse totus Ordo Fratrum Eremitarum; pro parte Ægidij Prioris, & Fratrum Eremitarum prædictorum Nobis fuit humiliter supplicatum, vt omnibus, & singulis priuilegijs, immunitatibus, exemptionibus, concessionibus, indultis, & indulgentijs, ac peccatorum remissionibus quocunque nomine nuncupatis, & sub quibuscunque tenoribus eidem Ordini Fratrū Eremitarum, illiùsque Fratribus in genere quomodolibet concessis, robur apostolicæ confirmationis adijcere, ac singula priuilegia, immunitates, exemptiones, concessiones, indulgentias, peccatorū remissiones, & indulta quæcunque, quibusuis Congregationibus, seù Societatibus, aut alijs locis, & illorum personis dicti Ordinis Fratrum Eremitarum, etiam regularis obseruantiæ nuncupatis, generaliter concessa, ad ipsum Ordinem Fratrum Eremitarum, & illius personas extendere, aliàsque in præmissis opportunè prouidere de benignitate Apostolica dignaremur.

Priuilegiorum cōfirmatio amplissima

§. 3. Nos igitur, qui Ordinem prædictum, qui tanquàm candelabrum perlucidum in ipsa militanti Ecclesia prælucet, in sinu dilectionis nostræ confouemus, ac eiusdem Ordinis felicia synceris affectibus desideramus incremēta, huiusmodi supplicationibus inclinati, omnia, & singula priuilegia, immunitates, exemptiones, concessiones, indulta, & indulgentias, ac peccatorum remissiones quocunque nomine nuncupata, & sub quibuscunque tenoribus eidē Ordini Fratrum Eremitarum, illiùsq; Fratribus in genere quomodolibet, etiam per modum extensionis aliorū priuilegiorum ad ipsum Ordinem Fratrum Eremitarum, seù communicationis eidem Ordini Fratrum Eremitarum concessa, quorum tenores ac si de verbo ad verbum insererentur præsentibus pro expressis haberi volumus, auctoritate apostolica tenore præsentium approbamus, ac perpetuæ firmitatis robur obtinere debere decernimus; singulaq; priuilegia, immunitates, exēptiones, concessiones, indulgentias, peccatorum remissiones, & indulta quæcunque quibusuis Cōgregationibus, seù Societatibus, aut alijs locis, & illorum personis dicti Ordinis Fratrum Eremitarum regularis obseruantiæ nuncupatis, generaliter concessa, ad ipsum Ordinem Fratrum Eremitarum, & illius personas, ac si illis specialiter concessa fuissent, eadem auctoritate extendimus, & illis communicamus.

Communicatio priuilegiorum aliorum Ordinū.

§. 4. Et nihilominus, vt Fratres dicti Ordinis Fratrum Eremitarum huiusmodi animarum suarum salutem (Deo propitio) consequi valeant, ipsis Fratribus Ordinis Eremitarum, nunc, & pro tempore existentibus, vt Confessorem idoneum regularem dicti Ordinis Fratrū Eremitarum, quem ipsi Fratres, & eorū quilibet de licētia Superioris sui duxerit eligendum, qui ipsos Fratres, & eorum quemlibet ab eorum excessibus, & delictis absoluere, & eis pro commissis pœnitentiam salutarem iniungere, ac semel in vita, & mortis articulo plenariam omnium peccatorum suorum remissionem elargiri possit, auctoritate prædicta concedimus, & indulgemus.

Absolui possunt Fratres à suis Cōfessoribus.

Indulgentiam plenariam in vita semel, & in morte cōcedūt Confessores.

S §. 5.

§. 5. Et vt ecclesiæ, & oratorij dicti Ordinis Fratrum Eremitarum à Christifidelibus frequententur, & Christifideles eò libentiùs deuotionis causa ad ecclesias, & oratoria huiusmodi confluant, quò ex hoc ibidem dono cælestis gratiæ vberiùs conspexerint se refectos, de Omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorũ eius auctoritate confisi, omnibus, & singulis Christifidelibus verè pœnitentibus, & confessis, qui ecclesias, oratoria, & loca dicti Ordinis Fratrum Eremitarum in singulis S. Augustini, & Nicolai de Tolentino, ac Sanctæ Monicæ festiuitatum diebus à primis Vesperis, vsque ad secundas Vesperas festiuitatum earundem inclusiuè deuotè visitauerint, & inibi manus adiutrices porrexerint, centum annos, & totidem quadragenas de iniunctis eis pœnitentijs misericorditer in Domino relaxamus.

§. 6. Huiusmodiq; priuilegia, immunitates, exemptiones, concessiones, indulgentias, remissiones, & indulta eidem Ordini Fratrum Eremitarum, & illius personis (vt præfertur) concessa, & ad illum, & illas extensa, seù illis communicata, Monialibus dicti Ordinis S. Augustini, seù sub cura dictorum Fratrũ dicti Ordinis Eremitarum viuentibus, & quæ (vt asseritur) mantellum nigrum, & corrigiam ad instar Fratrum dicti Ordinis deferunt, Mãtellatis, & Corrigiatis nuncupatis mulieribus, quoad ea, quæ animarum salutem ipsarũ Mantellatarum, & Corrigiatarum duntaxàt concernunt, & eorum sexui conueniunt, suffragari debere decernimus: illàsq; Moniales, & quoad ea, quæ huiusmodi animæ salutem, & sexum concernunt, Mantellatas, & Corrigiatas, & earũ singulas eadẽ auctoritate extẽdimus, & prorogamus.

Priuilegia communicãtur Monialibus sub cura Ordinis degentibus.

§. 7. Ipsisque Fratribus Ordinis Eremitarum, nunc & pro tempore existentibus, quæcunque loca pro vsu, & habitatione perpetuis Fratrũ Ordinis Eremitarum huiusmodi, eis pro tempore oblata, vel concessa de licentia Ordinariorum locorum absque alia licentia Sedis Apostolicæ desuper obtenta, recipiendi.

Possunt recipi loca cum sola licẽtia Ordinarij.

§. 8. Necnon præfato Aegidio Priori Generali, vestes, corporalia, & indumenta quæcunque pro diuino cultu in locis dicti Ordinis, & pro ipso Ordine Fratrum Eremitarum necessaria, seù oportuna dũtaxat, benedicendi, licentiam, & facultatem dicta auctoritate apostolica earundem præsentium tenore concedimus.

§. 9. Et vt omnis materia vagãdi Fratribus dicti Ordinis Eremitarum auferatur, singulis Fratribus eiusdem Ordinis Eremitarum districtius inhibemus, ne absque licentia præfati Aegidij, & pro tempore existentis Prioris Generalis dicti Ordinis Fratrum Eremitarum, ad alium Ordinẽ quemcunque, etiam Mendicantium, etiam prætextu arctioris Regulæ, transire præsumant, nisi verè, & effectualiter ad arctiorem Regulam trãsiuerint, & in ea perseuerauerint, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, quam tàm ipsi transeuntes, quàm recipientes ipso facto incurrant.

§. 10. Non obstantibus fel. rec. Bonifacij Papæ Octaui etiam prædecessoris nostri, inter alia prohibentis, ne quiuis Ordinum Mendicantium Fratres loca ad inhabitandũ de nouo recipere præsumant absque Sedis Apo-

Apoſtolicæ licentia ſpeciali, facien-te plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de prohibitione huiuſmodi mentionẽ: & quibuſlibet alijs conſtitutionibus, & ordinationibus apoſtolicis, ac dicti Ordinis Fratrum Eremitarum iuramento, confirmatione apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, ceteriſq; contrarijs quibuſcunque.

§. 11. Volumus autem, quòd ſi eccleſias, oratoria, & loca Ordinis Fratrum Eremitarum huiuſmodi viſitantibus, & inibi manus adiutrices porrigentibus, ſeù inibi pias eleemoſynas erogantibus, aut aliàs aliqua alia indulgentia in perpetuum, vel ad certum tempus nõdum elapſum duratura, per Nos conceſſa fuerit, præſentes literæ quoad indulgentiam centum annorum huiuſmodi duntaxàt, nullius ſint roboris, vel momẽti.

§. 12. Ceterùm quia difficile foret præſentes literas ad ſingula loca, vbi neceſſe fuerit, deferre, volumus, & eadem auctoritate apoſtolica decernimus, quòd tranſumptis præſentium literarum, manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo alicuius Prælati eccleſiaſtici, ſeù Curiæ eccleſiaſticæ munitis, eadem fides tàm in iudicio, quàm extra illud adhibeatur, quæ ipſis originalibus literis adhiberetur ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

§. 13. Nulli ergo omninò hominũ liceat hanc paginam noſtræ voluntatis, approbationis, extenſionis, cõmunicationis, conceſſionis, indulti, relaxationis, prorogationis, inhibitionis, & conſtitutionis infringere, vel ei auſu temerario contraire: Si quis autẽ hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorũ Petri, & Pauli Apoſtolorũ eius ſe nouerit incurſurum.

Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo quingenteſimo ſeptimo, ſeptimo Calendas Iulij, Pontificatus noſtri anno quarto.

Conſtit. III.

Ex Breue originali, quod Romæ aſſeruatur in Archiuo Ordinis. nu. 3.

Summarium.

Declaratur præcedens Conſtitutio Bullæ Aureæ; & poſſumus noua loca recipere non obſtante Conſtitutione Bonifacij Octaui; & alia quædam priuilegia conceduntur.

A tergo.

Dilecto filio Aegidio Viterbienſi totius Ordinis Fratrum Eremitarum S. Auguſtini Priori Generali.

IVLIVS PAPA SECVNDVS. *1508.*

Dilecte fili Salutem, & Apoſtolicam benedictionem.

§. 1. ETſi ad benemerendum cùm de vniuerſi Religione, tùm præcipuè de Auguſtiniana, cui tu præes, propenſi magnopere ſumus; libellus tamen, quem de Eccleſiæ incremento edidiſti, fecit Nos ad res vel tuas, vel tui Ordinis longè propenſiores. *Ægidius Viterbienſis edidit libellũ de incremẽto Eccleſiæ.*

§. 2. Cum igitur ſuperiore anno per noſtras literas quædam Religioni tuæ conceſſerimus, inter quæ id erat, vt loca oblata, tu, Fratrèſq; tui, tàm qui ſunt, quàm qui erunt, capere pro Religione poſſitis. Nunc per

has noftras ea, quæ conceffimus clariùs declaranda effe duximus, eandèmq; locorum fufcipiendorum facultatem, ad alia quæcunque loca, domos, ecclefias, etiam parochiales, ac cuiufcunque fint Ordinis, aut conditionis, fufcipiendas extendimus; damùsq; proprio tàm motu, quàm fcientia, atque de plenitudine poteftatis, vt hæc omnia capere poffitis, facta vobis poteftate, tàm per literas, quas fupra memorauimus, quàm per harum conceffionem, declaratiònèmq; literarum. Licere igitur vobis perpetuò decernimus hæc omnia poffe capere abfque alia Sedis Apoftolicæ conceffione. Non obftante piæ memoriæ Bonifacij Octaui conftitutione, prohibente noua loca ædificari.

Loca, domos, & ecclefias poffumus recipere non obftante conftit. Bonifacij Octaui.

§. 3. Confirmauimus etiam priuilegia Religionis veftræ per eafdem literas, quod planè tàm de ijs omnibus intelligimus, quæ veftrum Mare magnum continet, quàm de alijs omnibus apoftolicis conceffionibus, quarum apud vos, aut Apoftolicæ literæ, aut illarum authentica exempla feruantur.

Priuilegia confirmantur in Mare magno contēta.

§. 4. Confirmamus & priuilegiorum communionem, quam fel. rec. Sixtus prædeceffor nofter fecit inter vos, Mendicantèsq; alios.

Communicātur priuilegia.

§. 5. Decernimùfque, ac volumus quidquid vfque in hunc diem Ordini Minorum, aut Prædicatorū, aut Carmelitarum, aut Seruorum conceffum ab Apoftolica Sede eft, & quidquid in futurum concedetur; vobis conceffum effe, Fratrèsq; tuos eifdem conceffionibus perpetuò vti poffe, perinde ac fi vobis nominatim conceffa effent.

§. 6. Dedimus præterea tibi poteftatem facrandi, benedicendìq; corporalia, veftes, & ea, quæ facris vfibus neceffaria funt. Quo quidē munere tàm te, quàm qui pro tempore erunt aut Generalis, aut Vicarius fungi poffe decernimus.

Facultas benedicendi veftes, & corporalia.

§. 7. Vt verò exeuntium ab Ordine tuo motibus occurramus, confirmamus in primis fel. rec. Martini prædecefforis noftri decretum, vt nemo è tuo Ordine ad aliquem aliorum Ordinū occafione arctioris Regulæ tranfire poffit. Volumùsq; vt quifquis in tua Religione fiuè profeffus, fiuè ad facros Ordines promotus in ea fuerit (quam rem profeffionis loco & effe, & haberi ftatuimus) habitū dicti Ordinis relinquere, aut mutare nulla auctoritate poffit, nifi miffionem, literàsq; à Generali Ordinis obtinuerit. Quod tàm de ijs, qui hactenus exierint, intelligi volumus, quàm de ijs, qui in pofterum exituri funt, etiamfi apoftolicas literas obtinuerint.

Ad alienas Religiones trāfitus prohibetur.

§. 8. Ne verò proteruis relinquatur litigandi, repugnandivè locus; fi quis eorum exeuntiū caufam in Romana Curia fuper ea re hactenus cōmitti obtinuerit, aut in pofterum obtinebit, vbi ad inhibendum, aut alia eiufmodi agendum itum fuerit, motu, fcientia, poteftate prædictis, lites huiufmodi ad Nos aduocamus, atque omninò extinguimus: Statuentes æque valere hoc decretū noftrū, ac fi Iudicum nomina, ac alia omnia, quæ fupra commemorata funt, hìc fatis expreffa effent, etiamfi facri Palatij Apoftolici caufarum Auditores exifterent. Volumùsq; vt quidquid fuper hac re fiat, etiamfi caufam aut Nos, aut Apoftolica commiferit Sedes, pro infecto omninò haberi.

Irritum

Irritum præterea eſſe, atque inane quidquid ſuper his apoſtolica, ſiuè alia quauis auctoritate ſecùs contigerit aut agi, aut attentari. Fratres verò, qui ita exierint, quocunque induti habitu ſint, mandamus, vt capi cures, ad Religionèmq; veſtram redire, quacunque ratione poteris, compellas.

§. 9. Denique fidē adhiberi mandamus non modò noſtris his literis, verùm etiam & earum exemplis; modò Prælati, aut Notarij alicuius ſigno obſignatæ fuerint.

Datum Romæ apud S. Petrum, ſub Anulo Piſcatoris, die decima ſeptima Iunij, Milleſimo quingenteſimo octauo, Pontificatus noſtri anno quinto.

Conſtit. IV.

Ex Breue originali, aſſeruato Romæ in Archiuo Ordinis. num. 4.

Summarium.

Indulgentiæ conceſſæ Fratribus, etiam conceſſæ intelliguntur Monialibus, & Mantellatis: & occupantes bona Ordinis, ſi à Fratribus moniti, per triduum non reſtituant, excommunicati ſunt.

A tergo.

Dilecto filio fratri Aegidio de Viterbio ſacræ Theologiæ profeſſori Ordinis Eremitarum S. Auguſtini Priori Generali.

1508. *IVLIVS PAPA SECVNDVS.*

Dilecte fili Salutem, & Apoſtolicam benedictionem.

§. 1. Nihil eſt quod ſæpiùs voluamus animo, quā vt multorum ſaluti conſulamus. Cū ergo Religioni tuæ Eremitarū Sancti Auguſtini multa tua cauſa conceſſerimus, ac optemus, vt quæ ſpiritualia ſunt, per multorum fideliū mentes quàm cumulatiſſimè diffundantur.

§. 2. Idcirco ſtatuimus, vt quidquid indulgentiarum, & gratiæ Fratribus, Monialibus, Mantellatis, Corrigiatis conceſſum eſt, id omne vtrique ſexui conceſſum intelligi, viris ſcilicèt, atque mulieribus; modò à Generali, vel Priore, vel Rectore alicuius loci Ordinis, auctoritate gratiæ aſſequendæ, facultatem obtinuerint.

§. 3. Et quoniam omnes tui Ordinis, tàm res, quàm perſonas immediatè ſub Apoſtolica Sede eſſe volumus; idcircò mandamus omnibus Chriſtifidelibus, vt nemo bona Ordinis veſtri, vel occupare, vel vexare audeat, quòd tàm de perſonis prædictis, quàm de locis, Conuentibus, poſſeſſionibus, alijsq; quibuſcūque rebus, ad loca, perſonaſvè pertinentibus, intelligi volumus, ſiuè pecunia, ſiuè mobilia, ſiuè immobilia ea ſint. Et ſi vel occupantes, vel vexantes à Fratribus tuis moniti, nō integrè per tridui ſpatium omnia reſtituerint, aut vexare omninò deſtiterint, excommunicationis nodos incurrere, à qua abſolui, niſi à Sede Apoſtolica, & in mortis articulo non poſſint. Qua excommunicatione etiam Confratres ſocietatis Sanctæ Crucis de Neapoli ſint irretiti. Fidèmq; facimus, quòd omnes eleemoſynas Sanctæ Mariæ de la Bruna, factas Romæ, ſuperiore menſe Maio abſtulimus, tibìq; pro eccleſia Sācti Auguſtini de Neapoli donauimus,

Occupātes bona & vexātes perſonas per triduū admoniti non ceſſantes ſunt excommunicati.

vbi imaginis illius locus est. Mandamus itaque tàm ipsis, quàm quibusuis eleemosynarum illarum occupatoribus, vt nisi per tridui spatiũ integrè omnia restituerint, pœnam prædictam incurrant. Restitui verò illa præcipimus, aut tibi, aut cui tu iusseris pro ædificio Chori, aut quod tu dijudicaueris in ecclesia, & monasterio S. Augustini de Neapoli.

§. 4. Prætereà, vt omnia quàm firmissima sint, quæ vobis Apostolica Sedes elargita est, proprio & motu, & scientia, atque de plenitudine potestatis, volumus, statuimus, decernimus, vt hæc nostra concessio, & quæcunque alia, vel tibi, vel tuo Ordini facta, siuè per se, siuè per communionem, quam fecimus cum alijs Ordinibus, & Congregationibus, eandem omnino vim, atque efficaciam perpetuò habeant tàm in iudicio, quàm extrà iudicium, ac si plumbeo sigillo obsignata essent; quod intelligi volumus, tàm de his, quæ in forma Breuis, quàm de his, quæ per supplicationes expedita sunt, in quibus placuit vt sola signatura sufficeret.

Omnia priuilegia, & cõcessiones etiã per simplicẽ signaturã supplicationibus signatis confirmantur.

§. 5. Quamobrem tàm omnibus præmissis, quàm quæcunque alia fuerunt tuo Ordini vtcunque concessa, siuè ipsa exemplaria, siuè eorũ transumpta ostendantur, Prælati alicuius, aut publici Notarij manu signata, aut etiam Generalis Ordinis sigillo firmata; eodem motu, scientia, & potestate decernimus, mandamúsq; eandem omnino & vim esse, & fidem adhibere, ac si plumbi signum haberent.

Generalis cõfirmatio validat trãsumpta.

§. 6. Quòd siquis huic nostro decreto, ac concessioni, aut cuiquam aliarum, quæ tuo Ordini vtcunque factæ sunt, contraire, aut minùs integre cedere, & parere ausus sit; volumus, vt eandem pœnam incurrat: irritum, cassum, atque inane facientes quidquid contra hanc concessionem, aut contra quamcunque aliam vtcunque tuo Ordini factam, etiam quidquid aduersus leges, aut Regulam, aut constitutiones, aut diffinitiones, aut mores Ordinis tui, siuè à Fratribus, siuè à Congregationibus, siuè à secularibus, siuè ab ecclesiasticis personis, vel in hunc vsque diem, vel in posterum impetratum, vel attentatum fuerit, etiã siquid ab Apostolica Sede expresse contra hoc quidquam concessum fuerit. Quod omne nullius momenti, & pro infecto haberi volumus, nisi his nostris literis non per generales clausulas, sed de verbo ad verbum, Ordine consentiente, derogatum fuerit.

Impetrationes à Sede Apostolica impetrata cõtra præmissa annullantur.

§. 7. Non obstantibus præmissis, aut apostolicis priuilegijs, literis aut apostolicis, alijsq; quibuscunque in contrarium facientibus, siuè à Sede Apostolica, siuè à quocunque alia quauis dignitate prædito, concessis hactenus, aut in posterum concedẽdis; quibus etiamsi expressa, ac de verbo ad verbum, aut quocunque alio modo, mentio fieri deberet, ea omnia in præsentibus pro expressis in specie habentes, in specie, expresséq; derogamus, ac quatenus contraria sint, nullius omninò momenti esse volumus. Quòd siquis his fidẽ non adhibuerit, aut non plenissimè acquieuerit, pœnam subeat, quam supra constituimus.

Datum Romæ apud S. Petrũ, sub Anulo Piscatoris, die xxiv. Septembris, Millesimo quingentesimo octauo, Pontificatus nostri anno quinto.

Con-

Conſtit. V.

Ex Breue originali, aſſeruato Romæ in Archiuo Ordinis. num. 5.

Summarium.

Omnia priuilegia aliorum Ordinum noſtro Ordini communicãtur; & in priſtinum reſtituuntur ea, à quorum iure cecidimus; & irritantur impetrationes Sedis Apoſtolicæ ſine conſenſu expreſſo Prioris Generalis.

IVLIVS PAPA SECVNDVS.

Vniuerſis, & ſingulis Fratribus Ordinis Fratrum Eremitarum S. Auguſtini Salutem, & Apoſtolicam benedictionem.

§. 1. RElígionem veſtrã multis gratijs à Sũmis Pontificibus prædeceſſoribus noſtris donatam, à Nobis quoque, & defendendam, & augendam eſſe exiſtimauimus.

§. 2. Decernimus itaque primò communicationem priuilegiorum aliorum Mendicantium Ordinum, ad ea etiam extendi, quæ viuæ vocis oraculo ab illis impetrata, aut eis in genere donata ſunt, volẽtes vt quidquid alicui eorundem, & hoc modo, aut quouis alio conceſſum eſt hactenus, aut in poſterum concedetur, ſiuè Conuentualibus, ſiuè Obſeruantibus nuncupatis, id omne motu proprio, & certa ſcientia vobis eſſe conceſſum.

§. 3. Deinde loca omnia, domos, templa, agros, fructus, & ſingulas denique res, ac earum iura, tàm à Sede Apoſtolica, quàm à quibuſuis Chriſtifidelibus quomodolibet conceſſa, ſiuè induſtria, & veſtro labore parta fuerint, vti hactenus iuſtè, & pacificè poſſediſtis, ita in futurum poſſideatis, eiſdem motu, & ſcientia concedimus, & confirmamus.

§. 4. Addentes, quòd ſi vlla earum rerum ſub certa conditione vobis conceſſa ſit, ob cuius non obſeruationem, à iure, quod in illis vobis competebat, iam cecideritis, vos in eo ſtatu eſſe, in quo eratis, antequàm à veſtro iure cecidiſſetis, reſtituimus, & motu proprio, certa ſcientia, ac de poteſtatis plenitudine, plenariè reintegramus, ſingulis conditionibus illis non obſtantibus, quibus auctoritate præfata ſpecialiter, & expreſsè derogamus. *Relicta nobis ſub conditione ob non obſeruãtiam ſi ceciderimus, cõfirmantur, clauſulis illis, non obſtantibus.*

§. 5. Et inſuper ſtatuimus quaſcunque de domibus veſtris, ac rebus alijs hactenus factas impetrationes, ac quas in poſterum ſub quibuſcunque verborum formis, & clauſulis, etiam derogatoriarum derogatorijs, & alijs fortioribus, efficacioribus, & inſolitis fieri contigerit, niſi in huiuſmodi faciendis impetrationibus Generalis, & Prouincialis Priorum dicti Ordinis pro tempore exiſtentiũ ex præmiſſis acceſſerit aſſenſus, nullum robur omninò obtinere debere, immò prorſus præfatis motu, & poteſtate extinguimus, caſſamus, & annullamus, ac pro nullis, & infectis haberi volumus, decernimus, & declaramus quotièsq; contigerit huiuſmodi fieri impetrationes, toties de nouo inanes, & irritas illas eſſe volumus. *Irritãtur impetrationes oẽs à Sede Apoſtolica obtẽtæ niſi appareat cõſenſus Generalis, vel Procuratoris generalis.*

§. 6. Et quia contingere poſſet, quòd ſuper præfatis aut ratione conceſſionis, aut ratione non obſeruationis certæ conditionis (vt præfertur) lites aliquæ, tàm ſuper proprietate, quàm poſſeſſorio, vel aliquo prætenſo ſpolio, quoquo modo vobis

bis illatæ, & motæ fuiſſent, prout de præſenti per Siluium Thomaſiũ pro Clerico ſe gerentem ſuper Sanctæ Luciæ Vallis Roſiæ, ac Monticuli, & Sanctæ Mariæ de Gripta Volterranæ, & Senenſis Diœceſis, domibus veſtris, & illarum poſſeſſionibus, ac fructibus motæ ſunt: eas omnes, & eam præcipuè, quam inter vos, & dictum Siluium ſuper dictis domibus, ac fructibus Sanctæ Luciæ Monticuli, & Sanctæ Mariæ de Gripta præfatis, coram dilecto filio Ioanne Vannullio Capellano noſtro, & cauſarum Palatij Auditore, ſiuè Vicario Epiſcopi Volterrani, aut alio quocunque Iudice, quorum nomina, & cognomina pro expreſſis habentes, indeciſam pendere percepimus, in quacunque inſtantia exiſtant, quarum ſtatus, & merita præſentibus pro expreſſis habentes, motu proprio, ex certa noſtra ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, ſublata illis, aut eorũ cuilibet poteſtate ſuper his decernendi, harum ſerie ad Nos aduocamus, & extinguimus: ac præfato Siluio, & alijs quibuſcunque quacũque dignitate, & præeminentia præditis, motu, & ſcientia, & poteſtate ſimilibus, perpetuum ſilentium imponimus: cum noſtræ intentionis, & firmi propoſiti ſemper fuerit, & ſit, pro conſeruatione, & augmento Religionis, monaſteria, & loca dicto Ordini ab olim conceſſa, præſertim antiquiora, qualia præmiſſa aſſeruntur à dicta Congregatione Eremitarum S. Auguſtini, & ab eius Ordine non debere diſmembrari, vel auferri, præſertim à perſonis diuerſæ Religionis, vel presbyteris, ſeù clericis ſecularibus: impetrationèſq; de illis quomodolibet, & qualitercunque, etiam motu proprio factas, non tenere, nulliùſq; eſſe roboris, vel momenti, prout per præſentes noſtras atteſtamur, & declaramus, dictáſq; impetrationes per inaduertentiam, & præter mentem noſtram, & voluntatem conceſſas.

§. 7. Volumus denique, & ſtatuimus, vt quæ Ordini veſtro tempore generalis interdicti conceſſa ſunt, ea omnia in ſpeciali interdicto conceſſa eſſe, in quo licere vobis volumus eadem omnia, quæ in generali licere actum eſt.

§. 8. Et quia contingere poſſet, vos, ac veſtrum quemlibet ratione conſtitutionis fel. rec. Bonifacij Papæ Octaui prædeceſſoris noſtri, aut ex quacunque alia cauſa excommunicationis ſententiam incurriſſe, aut irregularitatem contraxiſſe, præfatas domos retinendo; idcircò ab ipſis omnibus abſoluimus, & abſolutos eſſe decernimus.

§. 9. Harum autẽ literarum tranſumptis (ſi ſigillo Religionis ſignentur) non minorem fidem haberi volumus, quàm ſi præſentes eſſent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud S. Petrum, ſub Anulo Piſcatoris, die trigeſima Iunij, Milleſimo quingẽteſimo octauo, Pontificatus noſtri anno ſexto.

Conſtit. VI.

Ex Breue originali, aſſeruato Romæ in Archiuo Ordinis. num. 6.

Summarium.

Confirmantur omnes Indulgentiæ, quæ tamen non ſunt prædicandæ quandiù durant Indulgentiæ fabricæ Sancti Petri.

A ter-

A tergo.

Dilecto filio Fratri Ægidio de Viterbio sacræ Theologiæ professori, Fratrum Eremitarum S. Augustini Generali Magistro.

1511. *IVLIVS PAPA SECVNDVS.*

Dilecte fili Salutem, & Apostolicam benedictionem.

§. 1. EXigit tua in Nos, & hanc sanctam Apostolicam Sedem fidei, & deuotionis synceritas, doctrinàque, & probitas singularis, vt te specialibus gratijs, & fauoribus prosequamur.

§. 2. Quocircà omnes, & singulas gratias, indulgentias, & facultates, tibi, & Ordini antedicto, Fratribùsq; in eodem Ordine Altissimo famulantibus, in genere, vel in specie concessas, tenore præsentium auctoritate apostolica confirmamus.

Indulgentiæ Ordinis confirmantur

§. 3. Volumùsque, & concedimus, vt transumptis literarum Apostolicarum, tàm sub Bulla plumbea, quàm sub Anulo Piscatoris, super huiusmodi gratijs, & indulgentijs confectarum, manu publici Notarij subscriptis, vel alicuius Prælati ecclesiastici sigillo munitis, ea prorsus fides in iudicio, & extrà adhibeatur, quæ originalibus earum adhiberetur, si essent exhibitæ, vel ostensæ.

Nō sunt publicādæ tēpore quo durant indulgētiæ fabricæ S. Petri.

§. 4. Sub excommunicationis tamen sententiæ pœna inhibemus; ne indulgentiæ (vt præfertur) Ordini, & Fratribus antedictis concessæ, alicubi prædicentur, vel publicentur, durante suspensione indulgentiarū pro fabrica Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe, per Nos factæ, & faciendæ. literis antedictis, ceterìsq; in contrarium facientibus non obstantibus quibuscunque.

Datum Romæ apud S. Petrum, sub Anulo Piscatoris die vigesima prima Iulij, Millesimo quingentesimo vndecimo, Pontificatus nostri anno octauo.

Constit. VII.

Ex Breue originali asseruato Romæ in Archiuo Ordinis. num. 7.

Summarium.

Per Indulgentias fabricæ S. Petri non sunt suspensæ Indulgentiæ Fratribus, Monialibus, & Mantellatis Ordinis concessæ.

A tergo.

Dilecto filio Fratri Aegidio de Viterbio sacræ Theologiæ professori, totius Ordinis Fratrum Eremitarum S. Augustini Generali Ministro.

IVLIVS PAPA SECVNDVS.

Dilecte fili Salutem, & Apostolicam benedictionem.

§. 1. PRæ ceteris curis, quæ permultæ sunt, de mandato tibi officio incumbentibus, hæc vna potissima est, Deòq; Saluatori nostro, ac Diuo Augustino Ordinis tibi commissi Institutori acceptior, vt Fratres sub illius Regula, & habitu Altissimo famulantes, eiusdem Ordinis instituta obseruent: quod etsi credimus tua solerti opera, ac studio illos id facere, tèq; ad id plurimum intendere; considerantes tamen ob singularem deuotionis affectum, quem ad Ordinem ipsum gerimus, quòd tu Ordinem ipsum, ac illius

illius Fratres, ad benefaciendum, perſeuerandùmq; in lege Domini, & obſeruatione Conſtitutionum, & Regulæ eiuſdem Ordinis, eò poteris reddere obſequentiores, ac feruentiores, quò Nos Ordinem ipſum, ac illius Fratres, domos, ac loca vberioris dono gratiæ fuerimus proſecuti.

§. 2. Idcirco motu proprio, & ex noſtra certa ſcientia; quia à vobis, & forſan ab alijs hæſitari poſſet, an propter literarum indulgentiarum pro fabrica Beati Petri Principis Apoſtolorum de Vrbe per Nos factam conceſſionem, indulgentiæ Ordini tibi commiſſo, quoad illius præſertim perſonas conceſſæ, reuocatæ cēſeantur: huiuſmodi hæſitationē tollere, ac liquidò rem hanc declarare volentes, tenore præſentium decernimus, & declaramus, indulgentias omnes, quæ quatuor Ordinis ipſius gradibus conceſſæ ſunt, ſcilicèt Fratribus Monialibus, Mantellatis; & ſola zona præcinctis, ob conceſſionem antedictam, nec alia ex quauis cauſa, quoad ipſius Ordinis perſonas (vt præfertur) ſuſpenſas eſſe, ſed in ſuo robore permanere.

Indulgentiæ Ordinibus Mēdicantiū conceſſæ, validæ declarantur.

§. 3. Declarantes inſuper (vt Ordo ipſe cum maiore animi ſerenitate, liberiùsq; tibi obtemperare poſſit,) tres ſuperiores eiuſdem Ordinis gradus, videlicèt Fratres, Moniales, & Mantellatos, quòd omnibus, & ſingulis priuilegijs, gratijs, & indultis, quæ in Mari magno, ſeù alijs conceſſionibus, tàm per Nos, quàm per alios Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros Ordini antedicto conceſſis, continentur, & expreſſæ ſunt, integrè perfrui debeant, & poſſint. Sed quarti gradus vtriuſque ſexus perſonæ, quibus zonam dari conſuetum eſt, indulgentijs tantùm gaudeant.

§. 4. Non obſtantibus præmiſſis, ac omnibus illis, quæ in dictis literis pro fabrica conceſſis (vt præfertur) volumus non obſtare, ceterìsq; contrarijs quibuſcunque.

§. 5. Præterea quia difficile foret, has noſtras literas ad quæcunque loca oportuna deferre, volumus, quòd earum tranſumptis, manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & alicuius Prælati, vel tuo ſigillo munitis, in iudicio, & extra, ea prorſus fides vbìque adhibeatur, quæ præſentibus noſtris adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud S. Petrum, ſub Anulo Piſcatoris, die ſecunda Iulij, Milleſimo quingenteſimo duodecimo, Pontificatus noſtri anno nono.

IVLII TERTII.
Conſtit. I.

Ex Breue originali aſſeruato Romæ in Archiuo Ordinis. nu. I.

Summarium.

Obedientia Priori Generali præſtanda eſt ab omnibus tàm Reformatis, quàm non Reformatis; formula Profeſſionis, & Conſtitutiones obſeruandæ.

IVLIVS PAPA TERTIVS. 1551.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. 1. EX debito paſtoralis officij Nobis deſuper (meritis licèt imparibus) commiſſo, ad id libenter intendimus, vt quos vna Religio, & vnum profeſſionis vinculum

culum inuicem copulauit, nulla dissensio dissecet, nulla vè æmulatio perturbet; sed ipsi mutua charitate coniuncti, & suauitati contemplationis tranquilla mente dediti, ceteris exemplo proficiant.

§. 2. Dudum siquidem, cum dilectus filius Hieronymus Seripandus Prior Generalis totius Ordinis Fratrum Eremitarum Beati Augustini, vnioni dicti Ordinis intendens, fel. rec. Paulo Papa Tertio prædecessori nostro humiliter supplicasset, vt pro vnione huiusmodi, & ipsius Ordinis vtilitate, Constitutionibus in duobus eiusdem Ordinis tunc proximè celebratis Capitulis generalibus, cũ consilio deputatorum ab omnibus nationibus reformatis, ritè, & rectè factis benedicere, & nonnulla alia tunc expressa statuere, & ordinare de benignitate Apostolica dignaretur.

§. 3. Et dilecti filij Fratres Congregationis Lombardiæ de Obseruantia nuncupati asserẽtes, nonnulla ex præmissis priuilegijs, eis ab Apostolica Sede concessis, repugnari supplicatis per ipsum Hieronymũ Priorem, se opposuissent: idem Prædecessor, ne inter Hieronymũ Priorem, & Congregationem præfatos aliqua lis, aut causa oriretur, bonæ memoriæ Nicolao Sanctæ Mariæ in Via lata Diacono Cardinali de Rodulphis, nuncupato, qui tunc in humanis agens apud Prædecessorem, & Sedem præfatos protectionis munere fungebatur, commisit, & mandauit, vt per seipsum statuta, & ordinationes ab ipso Prædecessore (vt præfertur) fieri supplicata, ac ex aduerso priuilegia Apostolica Congregationi Lombardiæ huiusmodi eatenus concessa diligenter examinaret, & super eis omnibus, & singulis summariè, simpliciter, & de plano, sinè strepitu, & figura iudicij, ac sola facti veritate inspecta, omnia (iudiciaria tela postposita) quod sibi ad gloriam Dei, & vtilitatem ipsius Ordinis iustum esse videretur, apostolica auctoritate statueret, ordinaret, & decerneret, faciens quod in præmissis statuisset, ordinasset, & decreuisset, tàm à Hieronymo, tunc, & pro tẽpore existente ipsius Ordinis Priore Generali, quàm Fratribus, & Prælatis, seù alijs Superioribus Congregationis Lombardiæ huiusmodi sub excommunicationis latæ sententiæ, & priuationis omnium priuilegiorũ, eis eatenus quomodolibet concessorum, ac alijs arbitrio suo statuendis pœnis, inuiolabiliter obseruari.

Fratres Lombardiæ opposuerũt priuilegijs Pauli Tertij

§. 4. Et successiuè cum Predecessor primò, & deinde (negotio huiusmodi nondum perfecto) Nicolaus Cardinalis præfati (sicut Domino placuit) de medio sublati fuissent; Nos, diuina fauente clementia, ad summi Apostolatus apicem assumpti, dilecto filio nostro Marcello tit. Sanctæ Crucis in Hierusalem Presbytero Cardinali Ceruino nuncupato, quem antea præfati Ordinis Protectorem in locũ ipsius Nicolai Cardinalis deputaueramus, dedimus in mandatis, quatenus negotio huiusmodi in his statu, & terminis, in quibus coram dicto Nicolao Cardinali remanserat, reassumpto, ad executionem præmissorum procederet in omnibus, & per omnia perinde ac si præmissa ei à principio commissa fuissent, sibi præmissa omnia faciẽdi, & exequendi, plenam, & liberam facultatem concedendo, prout in duabus

bus papyri cedulis, altera prædecessoris, altera verò nostra manibus proprijs signatis, dicitur plenius contineri.

§. 5. Cum autem sicut Nobis nuper innotuit dictus Marcellus Cardinalis, & Protector, in præmissis ad vlteriora procedens, & cognitione habita, Hieronymum Priorem, & Congregationem prefatos in vnam, & eandem sententiam attrahere, & insimul concordare curauerit, idq; tamen forsan efficere non potuerit; Nos cupientes finem imponere, vt ne vlterius inter eosdem Hieronymũ modernum, & pro tempore existentem dicti Ordinis Priorem Generalẽ, & Lombardiæ, ac quamuis aliam dicti Ordinis Congregationem, aut Prouinciam occasione præmissorũ, vllæ rixæ, aut dissensiones (instigãte zizaniæ satore) oriri, & emergere possint, prouida consideratione præcauere, & oportunis remedijs prouidere volentes, Apostolica auctoritate, tenore præsentium ex certa nostra scientia statuimus, & ordinamus, ac decernimus, Ordinem Fratrum Eremitarum huiusmodi, omnes Prouincias, & Congregationes Fratrum, votum obedientiæ pro tempore existenti ipsius Ordinis Priori Generali emittentium, siue sint de obseruantia, siuè non continere, ac Constitutiones in dictis duobus Capitulis, quorum alterum in Alma Vrbe de Millesimo quingentesimo quadragesimo tertio, ceterum verò in Ciuitate Recanatensi de Millesimo quingentesimo quadragesimo septimo, annis proximè præteritis celebrata fuerunt, editis, & in dicta Vrbe impressis, benedicendum & eas solas: vni verò Ordini prædicto, ac omnibus illius tàm Reformatis, quàm nõ Reformatis Prouincijs, & Congregationibus, etiam de Obseruantia nuncupatis, illarùmq; personis communes, & communicandas, ac de cetero omnes Constitutiones in quibuscunque Prouincijs, siuè Congregationibus, etiam de Obseruantia nuncupatis Ordinis præfati, tàm hactenus editas, quàm in posterum faciendas diffinitiones, & non constitutiones nuncupandas, & appellandas, seù denominandas: & tàm illas, quàm electiones Priorum Prouincialium, & Vicariorum Congregationum Ordinis huiusmodi, necnon acta quorũuis Prouincialium, & Cõgregationum eiusdem Ordinis Capitulorum eatenus quatenus ab ipso Hieronymo, & pro tempore præfati Ordinis Priore Generali confirmata, & approbata fuerint, & non aliàs, valida existere: & diffinitiones ipsas pro tempore edentes, necnon tàm eligentes, quàm electi, & in Capitulis Prouincialibus, & Congregationibus huiusmodi interuenientes ad confirmationem diffinitionum, & electionum, ac aliorum per eos pro tempore gestorum, ab eodem Hieronymo, aut pro tempore existente ipsius Ordinis Priore infra terminum vnius mensis à die electionis, & diffinitionis, & aliorum gestorum huiusmodi respectiuè petendam, ipsùmq; Hieronymum, aut pro tempore existentem dicti Ordinis Priorẽ infra terminum decem dierum à die petitionis prædictæ ad confirmandum, vel negandum, teneri, & obligatos fore.

Constitutiones editas Recineti, & in Vrbe obseruare debent omnes.

Confirmatio actorum Capitulorũ tã Prouinciarum, quàm Congregatione infra mensem petenda à Generali.

§. 6. Et si contingat dictum Hieronymum, aut pro tempore existentem ipsius Ordinis Priorem Generalem,

lem, confirmationem huiuſmodi denegare, eundem Hieronymũ, & pro tempore exiſtentem Priorem generalem teneri, & obligatum eſſe, ad cauſam denegationis huiuſmodi in eadem denegatione exprimendum: tuncq; eiſdem Congregationibus, & Prouincijs, ac perſonis confirmandis huiuſmodi licere ad præfatum Marcellum Cardinalẽ, & Nos, ac pro tempore exiſtentem ipſius Ordinis Protectorem, & Romanum Pontificem infrà terminũ vnius menſis à die denegationis prædictæ recurſum habere; & exhibitis diffinitionibus, & electionibus, ac alijs confirmandis præfatis, vnà cum eorum confirmatione denegatione, & expreſſa ipſius denegationis cauſa, eorum confirmationem à præfato Hieronymo, & pro tempore exiſtente Priore Generali, ſi tunc in Curia præſens fuerit, aliàs ipſius Ordinis Procuratore Generali, ac eo abſente, eius Viceprocuratore, ad id legitimè vocato petere, & procurare.

Confirmatio non eſt denegãda ſine cauſa.

In abſentia à Curia Prioris generalis, à Procuratore generale cõfirmatio petenda.

§. 7. Et ſi de confirmatione Vicarij agatur, donec illa fiat, ne Congregationes, aut Prouinciæ huiuſmodi patiantur, eum, qui vltimò Vicarius Congregationum, & Prouinciarum huiuſmodi fuerit, etiamſi officio ceſſerit, aut aliàs ab eo abſolutus extiterit, officium Vicariatus huiuſmodi liberè exercere poſſe.

Ante cõfirmationẽ Vicarius Cõgregationis electus non exercet officium ſuum.

§. 8. Et cum in toto Ordine præfato vnus tãtùm Prior Generalis exiſtat, cui omnes dicti Ordinis profeſſores, etiã de Obſeruantia nuncupati obedientiam vouẽt, Fratres Prouincijs Præſidentes, Prouinciales: eos verò, qui Congregationibus præſunt, Vicarios Congregationũ huiuſmodi nuncupandos eſſe. Neminèmq; eiuſdẽ Ordinis, præterquàm illius Priorem Generalem tàm Obſeruantium nuncupatorum, quàm non Obſeruantium, abſolutè Generalem ſub excommunicationis, & priuationis vocis actiuæ, & paſſiuæ actuum legitimorum pœna, vocari, ac nominari poſſe, ſeù debere.

Prouinciarum Præſidẽtes, Prouinciales appellãtur Congr. vero Vicarij.

§. 9. Ac vnum tantùm Capitulũ generale totius Ordinis: cetera verò Capitula Prouincialia, aut Congregationum denominanda.

§. 10. Necnon formã profeſſionis in dictis conſtitutionibus poſitã, quę in toto Ordine præfato obſeruabatur, ſub excommunicationis latæ ſentẽtiæ pœna, inuiolabiliter in toto Ordine prædicto obſeruandam eſſe.

Profeſſionis forma.

§. 11. Et inſuper ſtatutum quadrageſimo capite conſtitutionũ huiuſmodi deſcriptum de eis, qui ad Capitulum generale conuenire debent, ac de pœna non venientium, omnibus, & ſingulis, tàm Prouincijs, quàm Congregationibus etiam de Obſeruantia nuncupatis, in Italia, & extrà eam conſiſtentibus commune eſſe.

Ad capitulum Generale omnes conueniunt etiam de obſeruãtia.

§. 12. Sicq; cõſtitutionibus prædictis benedicimus, & eas communicamus, eaq; omnia, & ſingula, priuilegijs Fratribus Congregationis Lombardiæ de Obſeruantia nuncupatis, à dicta Sede conceſſis, nullatenus repugnare, & non cõtraire: omnèſq; dubietates, ambiguitates, controuerſias, querelas, lites, differẽtias, poſitiones, difficultates, & quæſtionum materias inter Hieronymum, & pro tempore exiſtentem dicti Ordinis Priorem, ac Congregationẽ, ſeù Congregationes præfatos, etiam contra, aut circa ſtatuta, ordinationes, & decreta noſtra huiuſmodi, &

Conſtit. Ordinis priuilegijs Lõbardiæ non contradicunt.

in eis contenta quæcunque, seù eorum executionem etiam in vim simplicis rescripti, aut priuilegij, etiam à Nobis, aut successoribus nostris, vel à Sede Apostolica, sub quacunque verborum forma, ac cum quibusuis derogatoriarum derogatorijs, clausulis, ac decretis, præterquàm de expresso partium consensu obtentu quomodocunque pro tempore emergentes, & exortas dicto Marcello Cardinali, & qui pro tempore fuerit eiusdẽ Ordinis Protectori extraiudicialiter cum totali litis extinctione, ac omni, & quacunque appellatione, reclamatione, & querela remotis, declarandas, interpretandas, decidendas, necnon omniũ præmissorum executionem ex nunc, prout ex tunc, & è contra, committimus, & remittimus, ac statutũ, ordinationes, & decretum nostra huiusmodi, omniàque, & singula in eis contenta per eosdem Fratres semper, & præcipuè in singulis, & præsertim in proximo de præsenti anno millesimo quingẽtesimo quinquagesimo primo, celebrando, generalibus dicti Ordinis Capitulis, quoad petendum, & obtinendum confirmationem electionis Vicarij Congregationis huiusmodi à tunc Priore Generali eiusdẽ Ordinis sub maioris excommunicationis latæ sententiæ, alijsq; sententijs, cẽsuris, & pœnis ecclesiasticis, ac priuationis vocis tàm actiuæ, quàm passiuæ, necnon amissionis quorũcunque priuilegiorũ, eis quomodolibet concessorum, inhabilitatìsq; ad omnes, & singulos honores, gradus, & officia obtinendum, necnon quingentorũ ducatorum auri de Camera, pro vna Cameræ Apostolicæ, & pro alia medietatibus parti obseruanti irremissibiliter applicandorũ ipso facto qualibet vice incurrendis pœnis, inuiolabiliter obseruari mandamus.

Cardinalis Protector iudex cõtrouersiarum congregationũ.

§. 13. Non obstãtibus præmissis, ac constitutionibus, & ordinationibus apostolicis, necnon Prouinciarũ, & Congregationum, ac Ordinis huiusmodi, etiam iuramento confirmatione apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus; priuilegijs quoque indultis, & literis apostolicis, tàm sub plumbo, quàm sub forma Breuis, eisdem Prouincijs, Congregationibus, illarùmq; personis, & Ordini, ac quibusuis alijs per quoscunque Romanos Pontifices prædecessores nostros, ac Nos, & Sedem prædictã sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac verborũ expressionibus, & cum quibusuis, etiam derogatoriarum derogatorijs, alijsq; efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis: necnõ irritantibus, & alijs decretis quomodolibet concessis, & etiã iteratis vicibus approbatis, & innouatis. Quibus omnibus etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorùmq; totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, & indiuidua, ac de verbo ad verbũ, non autem per clausulas generales, idẽ importantes mentio, seù quæuis alia expressio habẽda, aut alia exquisita forma ad hoc seruanda esset: tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbũ, nihil penitùs omisso, & forma in illis tradita obseruata, inserti forẽt, præsentibus pro sufficiẽter expressis habẽtes; illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice duntaxàt specialiter, & expresè derogamus, & sufficienter derogatum esse decernimus. Necnon quibuscũque litibus, forsan super præmissis inter quoscunque, & coram

corã quibuſcunque Iudicibus pendẽtibus, qua earum ſtatus, & merita, ac nomina, & cognomina Iudicum, & collitigantiũ præſentibus pro expreſſis habentes, ad Nos harum ſerie aduocamus, & lites ipſas penitùs, & omninò extinguimus. Quòdque in præmiſſis dictus Marcellus Cardinalis, & Protector ſuam tulerit, & promulgauerit diffinitiuam ſententiam; ceterìsq; contrarijs quibuſcunque.

Datum Romæ apud S. Petrũ, ſub Anulo Piſcatoris, die xxx. Ianu. Milleſimo quingenteſimo quinquageſimo primo, Pont. noſtri anno primo.

Poſt editam Conſtitutionem Iulij Tertij factum eſt Inſtrumentũ concordiæ coram Card. Marcello Ceruino Protectore, tenoris ſequentis,

Ex libro Priuilegiorum Ordinis. pagina 54.

1551. *IN NOMINE DOMINI. AMEN.*

PEr hoc præſens publicũ Inſtrumentum, cunctis pateat euidenter, & ſit notum, quòd anno à Natiuitate eiuſdem Domini, Milleſimò quingenteſimo quinquageſimo primo, Indictione nona, die verò Veneris, vigeſimaſeptima menſis Februarij, Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini Noſtri Domini Iulij diuina prouidẽtia Papæ Tertij, anno ſecundo. Coram Reuerendiſſimo Dominò Marcello Ceruino, tituli Sanctæ Crucis in Ieruſalem S.R.E. Presbytero Cardinali, Ordinis Eremitarum S. Auguſtini Protectore, & in mei Notarij publici, & teſtium infraſcriptorum præſentia, perſonaliter conſtituti R.P.F. Chriſtoforus Patauinus totius eiuſdem Ordinis (vt aſſeruit) Procurator, pro ſe, ac nomine R. P. Fratris Hieronymi Seripandi de Ciuitate Neapoli, Prioris Generalis dicti Ordinis, pro quo de rato, & rati habitione, ac ratificari faciendo in forma iuris valida promiſit ex vna, & R.P. Frater Honorius de Aſula (vt aſſeruit) Cõgregationis Lombardiæ de Obſeruantia Vicarius generalis, & Frater Theodorus de Mantua Conuentus B.Mariæ de Populo de Vrbe (vt aſſeruit) Prior, ac Frater Angelus de Pizcleone Cõuentus S. Auguſtini Cremonæ (vt aſſeruit) Prior & Viſitator eiuſdẽ Congregationis, ac etiã Frater Matthæus de Fraſſineto (vt aſſeruit) eiuſdẽ Congregationis in Vrbe Procurator, necnon Frater Vincentius de Bergomo (vt aſſeruit) eiuſdem ſupraſcripti R. P. Vicarij generalis ſocius partibus ex altera, mutua charitate coniuncti pro totius eiuſdem Ordinis vtilitate, & tranquillitate, & nonnullis eorum rebus, & negotijs componendis, & terminandis, ac pro bono pacis interuentu: Nonnullorum itaque amicorum communium, & etiam præfati Reuerendiſſimi dicti Ordinis Protectoris, condignis rationibus perſuaſu, ad infraſcriptam deuenerunt concordiam, iuxtà formam, & tenorẽ infraſcriptorum tredecim Capitulorum, quorum tenor ſequitur, & eſt talis.

§. 1. Primò, quòd expediatur Breue poſtulatum à Generali, & aliud Breue expediatur pro beneficio Congregationis Lombardiæ, in quo hæc contineantur. Vt ſtatuta, quæ hactenus facta ſunt in Congregatione Lombardiæ, & quæ in poſterum facient, confirmata per Sedem Apoſtolicam intelligantur: ſed

Cōgregatio habet diffinitiões, non constitutiones.

non Conſtitutiones, verùm Diffinitiones appellentur. Conſtitutiones verò Prioris Generalis, Congregatio ipſa, illiùsq; Priores, & Fratres accipient: nihilominùs viuere volunt, & intendunt ſecundùm conſtitutiones, & diffinitiones antiquas dictæ Congregationis, quatenus conſtitutionibus Ordinis non ſint contrariæ.

Tenentur poſtulare cōfirmationem Vicarij.

§. 2. Secundò, vt non teneantur dicta Congregatio, illiùsq; Fratres à Priore Generali poſt Capitulum Congregationis per literas poſtulare, niſi confirmationem Vicarij Cōgregationis, in Capitulo electi, & diffinitiones nouas (ſi quas Priores, & Fratres Lombardiæ in eorū Congregatione fecerint) non teneantur explicare, ſed tantùm teſtari, quòd nihil in eis, conſtitutionibus Ordinis, aut auctoritati Prioris Generalis contrarium contineatur: ſed mittere tamen teneātur diſpoſitiones omnium monaſteriorum Congregationis, quemadmodum hactenus ſeruatum eſt. Forma autem hæc erit.

Debent teſtari nihil actum cōtra conſtitutiones fuiſſe.

Formula literarū Generali ſcribendarum.

In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Amen. Celebratum eſt hoc anno 1551. die &c. in Conuentu &c. Capitulum Congregationis noſtræ Lombardiæ Ordinis Eremitarum S. Auguſtini, in quo quæcunque acta ſunt, vt moris, P. tuæ mittimus: In eo præfuit iuxtà morem noſtræ Congregationis de Obſeruātia antiquior Diffinitor Capituli præteriti R.P.&c. Vicarius electus &c. Diffinitores fuērūt &c. Diffinitiones nullas fecimus, quæ cōtraria ſint conſtitutionibus Ordinis, & noſtris diffinitionibus antiquis. Diſpoſitiones Priorum, Vicariorum, & Lectorum, ſunt infraſcriptæ &c. Viſitatores electi ſunt &c. Socius &c. Futurū Capitulum &c. Vt ergo R.P. Vicarius generalis noſtræ Cōgregationis, animo promptiori ſuum munus exequatur, à R. P. V. petimus, vt ſuam benedictionem, & confirmationem illi mittere dignetur: ac ſi qua de re eū monere voluerit, moneat, atque ad vigilandum ſuper gregem ſibi cōmiſſum adhortetur: Parati namq; ſumus omnes ad complectendū monita, & obtemperandū paternis exhortationibus P.V. Quam Deus conſeruet &c. Miſſæ ſtatuantur pro Sanctiſſ. D. Noſtro, Reuerendiſſ. Protectore, & Patre Generali, ſicut conſuetum eſt. Subſcripta ſint manu Præſidentis, Vicarij, & Diffinitorū. Reliqua verò acta Capituli (abſente Priore Generali) confirmabit Præſidens auctoritate, qua fungitur. Quando celebrandū eſt Capitulum generale, ad Capitulum generale deſtinamus &c.

Ad Capitulum generale mittēdi ſunt a Cōgregatione.

Capitulum celebratur annuatim nota, quòd modò fit ad bienniū!

§. 3. Tertiò vt annuatim celebretur Capitulū Congregationis ſecundum formam, hactenus ſeruatā: hoc tamen addito, quòd nūcupato Præſidente, Præſidens ipſe ante omnia ſub præcepto exquirat, An aliquis habeat literas Prioris Generalis, ad Capitulū directas. In quibus tamen literis alius Præſidens inſtitui nō poſſit. Sed ſi quid Prior ipſe Generalis hortari, & monere voluerit, moneat, & hortetur, nihil addendo, vel minuendo, quod repugnet regulari obſeruantiæ.

Generalis mittit literas Capitulo.

Præſidens à Generali nō nominatur.

In cōfirmatione nō fit mētio auctoritatis Apoſt.

§. 4. Quartò, nulla item fiat publica mentio in confirmationibus auctoritatis Apoſtolicæ.

Generalis pōt accedere ad Capit, ſed ſēper publicatur Præſidēs

§. 5. Quintò, vt cum ad Capitulū Congregationis Prior Generalis acceſſerit, publicetur nihilominùs Præſidēs: attamen Prior Generalis cōfirmet oīa, & officiū faciet Præſidentis.

§. 6.

§. 6. Sextò, vt cum Prior Generalis ad locum aliquem Congregationis accesserit, debeat Prior loci (si Prior Generalis voluerit) ad sonum campanellæ Fratres capitulariter cõgregare:& data Priori Generali obedientia, eius monitiones acceptent, modò sint conformes Constitutionibus Ordinis,& Diffinitionibus Congregationis. Cum verò visitare voluerit, seruetur forma contenta in priuilegio Innocentij Octaui.

Accedẽti Generali ad locũ Cõgregationis datur obedientia.

§. 7. Septimò, vt in ipsa Congregatione nullus Frater recipiatur ex aliena Prouincia, siuè Congregatione: De exeuntibus verò cum licẽtia, Priori Generali causa significetur, quare mittantur extra Congregationem, dèq; vita, & moribus eorum certior reddatur. A Congregatione verò sinè licentia discedentes,neque à Prouincialibus, neque à Vicarijs aliarum Congregationum recipiantur.

In cõgregatione non recipiantur Fratres de Prouincijs. Nõ exeunt Fratres à Congr. sine licentia.

§. 8. Octauò, vt cum Capitulum Generale in loco, vbi sit Conuentus Congregationis, celebratur, in eo Conuentu teneantur,aliquos ex Fratribus hospitio suscipere quoad cubilia, non quoad victum: & duabus Processionibus, quæ in dicto Capitulo fiunt, interesse teneantur.

Tenẽtur ad hospitiũ vbi sit Capitulũ Generale, & interesse processionibus.

§. 9. Nonò, vt tàm cõtra præmissa,& infrascripta,quàm contra auctoritatem,& superioritatẽ Reuerendiss. Prioris Generalis, & totius Ordinis vtilitatem, nihil vnquam impetrare, aut innouare possit, nõ citato Priore Generali, aut Procuratore Ordinis, seù illius vices gerente. Et versa vice Reuerendissimus Prior Generalis nihil vnquam tàm contra præmissa, & infrascripta, quàm contra dictam Congregationem impetrare, aut innouare possit,non citato Vicario Generali præfatæ Congregationis, aut illius Procuratore in Vrbe. Confirmetùrq; quod fel. rec. Leo Decimus de talibus impetrationibus decreuit, & extendatur ad ipsam Congregationem nominatim.

Nihilim petrare possunt cõtra auctoritatẽ Generalis,& Ordinẽ nisi illo citato, vel Procuratore Generali. Et vice versa.

§. 10. Decimò, vt hæc vni Congregationi Lombardiæ concessa nõ intelligantur reuocata communi re uocatione priuilegiorum quandocũque, & quomodocunque facta alijs omnibus siuè Prouincijs, siuè Congregationibus.

Non reuocãtur priuilegia Cõg. per communem reuocationem.

§. 11. Vndecimò, vt si inter Cõgregationem Lombardiæ, & quamcunque aliam siuè Congregationẽ, seù Prouinciam Ordinis controuersia aliqua oriatur, Prior Generalis eam decidat, cuius sententiæ standum sit.

Controuersias iter Prouincias & Congregatiuem Generalis decidit.

§. 12. Duodecimò, vt ad impensas,quæ toti Religioni Ordinis communes forent, & pro bono communitatis introductæ, aliquam partem conferre teneantur, iuxta iudicium Reuerendissimi Protectoris.

Tenẽtur ad communes expẽsas Ordinis arbitrio Generalis.

§. 13. Tertiodecimò, & vltimò, vt Reuerendissimo Protectori cura conseruationis omnium supradictorum committatur, & pœnæ addantur transgressoribus amissionis priuilegiorum.

Protector Cardin. conseruare facit cõuentiones.

Quæ quidem Capitulo cõcordiæ, ac pacis,& conuentionis per me Notarium infrascriptum coram præfato Reuerendissimo Domino Protectore, & in eorundem testiũ infrascriptorum præsentia, alta, & intelligibili voce lecta, & per eosdem Patres Fratres, vt supra, constitutos audita, & intellecta, spontè,& ex certa eorum scientia, & voluntate, non vi, dolo, metu, aut fraude seducti,seù circum-

uenti, sed omni meliori modo, via, iure, causa, & forma, quibus magis meliùs, & efficaciùs potuerunt, & debuerunt, ac possunt, & debent, eisdem quibus supranominibus, Capitula ipsa, ac prout illa concernunt omnia, & singula in eisdem contenta tenore præsentis Instrumenti approbarunt, confirmarunt, & emologarunt, sèque, & suos, pro quibus agũt, vt præfertur, illa omnia rata, grata, & firma perpetuò habere, eaq; attendere, & obseruare nunc, & in perpetuum, contràq; non facere, dicere, vel venire directè, vel indirectè, in iudicio, vel extra, per se, vel alium, seù alios, quauis occasione, vel causa, sub pœna periurij, & amissionis, ac priuationis vsus suorum priuilegiorum, ac sub omni iuris, & facti renunciatione, sibi ipsis hincinde pro se, & quibus agunt, vt præfertur, solemniter, & legitimè stipulandis, recipiendis, & acceptandis promiserunt, ac per appositionem manuum ad pectus, Religiosarum personarũ more, ad sancta Dei Euangelia suis eisdem, & quibus supra nominibus iurarunt. Pro quibus itaque omnibus, & singulis, vt supra contentis obseruandis, & plenariè adimplendis, Patres Fratres suprascripti obligarunt sese, suòsque, pro quibus (vt supra) agunt, eorùmq; omnium successores, ac bona omnia sua, & suorũ Monasteriorum, & Ordinum huiusmodi mobilia, etiam immobilia præsentia, & futura, vbilibet existentia quæcunque vna pars videlicèt alteri, & alijs, & è contra, singula singulis debitè, & congruè referendo, ac solemni, & etiam ad id mutuò, & reciprocè interueniente stipulatione supradicta in ampliori forma Cameræ Apostolicæ obligarunt, & hypothecarunt, ac causarum Cameræ Apostolicæ, & aliarum quarumcunque Curiarum, vbilibet constitutarum, illarùmque, & cuiuslibet ipsarũ Auditorum, Iudicum, & Locatenentiũ, ac Officialium iurisdictioni, compulsioni, iuribus, & meris examinibus supposuerunt, & submiserunt, & quemlibet earundem prædictarum partium supposuit, & submisit. Per quas quidem Curias, & earum quarumlibet, earùmque, & cuiuslibet earum Auditores, Iudices, & Officiales, & eorum quemlibet: ita tamen, quod iudicio in vna ipsarum Curiarum inchoato, & in ea qualitercunque processo, liceat parti præmissa seruanti ad aliam, seù alias Curiam, seù Curias liberũ habere recursum, nullum sibi propter sic electam Curiam huiusmodi præiudicium generando, dictæ partes hincinde voluerunt, & consenserunt, & quælibet ipsarum voluit, & consenserit. Et si in obseruatione præmissorum in aliquo defecerint, partem non seruantem ad partis seruantis instantiam posse, & debere conueniri, excommunicari, interdici, suspendi, declarari, publicari, aggrauari, reaggrauari, & ad brachium seculare deponi, capi, detineri, & incarcerari, ac aliàs realiter, personaliter cogi, & compelli vsque ad obseruationem omnium, & singulorum præmissorum diebus feriatis, & non feriatis: quibus ferijs, & non feriatis diebus, ac priuilegio fori renunciarunt expressè, & ex certa scientia. Renunciarunt insuper etiam in præmissis omnibus, & singulis exceptioni, doli mali, vis, metus, fraudis, læsionis, & in factum actioni cõditioni indebitæ

Obligatio I forma Cameræ ad obseruãtiam cõuentionum.

ob

ob causam, siuè causa, ob turpem, & iniustam, seù subsequutam causam, ac quibusuis moratorijs, & alijs dilationibus, à iure, vel aliàs concessis, & concedendis, omnibùsq; alijs, & singulis exceptionibus, & defensionibus iuriũ, & facti: quibus mediantibus contra præmissa, vel præmissorum aliquod dicere, facere, vel venire possent: & præsertim iurisdicenti generalem renunciationem non valere, nisi præcesserit specialis, & expressa. Et ad maiorem præmissorũ cautelam, & firmitatem, dictæ partes hincinde omnibus melioribus modo, via, iure, causa, & forma, quibus meliùs, & efficaciùs potuerunt, & debuerunt, fecerunt, constituerunt, creauerunt, & solemniter ordinauerunt suos, veros, certos, legitimos, & indubitatos procuratores, actores, factores, & negotiorum suorum infrascriptorum gestores, ac nuncios speciales, & generales, ita tamen, quòd specialitas generalitati non deroget, nec è contra, videlicet prouidos viros Dominos Antonium Massam de Gallesio, & Alexandrum de Vrbino in Romana Curia causarum Procuratores, necnon Bonifacium de Grangia, & Ludouicum Reydetti, & alios quoscunque dictæ causarũ Cameræ Apostolicæ, & aliarum quarumcunque Curiarum Notarios, & Procuratores, nunc, & pro tempore existentes, quorum nomina, & cognomina hìc haberi voluerunt pro expressis absentes tanquàm præsentes, & eorum quemlibet insolidum. Ita tamen, quòd non sit melior conditio primitùs occupantis, nec deterior subsequentis: sed quod vnus ipsorum inceperit, id alter eorundẽ prosequi, mediare, terminare possit, & valeat finire specialiter, & expressè ad ipsarum supradictarum partium hincinde nominibus, & pro eis, & earum qualibet in casum, & euentũ, in quem, seù quos præmissa non seruauerint, coram quibusuis prædictis, ac alijs Auditoribus, Iudicibus, Locatenentibus, & Officialibus tàm dictæ causarum Cameræ Apostolicæ, quàm aliarum quarumcunque Curiarum, & in Curijs ipsis, vbi, quando, & quoties expediens fuerit, & parti præmissa seruanti placuerit cõparendum: & præmissa omnia, & singula in præsenti publico Instrumento confitendum. Ipsàmq; partem, præmissa non seruantem, eiùsq; hæredes, & successores, ac bona prædicta, iurisdictioni, compulsioni, iuribus, stylis, & meris examinibus eorundem Dominorum Auditorum, Iudicum, & Locatenentium, Officialiùmque, ac cuiuslibet ipsorum submittendam, volendam, & etiam consentiendam, vt idem Domini Auditores, Iudices, Locatenentes, & Officiales in partem præmissa non seruantem, & quæ non obseruatione præmissorum, siuè aliquo eorum defecerit, excommunicationis, aliàsq; sententias, censuras, & pœnas, quas voluerint, ferant, & promulgent, illàsq; aggrauent, reaggrauent, & brachium seculare inuocent, ac aliàs realiter, & personaliter, prout eidem parti, præmissa seruanti placuerit, procedant, aliosq; processus reales, & personales gerant, & faciant, quos voluerint, & parti seruanti præmissa placuerit, & videbitur expedire, vsq; ad plenam, & integram omnium, & singulorum in præsenti publico Instrumento contentorum obseruationem, iuxtà eiusdem Instrumẽti vim,

formam,

formam, continentiam, & tenorem. Et generaliter omnia alia, & singula facienda, dicenda, gerenda, exercẽda, & procuranda, quæ in præmissis, & circa ea necessaria fuerint, seù quomodolibet oportuna, & quæ ipsemet partes facerent, seù facere possent, si præmissis omnibus, & singulis præsens, & personaliter interessent, etiamsi talia forent, quæ mandatum exigerent magis speciale, quàm præsentibus est expressum. Promittentes etiam dictæ partes hincinde mihi Notario publico infrascripto tanquã publicæ, & authenticæ personæ, ritè, & legitimè stipulandi, & recipiendi, vice, ac nomine omnium, & singulorum, quorum interest, intererit, aut interesse poterit quomodolibet in futurum, seipsas ratum, gratum, atque firmum perpetuò habituras totum id, & quidquid per dictos Procuratores suos constitutos, seù eorũ aliquem actum, dictum, gestum, factum, & procuratum fuerit in præmissis, seù aliquo præmissorum. Releuantes nihilominus, & releuare volentes eosdem Procuratores, & eorum quemlibet ab omni onere satisdandi, iudicióq; sisti, & iudicatum solui, cum clausulis necessarijs, & oportunis, sub expressa hypotheca, & obligatione omnium, & singulorum bonorum suorum mobilium, & immobilium, præsentium, & futurorum, & qualibet alia iuris, & facti renunciatione ad hæc necessaria pariter, & cautela. Et ad maiorem præmissorum omnium firmitatem, dictæ partes hincinde, quibus supra, nominibus in manibus mei Notarij publici infrascripti tactis per eos scripturis sacrosanctis respectiuè iurarunt, & quilibet eorũ iurauit præmissa omnia, & singula, in præsenti publico Instrumento, contenta, firmiter, & inuiolabiliter obseruare, ac ea vera fuisse, & esse: dictósq; Procuratores non reuocare, nec contra præmissa, vel præmissorum aliquod dicere, facere, vel venire, aliqua ratione, iure, modo, titulo, siuè causa sub hypotheca, & obligatione præmissis, ac vinculo dicti per eosdem præstiti iuramenti. Super quibus præmissis omnibus, & singulis dictæ partes, quibus supra nominibus sibiipsis, & etiam suis, pro quibus, vt supra, agunt, & alijs, quibus opus fuerit, & pro tempore intererit, à me Notario publico infrascripto vnum vel plura publicum, seù publica fieri petierunt, atque confici Instrumentum, & Instrumenta. Super quibus itaque eisdem præmissis omnibus, & singulis præfatus Reuerendissimus Dominus Cardinalis Protector pro posse, & ad cautelam auctoritatem suam interposuit pariter, & decretũ. Dantes insuper præfati Patres, vt supra, contrahentes mihi Notario, & liberam facultatem, & licentiam, Instrumentũ, siuè Instrumenta huiusmodi toties quoties opus fuerit ad sensum, seù dictamen cuiuslibet sapientis (facti tamen præmissorum substantia in aliquo non mutata) extendendi. Acta fuerunt hæc Romæ in Palatio Apostolico, & solita residentia ipsius Reuerẽdissimi Domini Cardinalis Protectoris, præsentibus ibìdem discretis viris Dominis Marco Antonio de Pannilìnis, Ciue Senensi, & Domino Hieronymo Bellarmino de Monte Politiano, eiusdẽ Reuerendissimi Domini Cardinalis familiare, ac Pompeo Cappello etiã de Monte Politiano testibus ad præmissa

missa

miſſa omnia, & ſingula ſupradicta vocatis, habitis ſpecialiter, atque rogatis. Amplam Bar. Cap.

Et ego Bartholomæus Cappellus de Monte Politiano publicus Apoſtolica auctoritate Notarius, & nationis Florentinus, de Vrbe Cancellarius, ac Montis fidei Vrbis Secretarius, de concordia, & alijs præmiſſis omnibus, ſic vt præmiſſis geſtis rogatus vnà cum nominatis teſtibus, hoc præſens publicum Inſtrumentũ aliena mihi fidelis manu ſcriptum ſubſcripſi, & publicaui, meis nomine, & ſigno conſuetis in fidem muniendo requiſitus.

Loco + Signi.

Conſtit. II.

Ex Breue originali, quod aſſeruatur Romæ in Archiuo Ordinis, nu. 2.

Summarium.

In dominio Venetorum, & in tota Italia ad ſolutionem Decimæ Fratres non tenẽtur, niſi ad medietatem tantùm.

A tergo.

Dilectis filijs vniuerſis, & ſingulis quorumuis Ordinum Mendicantiũ Prælatis, Superioribus, & Profeſſoribus.

1551. *IVLIVS PAPA TERTIVS.*

§. 1. CVm Nos nuper vrgentibus temporum conditionibus, diuerſas ſuper redditibus eccleſiaſticis decimas à quibuſcunque, etiam Ordinum Mendicantium profeſſoribus, bona ſtabilia ex priuilegio Apoſtolico habentibus, perſoluendas in dominio Venetorum, & diuerſis alijs Italiæ partibus impoſuerimus; Nos ad vberes fructus, quos vos in agro militantis Eccleſiæ continuè producitis, debitum reſpectum habere, & indemnitatibus veſtris, quantum incumbentia Nobis onera patiuntur, conſulere volentes, veſtris in hac parte ſupplicationibus inclinati, Vobis, quòd de cetero ratione cuiuſlibet decimæ tàm in Dominio Venetorum, quàm alijs partibus Italiæ huiuſmodi per Nos hactenus impoſitæ, & in poſterum ex quibuſuis cauſis imponendæ, vltra illius medietatem, ſi vnica; ſi verò duæ decimæ imponantur, vltra vnam decimam, & ſic de ceteris, ſoluere non teneamini: nec ad id per ipſarum decimarum Collectores, & Subcollectores pro tempore deputatos, ſeù quoſcunque alios, quauis auctoritate fungentes, cogi, ſeù coarctari, aut propterea aliquibus cẽſuris, vel pœnis eccleſiaſticis innodari poſſitis, auctoritate apoſtolica tenore præſentium concedimus, & indulgemus: Mandantes dilectis filijs modernis, & pro tempore exiſtentibus Camerario noſtro, & Clericis, ac Præſidẽtibus Cameræ Apoſtolicæ, necnon quibuſuis alijs decimarũ huiuſmodi hactenus deputatis, & in poſterum deputandis Collectoribus, & Subcollectoribus, quauis auctoritate, dignitate, ſeù prærogatiua præfulgeant, quatenus de cetero vos occaſione ſingularum decimarum, hactenus (vt præfertur) impoſitarum, & imponẽdarum ratione domorum veſtri Ordinis, & illarum fructuum vltra illius medietatem, quouis modo, directè, vel indirectè, quouis quæſito colore, vel ingenio grauare non audeãt, nec præſumant, ſed exactione medietatis decimarum huiuſmodi contenti, *Ad ſolutionẽ decimarum pro medietate tãtùm tenemur.*

vos

vos ab illis omninò quietent, liberent, & penitùs absoluant in omnibus, & per omnia perinde, ac si decimas huiusmodi integrè persoluissetis, non permittentes vos per eosdẽ Collectores, & Subcollectores, seù quoscunque alios munitos, quouis prætextu contra præsentium literarum tenorem molestari, vel perturbari.

§. 2. Non obstantibus præmissis, ac quibusuis literis, ac facultatibus, super impositionibus decimarũ huiusmodi pro tempore emanatis, etiã si per illas præsentibus de verbo ad verbum derogari videretur, quas aduersus præsentes nullatenus suffragari posse volumus; ceterìsq; contrarijs quibuscunque.

§. 3. Decernentes, quòd præsentium literarum transumptis, manu Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius Curiæ ecclesiasticæ, seù personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides in iudicio, & extra adhibeatur, quæ eisdem præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Petrũ, sub Anulo Piscatoris, die septima Iulij, Millesimo quingentesimo quinquagesimo primo, Pontificatus nostri anno secundo.

Constit. III.

Ex Breue originali Romæ asseruato in Archiuo Ordinis. num. 3.

Summarium.

Prior Generalis potest compellere, ad Claustrum redire illos Fratres, qui Pœnitentiariæ literas obtinent exeũdi ab Ordine, ad reddendas rationes suæ administrationis.

A tergo.

Dilecto filio Christoforo Paduano Priori Generali Ordinis Eremitarum S. Augustini.

IVLIVS PAPA TERTIVS. 1554.

Dilecte fili Salutem, & Apostolicam benedictionem.

§. 1. CVm nihil Nobis magis cordi inhæreat, quàm vt omnium, præsertim sub Religionis iugo degentium vita corrigatur, emendentùrque, & reformentur in meliùs mores; exposcit solicitudo tua, vt in his tibi libenter assistamus, per quæ tui Ordinis reformationi, atque incremento, necnon animarum saluti oportunè consulatur.

§. 2. Exponi siquidem Nobis nuper fecisti, quòd diuersi tui Ordinis professores, postquàm bona locorũ dicti Ordinis administrarùnt, non solùm suæ administrationis rationẽ non reddiderunt, sed plerunque eorundem locorum bona asportarunt, aut etiam multa perpetrarunt horrenda, & grauia delicta, & ne rationem suæ administrationis reddere, & asportata bona restituere cogi possint, & vt pœnas, per eos commissorum delictorum occasione incursas diffugiant, ad Pœnitentiariæ nostræ, & alia Romanæ Curiæ officia recurrentes, & multa falsa exponentes, per literas dictæ Pœnitentiariæ, & aliorum officiorum, ac etiam Breuia Apostolica facultatem obtinent, de Ordine prædicto exeundi, se sic à tui, & quorumcunque aliorum Superiorum suorum obedientia eximentes, & retento, vel quandòque etiam dimisso habitu Ordinis huiusmodi per inhonesta loca discurrentes, & laxatis

tis cuiuſuis honeſtatis habenis, & alios ipſius Ordinis Fratres, de eis conquerentes, ac Superiores ſuos armata manu tanquàm ſatellites aggredientes, vulneribùsq; afficientes, & diuerſis ſententijs, cenſuris, & pœnis canonicis innodati, Miſſas, & alia diuina Officia celebrantes, vagantur,& multa alia enormia in graue animarum ſuarum præiudicium, dictiq; Ordinis denigrationem,& regularis vitæ perturbationem, ſcandalum plurimorum, & pernicioſum exemplum committunt. Quarè Nobis humiliter ſupplicari feciſti, vt in præmiſſis oportunè prouidere de benignitate apoſtolica dignaremur.

Fratres exeũtes àb Ordine prætextu literarũ Pœnitẽtiariæ apoſtolicæ, corrigũtur à Generali, illis non obſtãtibus

§. 3. Nos igitur huiuſmodi temerarios præſumptores debitis pœnis punire volentes, tibi, vt contra omnes, & ſingulos prædictos, & quoſcunque alios dicti Ordinis Fratres, quos prætextu quarumcunque exemptionum, & literarum à Pœnitentiariæ, ſeù alijs officijs prædictis ſub quibuſcunque tenoribus, & formis, ac cum quibuſuis, etiam derogatoriarum derogatorijs, alijsq; efficacioribus, & inſolitis clauſulis, ac decretis, per falſi narrationem (vt præfertur) impetratarum, extra loca dicti Ordinis morari,& aliquod præmiſſorum perpetraſſe reperies, iuxtà ipſius Ordinis conſtitutiones, & regularia inſtituta, ac aliàs, prout iuris fuerit, procedere, illòsq; ad reddendam rationem de bonis dicti Ordinis, per eos adminiſtratis, ac reſtituendum ablata cogere, & compellere, ac ad tuam, & aliorum Superiorum obedientiam, & dictum Ordinem reducere, necnon per cenſuras, & pœnas eccleſiaſticas, ac alia oportuna iuris remedia, quacunque appellatione poſtpoſita coercere, ac brachij ſecularis auxilium ad id inuocare, aliàque, quæ in præmiſſis neceſſaria, ſeù quomodolibet oportuna fuerint, facere, liberè, & licitè valeas, plenam, & liberam per præſentes licentiam concedimus, & facultatem.

§. 4. Mandantes nihilominus Iudicibus, ſeù Executoribus, eiſdem Fratribus in literis huiuſmodi deputatis, ne te, ſeù per te pro tempore ſuper præmiſſis deputatos in præmiſſorum executione, impedire præſumant: ac vniuerſis,& ſingulis Venerabilibus fratribus Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & dilectis filijs Abbatibus, & alijs perſonis in dignitate eccleſiaſtica conſtitutis, necnon quarumcunque Metropolitanarum, & aliarum Cathedralium eccleſiarum Canonicis, ipſorùmq; Patriarcharum, Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum Vicarijs, & Officialibus vbilibet cõſtitutis, quoties ipſi, & eorum quilibet pro parte tua deſuper fuerint requiſiti, tibi in præmiſſis conſilium, auxilium, & fauorẽ pro viribus impendant, nec permittant te, & alios dicti Ordinis Superiores contra tenorem præſentium aliquo modo turbari, aut impediri.

§. 5. Rogantes etiam chariſſimos in Chriſto filios noſtros Reges, & dilectos filios nobiles viros Principes, Duces, Marchiones, Comites, & Dominos temporales, vt tibi in præmiſſis exequendis, oportunos fauores impendant.

§. 6. Non obſtantibus præmiſſis, ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon quibuſuis literis, eiſdem Fratribus ſub quibuſcunque tenoribus, & formis, ac cum qui-

quibusuis clausulis, & decretis (vt præfertur) concessis, contrarijs quibuscunque: seù si aliquibus communiter, vel diuisim ab eadem sit Sede indultum, quòd interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas apostolicas, non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Datum Romæ apud S. Petrum, sub Anulo Piscatoris, die vigesima tertia Nouembris, Millesimo quingentesimo quinquagesimo quarto, Pontificatus nostri anno quinto.

LEONIS DECIMI.

Constit. I.

Ex Breue originali Romæ asseruato in Archiuo Ordinis. nu. 1.

Summarium.

Per Indulgentias cõcessas fabricæ Sancti Petri non intelligũtur sublatæ Indulgentiæ Ordinis, pro Fratribus Mantellatis, & Corrigiatis concessæ.

A tergo.

Dilecto filio Fratri Aegidio Viterbiensi, Ordinis Eremitarum Beati Augustini Priori Generali.

1513. *LEO PAPA DECIMVS.*

Dilecte fili Salutem, & Apostolicam benedictionem.

§. 1. PRÆ ceteris curis, quæ permultæ sunt, de mandato tibi officio incumbentibus, hæc vna potissima est, Deòq; Saluatori nostro, ac Diuo Augustino, Ordinis tibi commissi Institutori maximè accepta, vt Fratres sub illius Regula, & habitu Altissimo famulantes, eiusdem Ordinis instituta obseruent: Quod etsi credimus tua solerti opera, studio, prudentiq; administratione eos facere, sperami̊sq; in dies meliùs, diligentiùsq; esse facturos, tèq; id in primis studere, & laborare pro comperto habemus; tamen considerántes ob paternam nostram in Ordinẽ ipsum charitatem, tanto maiori vigilantia eos, tantòq; feruentiùs in virtutum, & veræ religionis via perrecturos, quãto Nos & te, & Ordinem ipsum tuũ, & illius Fratres, domos, loca dono vberioris gratiæ fuerimus prosecuti.

§. 2. Idcirco quia tàm à vobis, quàm ab alijs etiam forsan hæsitari posset, an propter literarum Indulgentiarum pro fabrica Basilicæ Beati Petri Principis Apostolorum de Vrbe per Nos factam concessionem, Indulgentiæ Ordini tibi commisso, præsertim quoad illius personas cõcessæ, reuocatæ censeantur; huiusmodi

Indulgentiæ Ordini concessæ per indulgentias cessas pro fabrica S. Petri. Quatuor Ordinis gradus. modi hæsitationem tollere, ac liquidò rem hanc declarare volentes, Motu proprio, & ex certa nostra scientia, tenore præsentium decernimus, & declaramus, Indulgentias omnes, quæ quatuor Ordinis ipsius gradibus concessæ sunt, scilicèt, Fratribus, Monialibus, Mantellatis, ac sola zona præcinctis; nec ob concessionem antedictam, nec alia quauis de causa, quoad ipsius Ordinis personas (vt præfertur) vllo modo suspensas, aut pro suspensis habendas esse, sed in suo robore integras, validas, intactas, inuiolatàsq; permanere.

§. 3. Declarantes insuper, quò Ordo ipse cum maiore animi tranquillitate, liberiùsque, atque obseruantius tibi obtemperare possit; tres *Tres primi Ordinis gradus gaudēt priuilegijs.* superiores eiusdem Ordinis gradus, videlicèt, Fratres, Moniales, & Mantellatos omnibus, & singulis priuilegijs, gratijs, & indultis, quæ in Mari magno, seù alijs concessionibus, tàm per Nos, quàm alios Romanos Pontifices prædecessores nostros Ordini antedicto concessis, continentur, & expressæ sunt, plenè, & largiter perfrui posse, & debere: sed quarti gradus vtriusque sexus personas Indulgentijs tantummodò gaudere.

§. 4. Non obstantibus præmissis, ac omnibus illis, quæ in dictis literis pro fabrica Principis Apostolorum de Vrbe (vt præfertur) voluimus non obstare, ceterìsq; contrarijs quibuscunque.

§. 5. Præterea quia difficile foret, has nostras literas ad omnia necessaria loca deferri, volumus, quòd earum transumptis, manu alicuius Notarij publici subscriptis, & alicuius Prælati ecclesiastici, vel tuo sigillo munitis, in iudicio, & extra ea prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus nostris adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Petrum, sub Anulo Piscatoris, die decima Maij, Millesimo quingentesimo decimo tertio, Pontificatus nostri anno primo.

Constit. II.

Ex Breue originali, Romæ asseruato in Archiuo Ordinis. num. 2.

Summarium.

Facientibus Orationem, quæ fieri solet singulis diebus in Ordine pro felici statu Summi Pontificis, & Ecclesiæ, concedit septem annos, & totidem quadragenas de Indulgentia.

A tergo.

Dilecto filio Aegidio Viterbiensi sacræ Theologiæ Magistro, Ordinis Eremitarum S. Augustini Priori Generali.

LEO PAPA DECIMVS. *1515.*

Dilecte fili Salutem, & Apostolicam benedictionem.

§. 1. CVm sicut accepimus, Ordinis Eremitarum Sancti Augustini Professores ex laudabili institutione in communi singulis diebus de sero post generalem confessionem, consueuerint pro felici statu S.R.E. & Summi Pontificis pro tempore existentis deuotè orare; cupiàntq; morem hunc pium ad Moniales, & Mantellatas, ac Corrigiatos etiam dicti Ordinis viros extendi. *Orationi serotinæ interuenientibus indulgentia septē annorum, & quadragenas.*

V §. 2.

§. 2. Ea propter huiuſmodi eorum deſiderio gratiosè annuentes, ac cupientes profeſſores, Moniales, & Mantellatas, ac Corrigiatos præfatos ad ſanctum hoc charitatis opus ſpiritualibus præmijs promptiores reddere; De omnipotentis Dei miſericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius auctoritate confiſi, omnibus, & ſingulis profeſſoribus, Monialibus, Mantellatis, & Corrigiatis in toto Chriſtianorum Orbe conſtitutis, qui, & quæ dictā orationem in communi, vel ex ſe orationem pro ſtatu S. R. E. & pro Summo Pontifice, ab Eccleſia dici conſuetam, vel eam, quæ incipit, Salue Regina, deuotè dixerint: Et dicti Ordinis infirmis, & illis, ac hoſpitibus ſeruientibus, ſeptem annos de vera indulgentia, ac totidē quadragenas per præſentes auctoritate apoſtolica concedimus, & indulgemus: Conſtitutionibus, & ordinationibus apoſtolicis, ceterìsq; contrarijs quibuſcunque non obſtantibus.

§. 3. Verum quia difficile foret præſentes noſtras literas ad ſingula loca perferri, volumus, ac decernimus, & declaramus, quòd ipſarum tranſumptis, publici Notarij ſubſcriptione, & ſigillo tuo, vel alicuius Prælati, Pontificali dignitate præditi munitis, ea vbìque fides adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi eſſent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud S. Petrum, ſub Anulo Piſcatoris, die ſexta Ianuarij, Milleſimo quingenteſimo decimo quinto, Pontificatus noſtri anno ſecundo.

Conſtit. III.

Ex Breue originali, Romæ aſſeruato in Archiuo Ordinis. num. 3.

Summarium.

Omnia priuilegia confirmantur, communicatio aliorum conceditur, & inualidæ declarantur impetrationes à Sede Apoſtolica in contrarium, niſi Prior Generalis conſentiat.

A tergo.

Dilecto filio Fratri Aegidio Viterbienſi Ordinis Eremitarum S. Auguſtini Priori Generali.

LEO PAPA DECIMVS. 1513.

Dilecte fili Salutem, & Apoſtolicam benedictionem.

§. 1. IN rerum Chriſtianarum curam vocatis, Nobis nihil viſum eſt antiquiùs, quàm vt rem diuinam, vt pietatem, vt religionem excolamus, augeamùſque; Ordinem itaque tuum Eremitarum Sancti Auguſtini, cui tu pro ſingularibus tuis virtutibus iudicio fel. rec. Iulij Secundi prædeceſſoris noſtri, & eiuſdem Ordinis tui poſtulatione præſidere coactus fuiſti, libenter amplectimur.

§. 2. Cupientes itaque præter diuini etiam cultus honorem, atque incrementum, tibi gratificari, quem ob doctrinam, ac vitæ continentiam, admirabilèmq; in ſacris concionibus habendis, & tibi (Deo dante) acquiſitam gloriam, & populo fideli vtilitatem, in viſceribus paternæ charitatis gerimus; ipſum Ordinem tuum, omniàq; priuilegia, conceſſiones, indulta,

confirmantur omnia priuilegia. dulta, exemptiones, immunitates, indulgentias, facultates, loca præterea omnia, templa, agros, fructus, alia denique omnia, atque eorum iura, tàm à Sede Apostolica, quàm à quibuscunque alijs, quauis ratione concessa, Motu proprio, & ex certa nostra scientia, deq; Apostolicæ potestatis plenitudine, rata, firma, perpetua esse volumus: & vt illæsa perpetuò sint, apostolica auctoritate approbamus, atque confirmamus. Quidquid ita concessum est hactenus, aut concedetur in posterum, siuè ab Apostolica Sede per literas plumbo signatas, vel in forma Breuium, vel quocunque alio modo, siuè ab alijs quibuscunque personis, stabilia æterna firmitate esse decernimus.

Priuilegiorum communicatio. §. 3. Communicationem quoque priuilegiorum cum alijs Ordinibus omnibus firmamus, & roboramus: volentes priuilegia nostra omnia integrè, & ad verbum, (vt sonant) plenissimè, atque inuiolabiliter vbique gentium obseruari.

Inualida sunt omnia contra priuilegia impetrata. §. 4. Si quid verò impetratum fuerit, vel hactenus, vel in posterum, vnde quidquam eorum, quæ diximus, lædendum, vel infringendum, vel quouis modo minuendum videatur, à quocunque tentatum id fuerit, siuè à Clericis, siuè à laicis, siuè à Fratribus, tàm alieni Ordinis, quàm tui, id omne delemus, improbamus, & prorsus sublatum esse constituimus.

§. 5. Quin etiam quascunque impetrationes tàm factas, quàm faciēdas, quibus vllum lædatur eorum, quæ diximus, vel eorum, quæ ad totius Ordinis, vel partium iura pertineant, vel etiam eorum, quæ in legibus, aut Regula, aut constitutionibus, aut diffinitionibus, aut consuetudinibus contineantur, à quibuscunque eorum, quas narrauimus factæ fuerint, sub quibuscunque verborum formis, & clausulis, etiam derogatorijs derogatoriarum, & alijs fortioribus, efficacioribus, & insolitis fieri contigerit, nisi tuus, vel Generalis Prioris, pro tempore existentis expressè, & canonicè scriptus appareat consensus, nullum omninò robur obtinere decernimus. Sed per has nostras literas, eas omnes impetrationes infirmamus, tollimus, nulliùsq; esse momenti volumus, decernimus, declaramus. Et quoties impetrationes tales, vel quales quacunque ratione tuo Ordini incommodo esse possent, fieri contigerit, toties eas de nouo irritas, inanes, nullas esse volumus. *Impetrationes contra constitutiones Ordinis, & consuetudines inualida sunt, tā factæ, quàm facienda.*

§. 6. Et quoniam euenire posset, quòd super his, aut ratione concessionis, aut ratione non obseruationis certarum conditionum lites aliquæ tàm super proprietate, quàm possessorio, vel alio quocunque prætenso spolio, vel quocunque modo vobis inferantur, in quacunque instantia existant; quarum status, & merita præsentibus pro expressis habentes, sub quibuscunque Iudicibus agitentur, quorum nomina, & cognomina pro expressis haberi etiam volumus; lites eiusmodi omnes, super his, quæ diximus, ad Nos aduocamus, & extinguimus, atque his perpetuum silentiū imponimus, quocunque gradu, statu, conditione illi existant, qui vexare in his vos audeāt: vos enim vt sanctis ritibus, precibúsque operam detis, pace frui cupimus non litibus, non molestijs agitari.

Impetrationes, motu proprio, contra constitutiones, inualidæ.

§. 7. Impetrationèsq; illas, quæ aduersus aliquid eorum, quæ narrauimus, factæ fuerint, à quibuscunque, & qualitercunque factæ fuerint, etiamsi Motu proprio emanarint, nisi (vt priùs diximus) fuerint, statuimus nullius esse vel roboris, vel momenti; proindèq; per præsentes nostras testamur, & declaramus per inaduertentiam, & præter Apostolicæ Sedis mentem excidisse, quæ quidem Sedes, sacra, religiosa, & quæ diuino cultui seruiunt, imperturbata, ac tutissima esse vult.

§. 8. Si quam verò excommunicationem, aut irregularitatem, censuramvè aliam vtcunque incideritis, vos per has nostras (sinè tamen tertij præiudicio) absoluimus.

§. 9. Verùm vt firmissima omni ex parte sint hæc, idcircò quidquid in præsentibus literis dedimus, concessimus, decernimus, vel constituimus, ijsdem Motu proprio, ac certa scientia nostra, & de Apostolicæ potestatis plenitudine datum, concessum, decretum, constitutum esse significamus, affirmamus, approbamus, declaramus, volumus.

§. 10. Denique transumptis harum literarum plenam fidem adhiberi vbique, etiam in iudicio sancimus, ac si earum originale exemplar ostenderetur, modò legalis Notarij manu, vel Prælati in ecclesiastica dignitate constituti, vel Religionis sigillo authenticè scripta, & obsignata sint.

Datum Romæ apud S. Petrum, sub Anulo Piscatoris, die decima Iunij, Millesimo quingentesimo decimo tertio, Pontificatus nostri anno primo.

Constit. IV.

Ex Breue originali Romæ asseruato in Archiuo Ordinis. nu. 4.

Summarium.

Confirmatur electio Aegidij Viterbiensis, & omnes diffinitiones factæ in eo Capitulo, Neapoli celebrato, quæ ab omnibus tàm de Obseruantia, quàm alijs obseruandæ sunt.

A tergo.

Dilecto filio Fratri Aegidio Viterbiensi Ordinis Eremitarum S. Augustini Priori Generali.

LEO PAPA DECIMVS. 1513.

Dilecte fili Salutem, & Apostolicam benedictionem.

§. 1. INter cetera rectè, & laudabiliter à fel. rec. Iulio Secundo prædecessore nostro facta, quæ ad diuini cultus honorem, & incrementum pertineant, illud in primis libenter approbamus, & dignum omni laude ducimus, quòd homines sæpè & literis, & Religione celebres, suorum Ordinum curæ, atque administrationi voluit præsidere. Cum verò te ex ea solitudine, in quam te, vt tibi, & Deo viueres, contuleras, & ex eo otio literario, cui totum te dederas, tanquam in actionum, & negotiorum tumultum extraxit, tibìque Augustiniani Ordinis tui regendi, & moderandi tradidit curam, nimirum ille nihil iudicauit aliud, nisi integritatem, & prudentiam summæ rerum curæ esse præficiendam, præsertim accedente singulari

sacra-

ſacrarum, bonarùmq; literarũ ſcientia, & illa admirabili, qua tu præ ceteris omnibus polles in ſacris concionibus habendis, eloquentia, tibi diuinitùs conceſſa. Cuius quidem facti, atque indicij fructus cum ipſe idem Prædeceſſor noſter ex laude omnium maximos tum Ordo tuus ab ea vtilitate, quæ inde ſecuta eſt, & vberes percepit, & in dies maiores percepturus eſt.

§. 2. Cum igitur in generali Capitulo, quod Neapoli aliàs celebratum fuit, vnanimi te conſenſu in Priorem Generalẽ Fratres tui creauiſſent, Nos eiuſdem Prædeceſſoris noſtri iudicium, de te ſecuti, & Deo Omnipotenti in eius famulis ad ipſius cultum meliùs excitandis, gratum facere cupientes; Diffinitiones, quas in eo Capitulo, vnà cum Diffinitoribus tuis condidiſtis, vt tuo Ordini ſaluberrimas, atque maximè neceſſarias approbamus, volentes Motu proprio, & ex certa noſtra ſcientia, ac de apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, vt tàm in illis, quàm in alijs quæcunque ſecundùm Ordinis tui aut leges, aut honeſtatem conſtitues, vniuerſi Religionis Fratres tibi obediant, diffinitionèsq; illas, ac decreta tua, tàm Conuentuales, quàm de Obſeruantia aſſerti Fratres tui, cuiuſcunque ſint Congregationis, ſiuè extra Italiam, vt Andreæ proles, & Hiſpaniæ, ſiuè in Italia, vt Iliceti Lombardiæ, Montis Ortoni, Peruſinæ, Genuenſis, Carbonariæ, ſine vlla exceptione inuiolabiliter obſeruent.

Cõfirmatio Capituli Generalis, & cõſtitutionũ quas oẽs Congregationes ſeruare debent.

§. 3. Te verò eadem auctoritate Priorem Generalem confirmamus, dantes tibi in Prouincias, Congregationèsq; omnes, atque in omnes Fratres, & Moniales omnem auctoritatem, quæ Generali Priori à Conſtitutionibus, Additionibus, Diffinitionibus Religionis cõceditur. Enim verò, vt ſecuriùs, firmiùsq; agas omnia quæcunque ad Reformationem, & commune Religionis bonũ acturus es, noſtram in Prouincias, Congregationes, Fratres, Moniales̀q; auctoritatem concedimus, vt reformare, inſtaurare, componere, conſtituerèq; poſſis quæcunque cõmuni vtilitati conducere videbuntur, ſcientes te hac auctoritate nonniſi modeſtè vſurum. Mandantes omnibus, ſingulìsq; Prælatis, Prouincialibus, Vicarijs cuiuſcunque Congregationis, Prioribus, Fratribus, & Sanctimonialibus Ordinis tui, vt ijs, quæ per te præcepta, mandata, & conſtituta fuerint, ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna, humiliter pareant, & religiosè obediant.

§. 4. Non obſtantibus quibuſcunque priuilegijs, indultis, conceſſionibus alicui Congregationi, ſiuè in Italia, ſiuè extra Italiam exiſtenti, ſiuè à Nobis, ſiuè ab alijs Prædeceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus, conceſſis, quocunque robore, & quibuſcunque verbis, & clauſulis, ne vnquàm infringi poſſint, munitis, etiamſi eorum mentio expreſsè facienda, & verba ſingula inſerenda eſſent: quæ omnia pro expreſſis haberi volumus, & expreſsè derogamus. Volentes, præfatum Ordinem vniuerſum Eremitarum S. Auguſtini auctoritati tuæ, qui Prior Generalis exiſtis, plenè, & ſimpliciter in omnibus, & per omnia abſque aliqua diminutione omninò ſubiacere, ceterìsq; in contrarium facientibus quibuſcunque.

Datum Romæ apud S. Petrum, sub Anulo Piscatoris, die decima Iunij, Millesimo quingentesimo decimo tertio, Pontificatus nostri anno primo.

Constit. V.

Ex Breue originali, asseruato Romæ in Archiuo Ordinis. num. 5.

Summarium.

Confirmantur priuilegia Iulij Secundi, & literis impetratis à Fratribus exeundi ab Ordine derogatur in amplissima forma.

A tergo.

Dilecto filio Aegidio Viterbiensi Sacræ Theologiæ Professori Ordinis Eremitarum S. Augustini Priori Generali.

1515. *LEO PAPA DECIMVS.*

Dilecte fili Salutem, & Apostolicam benedictionem.

§. 1. MVlta accepimus Religioni tuæ Augustinianæ tua causa, & gratia à Prædecessore nostro fel. rec. Iulio Secundo tum pro reformatione, tum pro cõseruatione fuisse concessa; accipiamùsq; illa infringi, & eisdem derogari per Officiales gerentes curam Pœnitentiariæ nostræ, seù Contradictoriarum, qui Fratribus licentiam morandi extrà Religionem retento habitu, concedunt; aut mutandi fucatis, seù friuolis rationibus, & in graue exeuntium ab Ordine animæ periculum, & Religionis tuæ præiudicium.

§. 2. Cum non minora, quàm Prædecessor noster de te Nobis repromiserimus, cupiamùsque, Religionem tuam in meliùs reformari; Motu proprio, & ex certa scientia confirmamus omnia illa indulta, & priuilegia, Religioni tuæ concessa, atque innouamus, ac si nunc concessa essent: volumùsque ea, & quamlibet eorum particulam tàm pro reformatione, quàm pro conseruatione, & generaliter concessa, effectu potiri, ac si de verbo ad verbum nũc inserta essent, & specialiter concessa. Id autem non contra Sedis Apostolicæ iura, seù gerentis curam Pœnitentiariæ nostræ, aut Contradictoriarum facimus; sed quia conseruationi Mendicantium, præcipuè tui Ordinis inuigilamus: cum omnes in Ecclesia Dei velut aurea candelabra præfulgeant, ac etiam quia ambitiosam, & inhonestam vitam exeuntiũ ab Ordine præcludere cupimus, qui, vt liberiores degant, secularibùsq; rebus se inuoluant, Sedem ipsam Apostolicam, seù gerentes curam Pœnitentiariæ nostræ, vel eius Officiales, aut Contradictoriarum circumueniunt fictis rationibus, & supplicationibus, seù importunis, mutiplicibùsq; amicorum precibus, attendentes tantùm libertati eorum, exemptioniq; ab Ordine, & à vera professionis suæ obedientiam recedentes.

§. 3. Declaramus igitur mentis nostræ esse, priuilegijs tui Ordinis, seù literis Apostolicis tibi directis, & tuo Ordini concessis, seù quibuscunque alijs tui Ordinis Officialibus, per nullos Nobis inferiores posse derogari: nec illa ab illis infringi, vel debilitari. *Priuilegia à nullo inferiore Papa irritari possunt.*

§. 4. Decernentes Motu proprio, & ex

Impetrata cõtra priuilegia, & iura nulla sunt.

& ex certa scientia, irritum, atque inane esse quidquid contra priuilegia, & iura, & apostolicas literas, tuo Ordini concessas, hucusque impetratum fuerit, seù in futurum contigerit quocunque modo impetrari.

§. 5. Ne verò proteruis relinquatur litigandi, repugnandivè locus, innouamus decretum fel. rec. Iulij de reuocatione Iudicum, etiamsi illis, qui in Romana Curia quidquam contra huiusmodi vagabundorum Fratrum coerctionem, & reuocationem concessum esset, etiamsi quis conseruatores in partibus ad se tuẽdum obtinuerit, quibus, sub pœnis vt in illis fel. rec. Iulij continetur, mandamus, ne in huiusmodi litibus se intromittant, nec huiusmodi exeuntibus ab Ordine consilium, fauorem, vel auxilium præstent sub pœnis in illis contentis.

Conseruatores non se itromittunt in causis cõtra Fratres ab Ordine exeũtes.

§. 6. Quia verò aliquando tales exeuntes ab Ordine fauore laicorũ, & secularium se defendunt, mandamus omnibus Christifidelibus, sub pœnis, & censuris, in illis literis contentis, vt nemo eorum contra tua monita, vel Prouincialium, aut aliorum tuorum Officialium, ad hoc deputatorum, illis consilium, auxilium, vel fauorem præstent, sed eos ad gremium Religionis redire hortentur.

§. 7. Cum verò accipiamus, aliquos fel. rec. Martini decretum contra Mendicantes, quod incipit, (Viã ambitiosæ cupiditatis) glossare, & illud intelligi de ijs, qui vsque ad tempus, quo factum fuit, exierunt, debere; Nos, veriori modo glossantes, declaramus, & volumus, illud intelligi de ijs, qui vsque ad illud tempus exierunt, & qui nunc exeũt, & in posterum exituri sunt, quacunque id fecerint auctoritate, nisi priùs licentiam à te obtinuerint, vel à Generali, qui pro tempore erit.

§. 8. Declaramus insuper, ac volumus, irritum, atque inane esse, & nullius roboris, vel momenti, quidquid contra Regulam, Constitutiones, leges, aut Diffinitiones, aut mores, aut vsus, aut consuetudines Ordinis tui, præcipuè ab ambitiosis graduum, qui contra ordinationes, & mores tui Ordinis illos assumunt, quos neque ambitioso nomine potiri volumus, & ad Ordinis dignitates, & officia perpetuò inhabiles declaramus.

Obtinẽtes gradus contra constitutiones, & vsum, priuantur perpetuò.

§. 9. Vt verò omnia ista plenum sortiantur effectum, volumus, & concedimus, quòd contra repugnantes possis per pœnas, & censuras ecclesiasticas procedere, inuocato etiam (si opus fuerit) auxilio brachij secularis.

§. 10. Insuper, cum dictum sit Pastoribus (Considera vultum pecoris tui) & accipiamus, Fratres tuæ Religionis, cum censuras incurrerint, secundùm tuæ Religionis ordinationes, vel Officialium inobedientiam, ab alijs extrà tuam Religionem accipere absolutionem, tùque, ac tui Ordinis Officiales ob id quales suæ oues sint, recognoscere non possint; Ideò vt per vestras leges, & Constitutiones statutum est, volumus, & mandamus, vt à pœnis, & censuris nullus tui Ordinis Frater ab alio extra tuum Ordinem (etiamsi Apostolica auctoritate muniatur) absolui possit, etiãsi talia essent illa, quæ commiserunt, quod propter illa Sedes Apostolica esset meritò consulenda, nisi tua, vel illius, qui pro tempore erit Generalis licẽtia, vel Prouincialium, quibus subditi

A cẽsuris absolui non possunt Fratres extra Ordinẽ

ſubditi erunt. Si quid verò contra præſentes literas, aut alias tibi conceſſas, aliquid impetratum fuerit, vel attentatum, vel in futurum contigerit attentari, omne id nullius roboris, vel momenti eſſe volumus, & pro infecto haberi, niſi his noſtris literis, non per generales clauſulas, ſed de verbo ad verbum (Ordine conſentiente) fuerit derogatum.

§. 11. Non obſtantibus præmiſſis, aut Apoſtolicis priuilegijs, aut literis Apoſtolicis, alijsq; quibuſcũque in contrarium facientibus, ſiuè à Sede Apoſtolica, ſiuè à quocunque alio, quauis dignitate prædito, conceſſis hactenus, aut in poſterùm concedendis, quibus, etiamſi expreſſa, ac de verbo ad verbum, aut quocunque alio modo, mentio fieri deberet, ea omnia in præſentibus pro expreſſis in ſpecie habentes, in ſpecie, expreſsèq; derogamus, ac quatenus contraria ſint, nullius omninò momenti eſſe volumus.

§. 12. Denique fidem adhiberi mandamus non modò noſtris his literis, verùm etiam earum exemplis, & tranſumptis, modò Prælati, aut Notarij alicuius ſigillo, vel ſigno obſignata fuerint.

Datum Palli Portuenſis Diœceſis, ſub Anulo Piſcatoris, die quinta Februarij, Milleſimo quingenteſimo decimo quinto, Pontificatus noſtri anno ſecundo.

Conſtit. VI.

Ex Breue originali, Romæ aſſeruato in Archiuo Ordinis. num. 6.

Summarium.

Priuilegia Mendicantibus conceſſa, in ſuo robore permanent; ſaluis moderationibus factis in Concilio generali.

LEO PAPA DECIMVS. *1517.*

Vniuerſis, & ſingulis præſentes literas inſpecturis Salutem, & Apoſtolicam benedictionem.

§. 1. SVperioribus diebus, vt Fratres Mendicantes, & alij Religioſi potiùs ab Epiſcopis, & alijs locorum Ordinarijs omni cum charitate fouerentur, quàm aliquo modo moleſtarentur, & inquietarentur, conceſſiones eiſdem Fratribus, & Religioſis in Epiſcoporum læſionem per Romanos Pontifices, & Sedem Apoſtolicam factas, in certis caſibus tunc expreſſis ſacro Lateranenſe approbante Concilio duximus moderandas.

§. 2. Verùm quia à nonnullis nimium curioſis forſan hæſitari, & diſſeminari poſſet, quòd ex dicta moderatione alia Religioſorum priuilegia eſſent annihilata, & Religioſis ex hoc moleſtiæ, grauamina, & damna inferri, ſcandaláque, & lites excitari veriſimiliter poſſent; Nos Religioſorum ipſorum paci, & quieti, ac indemnitati conſulere volentes, tenore præſentium Apoſtolica auctoritate, omnia, & ſingula priuilegia Religioſorum Mendicantium, à quibuſcunque Romanis Pontificibus prædeceſſoribus noſtris, vel à Nobis, aut alijs, auctoritatem habentibus in genere, vel in ſpecie coniunctim, vel diuiſim conceſſa (ſaluis dictis moderationibus) in ſuo robore permanere declaramus. *Confirmantur priuilegia Mendicantium.*

§. 3. Et nihilominus ad abundãtiorem cautelàm, ac gratiam, priuilegia ipſa cũ modificationibus Motu proprio innouamus; diſtrictè præcipiendo mandantes Eccleſiarum Prælatis, vt Religioſos ſuper alijs priuilegijs huiuſmodi moleſtare non

præ-

præsumant; sed sua eis iura, & priuilegia inuiolabiliter obseruent: non obstantibus præmissis, ac constitutionibus, & ordinationibus apostolicis, & omnibus his, quæ Romani Pontifices prædecessores nostri, & Nos in quibuscunque literis priuilegiorum huiusmodi voluimus non obstare; ceterisq; contrarijs quibuscunque.

§. 4. Et quia difficile foret, præsentes literas originales ad singula loca, in quibus opus foret, destinare, volumus, & dicta auctoritate decernimus, vt earum transumptis, manu Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius in dignitate ecclesiastica constituti munitis, eadem fides in iudicio, & extrà, vbicunque locorũ fuerint producta, adhibeatur, & eis stetur, sicut originalibus ipsis, si exhibitæ forent, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Petrum, sub Anulo Piscatoris, die decima quarta Maij, Millesimo quingentesimo decimo septimo, Pontificatus nostri anno quinto.

Constit. VII.

Ex Breue originali, asseruato Romæ in Archiuo Ordinis. num. 7.

Summarium.

Reuocantur concessiones, à Sede Apostolica factæ, etiam cum derogatione constitutionis Iulij Secundi, & in specie annullantur literæ, Fratri Carolo Caligario concessæ.

A tergo.

Dilecto filio nostro Aegidio tituli S. Matthæi Presbytero Cardinali, Ordinis Eremitarum S. Augustini Priori Generali.

LEO PAPA DECIMVS. 1517.

Dilecte fili noster Salutem, & Apostolicam benedictionem.

§. 1. DVdum postquàm fel. rec. Iulius Papa Secundus prædecessor noster Motu proprio, & ex certa scientia inter cetera voluerat, statuerat, & ordinauerat quascunque de domibus tui Ordinis Eremitarum factas impetrationes, ac quas in posterum sub quibuscunque verborum formis, etiam derogatoriarum derogatorijs, & alijs fortioribus, & insolitis clausulis fieri contigisset, nisi in eisdem faciendis impetrationibus Generalis, & Prouincialis Prioris dicti Ordinis pro tempore existentium expressus accederet assensus, nullum robur omninò obtinere debere illas cassando, annullando, & extinguendo, ac pro nullis, cassatis, & infectis habendo voluerat, decreuerat, & declarauerat; ac voluerat, quotiescunque cõtingeret huiusmodi impetrationes fieri, toties de nouo inanes, & irritas esse, certàsq; tunc in Romana Curia, & coram certis Palatij Apostolici causarum Auditoribus, vel extra dictam Curiam in partibus alijs Iudicibus, super certis domibus eiusdem Ordinis per certos tunc expressos nominatos impetrantes in certis tũc expressis instantijs, pendentes lites, & causas ad se aduocando, & eisdem qui illas impetrauerant, perpetuum silentium, cum certorum decretorum, etiam irritantium oppositione imponendo.

§. 2. Nos similiter, nulla forsitan de literis eiusdem Prædecessoris facta mentione, motu, & scientia similibus, ac de apostolicæ potestatis ple-

plenitudine, omnia, & singula priuilegia, & indulta, ac inter alia omnia, & singula loca, domos, templa, monasteria, membra etiam à Sede Apostolica Ordini tuo concessa approbauimus, & confirmauimus: Et siquid tunc impetratum fuisset, vel in posterũ impetraretur vnde quidquam læderetur, infringeretur, aut quoquo modo minui videretur, à quocunque tentatum id fuisset, siuè à Clericis, siuè à laicis, siuè à Fratribus etiam tui Ordinis, id omne deleuimus, improbauimus, & prorsus sublatum constituimus. Tum etiam quascunque impetrationes de & super quibuscunque prædictorum, sub quibuscunque verborum formis, & clausulis, etiam fortioribus expresfsè factas, & faciendas, informauimus, nulliùsq; roboris, vel momenti esse voluimus, decreuimus, & declarauimus, & toties quoties fieri contingeret de nouo irritas, & inanes, & nullas esse voluimus. Et quoniam euenire potuisset, quòd super illis lites aliquæ, tàm super petitorio, & proprietate, quàm in possessorio, vel Fratribus Ordinis, vel alio quocunque modo inferrentur in quamcunque instantiam existerent, illorum status, & merita, nominàque, & cognomina quorumcunque Iudicum, etiam Rotæ Auditorum, sub quibus agitarentur, pro expressis habentes, illas ad Nos aduocauimus, extinximus, atque illis perpetuum silentium imposuimus. Impetrationèsq; illas, quæ aduersus præmissa factæ forent à quibuscunque, ac qualitercunque, etiam Motu simili emanassent, nisi de simili consensu essent, statuimus nullius roboris esse, vel momenti, attestantes, & declarantes per inaduertentiam, & præter Apostolicæ Sedis, & nostram mentem processisse.

§. 3. Et deinde cum accepissemus, quòd nonnulli, etiam forsitan professi dicti Ordinis, monasteria, prioratus, domos, seù alia loca, & beneficia, etiam membra dicti Ordinis in diuersis locis, Ciuitatibus, & Diœcesibus consistentia; quæ monasteria, prioratus, domus, loca, beneficia, & membra forsitan sunt vnita, annexa, & incorporata, ac de iuribus, & pertinentijs aliarum domorũ dicti Ordinis Eremitarum S. Augustini, siuè ab illis dependent, sub prætextu quòd domorum, prioratuum, locorum, beneficiorum, & membrorum huiusmodi, Priorum, seù Rectorum, Gubernatorum, seù Beneficiatorum ad nutum amouibiliũ pro tempore electio, seù deputatio forsitan ad Priores, seù Fratres aliarum domorum, prioratuum, locorum, beneficiorum, & membrorum, & ad easdem, seù ad Generalem eiusdem Ordinis pro tempore existentem, confirmatio pertineat, certo modo vacantium sub prætextu, quòd aliqui ex dictis Fratribus asserebant, quòd quidam alij Fratres ipsius Ordinis, ex tunc dictarum domorum, prioratuum, locorum, beneficiorum, seù membrorum vltimi possessores eorundem prædecessorum Priores, seù Rectores, Gubernatores, seù Beneficiati perpetui, itaut ab illis amoueri non possent domos, prioratus, beneficia, loca, seù membra huiusmodi de per se existerent, & Apostolica auctoritate confirmati, seù deputati fuerint: & prædecessores prædicti per multos annos dictas domos, prioratus, beneficia, loca, seù membra

membra huiuſmodi reſpectiuè rexerant, & gubernauerant, cum indulto, quòd abſque rationabili cauſa, etiã iudicialiter cognita inuiti amoueri non poſſent, à Nobis, ſeù Prædeceſſoribus noſtris, aut Sede Apoſtolica impetrauerant; ſeù de nouo in Priores, Rectores, Gubernatores, ſeù Beneficiatos perpetuos eorum domorum, prioratuum, locorum, beneficiorum, & membrorum huiuſmodi ſe deputari obtinuerant, cum earundem forſitan Iulij prædeceſſoris, & noſtrarum literarum prædictarum expreſſa derogatione, & præmiſſorum vigore forſitan lites, ſeù cauſæ coram diuerſis Iudicibus, & Commiſſarijs, tàm in partibus, quàm etiam in Romana Curia, etiam coram certis Palatij Apoſtolici cauſarum Auditoribus, ad ipſius, & prætenſorum Fratrum inſtantiam inter Congregatos, ſeù alios Fratres Priores, & Conuentus forſitan domorũ, à quibus dicta prætẽſa domus, prioratus, beneficia, loca, ſeù membra huiuſmodi dependent, commiſſæ dicebantur, & adhuc indeciſæ tunc reperiebantur pendere.

§. 4. Nos tunc prout & nunc conſiderantes nunquam geſſiſſe Nos in animo de domibus, monaſterijs, nuncupatis prioratibus, beneficijs, locis, ſeù membris prædictis in eorundem, & prætenſorum Fratrum hominum Nobis forſitan prorſus ignotorum fauorem diſponere, & ſupplicationes, quæ pro eis ſignatæ exiſtunt, præter, & contra mentem noſtram à Nobis, in alijs occupatis, vel in præſentia noſtra per errorem, & (vt veriùs dicatur) contra mentẽ, & intentionẽ noſtram ſignatas fuiſſe, nullùmq; exinde ob huiuſmodi intentionis noſtræ defectum, præfatis, & prætenſis Fratribus, in dictis domibus, monaſterijs, nuncupatis prioratibus, beneficijs, locis, ſiuè membris huiuſmodi, vel ad illa potuiſſe, neque debuiſſe ius acquiri. Et propterea æquum eſſe arbitrantes, vt quod per errorem eſſet geſtum è medio ſublato, virtute reperta, atque concepta, nullus indebitè moleſtaretur, & tàm per Iulium prædeceſſorem, quàm per Nos ſtatuta ſuum plenum ſortirentur effectum, & dictis etiam prætenſis Fratribus, vel quibuſuis alijs etiam, qui forſan eiſdem in dictis erroneis conceſſionibus mediatè, vel immediatè ſucceſſerunt illorum prætextu quemquam moleſtandum tolleretur occaſio; ſimilibus Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac de apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, non ad tuam, vel cuiuſuis alterius pro te Nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiã, ſingulas tàm dicti Iulij prædeceſſoris, quàm noſtras literas prædictas cum omnibus, & ſingulis in eis contentis clauſulis, confirmantes, & innouantes conceſſiones de domibus, monaſterijs, nuncupatis prioratibus, beneficijs, locis, ſiuè membris prædictis in titulum, vel aliàs dicti Ordinis prætenſis Fratribus, per Nos (vt præmittitur) factas tanquàm per errorem, & non ſolùm præter, ſed etiam contra mentem, & intentionẽ noſtram expreſsè receptas, & ſignatas, ac literas forſan deſuper expeditas, proceſsùsq; habitos per eaſdem, & alia inde ſecuta quæcunque caſſauimus, reuocauimus, & annullauimus, ſeù potius caſſa, irrita, reuocata, & nulla ab initio fuiſſe, & eſſe nunciauimus, ac quatenus expediret

cauſas

cauſas forſitan ſuper ijs motas, & mouendas ad Nos aduocauimus, & lites prædictas in quocũque ſtatu ſint penitùs extinguentes, præfatis etiam prætenſis Fratribus, ac omnibus, & ſingulis, qui forſan eiſdem mediatè, vel immediatè in dictis eiſdem factis conceſſionibus ſucceſſerũt ſuper dictis monaſterijs, prioratibus, domibus, beneficijs, locis, ſeù membris huiuſmodi, perpetuum ſilentium impoſuimus. Decèrnentes eas literas ad plenè probandum omnia, & ſingula ſupradicta tàm in iudicio, quàm extra ſufficere, nec ad id alterius probationis adminiculũ requiri, ac eaſdem de ſubreptionis, & obreptionis, ſeù intentionis, aut alio defectu impugnari non poſſe, nec debere. Sìcq; etiam, & non aliter per quoſcunque Iudices, & Commiſſarios, etiam cauſarum dicti Palatij Auditores in quãuis inſtantiam iudicari, pronunciari, & diffiniri debere: Necnon irritum, & inane ſi ſecus ſuper ijs à quoquam quauis auctoritate ſub quibuſcũque verborum formis quocunque ſcienter, vel ignoranter attentatum tunc forſan fuiſſet, vel in poſterum contingeret attentari etiam decreuimus, & alia fecimus, prout tàm in eiuſdem Iulij prædeceſſoris, quàm noſtris deſuper in forma Breuis confectis literis, quarum tenores, ac ſi de verbo ad verbum inſererentur, pro ſufficienter expreſſis haberi volumus, plenius continetur.

§. 5. Succeſſiuè verò per nos accepto, quòd idem Iulius prædeceſſor iniquitatis filium Fratrem Carolum de Caligarijs, ſiuè de Podeuerino dicti Ordinis profeſſum, in Priorem domus S. Auguſtini de Vigono Ordinis prædicti Taurinenſis Diœceſis, per illius Fratres, & Conuentum (vt aſſerebatur) electum, confirmauerat, ac de nouo ad ipſius Fratris Caroli vitam, cum indulto vt exinde amoueri non poſſet, deputauerat; tùque licèt confirmationi, & deputationi prædictis antea conſenſiſſes, poſtea tamen ex certis rationabilibus cauſis, tuum conſenſum reuocaueras.

§. 6. Nos confirmationem, & deputationem prædictas, per Iulium prædeceſſorem factas, eiùsq; deſuper confectas literas caſſauimus, & annullauimus; dictùmq; Fratrem Carolum à dicto Prioratu, ſeù domo amouimus, ac tibi vt alium dicti Ordinis profeſſum in dicto prioratu ponere, inſtituere, ac deputare liberè, & licitè poſſes licentiã conceſſimus, prout in alijs noſtris deſuper etiam in forma Breuis cõfectis literis, quarum tenores ac ſi de verbo ad verbũ inſererentur, pro ſufficienter expreſſis haberi etiam voluimus, plenius continetur.

§. 7. Cum autem ſicut nuper accepimus dudum poſtquàm tu vigore dictarum literarum noſtrarum, vltimò tibi conceſſarum, ac dicto Fratri Carolo intimatarum, ipſum Fratrem Carolum à dicto prioratu amoueras, aliùmq; inibi Priorem inſtitueras; idẽ Carolus interpoſitam ad Nos (vt aſſerebat) appellationem, minimè proſecutus, dictòq; prioratu ab alio per te inſtituto Priore iam per annũ, & circa pacificè poſſeſſo quieſcere omninò non valens, quaſdam à Nobis circumuentis, & id ignorantibus, in quibus nullam de veſtris Prioribus ipſum amouentibus literis mentionem fecit, ſed falsò ſe pacificum poſſeſſorem narrauit.

§. 8. Et propterea quoſdam Iudices

dices in partibus, qui ei desuper omni, etiam seculari auxilio, assisterent Iudices impetrabat literas, extorsit, eisq; fretus, ad laicales fauores confugiens, manu armata dictam domũ violenter irruperat, seq; in ea intruserat, prout intrusus est de præsenti; & licèt tu tàm per Apostolica per Nos tibi concessa, quàm tua Generalatus auctoritate dilecto filio Magistro Lazaro Nouariensi Magistro in Theologia, & dicti Ordinis in Prouincia Lombardiæ Prouinciali inter cetera dicti Ordinis reformationem commiseris, & mandaueris, vt dictũ Fratrem Carolum à dicto Prioratu Vigoni effectualiter expelleret, ac remoueret, idq; tàm dictus Prouincialis, quàm etiam dilecti filij moderni Diffinitores dicti Ordinis, & Prouinciæ, ipsi Carolo præceperint: Nihilominùs idem Carolus vafri animi vir, & in suos Superiores contra Domini præceptum recalcitrans, suæq; salutis, & iuratæ obedientiæ immemor, appellatione à præceptis prædictis de nouo ad Nos, & Sedem Apostolicam (vt etiam accepimus) interposuit, quasi Nos inobedientiam, & rebelles animos protegamus, aut Religionem professis, contra Religionem, & eorum Superiores simus auxilio, quod ne dictus Carolus, aut quiuis eius similes à Nobis sperare audeant.

§. 9. Nos illud etiam prouidè attendentes, quod dicto Carolo olim in eius deputatione, licèt tuus, vtpotè hominis à Prouincia illa remoti, & grauioribus curis occupati, & fortè nonnullis dicti Caroli, tunc vigentibus, nunc autem extinctis virtutibus permoti, consensus accesserit; tamen Prouincialis tunc existentis, & de propinquo rem meliùs perspicientis, assensus defuit, quòdq; tu (sicut etiam accepimus) non ipsum modò Carolum, sed omnes omnium tui Ordinis domorum Priores forsan antea perpetuos etiam de generalissimi Capituli dicti Ordinis, in Ciuitate Arimini nouissimè celebrati, assensu & voluntate, reuocasti, & amouibiles illos esse voluisti. Propterea Motu, & scientia similibus, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, non ad tuam, vel cuiusuis alterius super hoc pro te Nobis oblatæ petitionis instantiam, literas assistentibus Iudicibus prædictas, & alias quascunque per dictum Fratrẽ Carolum desuper impetratas, & impetrandas, illarum tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, etiã nomina, & cognomina, ac qualitate Iudicum, quibus dirigebãtur, vel qui in eis deputarentur, statùmq; causæ huiusmodi forsan coram eis introductæ, & in illis citra tamen conclusionem fuerit processum, & appellationem huiusmodi per dictum Carolũ vltimò interpositam à dicto Prouinciali delatum, causàq; huiusmodi appellationis in Romana Curia, vel extra eam commissa, & introducta fuerit, ad Nos aduocamus, litèsq; ipsas tàm motas, quàm mouendas, commissas, & committendas penitùs extinguimus, silentiùmq; perpetuũ eidem Carolo tàm super causis, & litibus huiusmodi, quàm super dicto Prioratu imponimus: Decernentes prædictas literas ad plenè probandũ omnia, & singula supradicta tàm in iudicio, quàm extra sufficere, nec ad id alterius probationis adminiculũ requiri, ac easdem de subreptionis, obreptionis, seù intentionis, aut alio

defectu impugnari non posse, nec debere. Sicq; etiam, & non aliter per quoscunque Iudices, & Commissarios, etiam causarũ dicti Palatij Auditores in quauis instantia iudicari, pronuntiari, & diffiniri debere: necnon irritum, & inane si secus super ijs à quoquam quauis auctoritate sub quibuscunque verborũ formis quomodocunque scienter, vel ignorãter attentatũ tunc forsan fuisset, vel in posterum contigerit attentari. Mandantes quoque sub excommunicationis latæ sententiæ, & maledictionis æternæ pœna ipso facto, si contrauenerint, incurrenda tam eidem Carolo, vt statim visis præsentibus, quarum intimationem per affixionẽ in valuis dictæ domus S. Augustini de Vigono cum copiæ dimissione, valere decernimus, ex dicto Prioratu recedat, dictùmq; Prioratum, quem occupat, coram Notario, & testibus realiter dimittat, & relaxet, & ad obedientiam tuam, ac Prouincialis prædicti reuertatur, quàm etiam vniuersis Fratribus dictæ domus, vt tibi, ac Prouinciali prædicto, & per te, vel eundem Prouincialem posito, vel ponendo Priori, non autem Carolo reuerentiam, & obedientiam præstent, & suos Superiores tandem ad cor reuersi, agnoscant, deq; infidelitatis, ac peruicaciæ via in salutis viam (regula comite) regrediantur. Vniuersitati verò, & hominibus dictæ terræ Vigoni, ac circumuicinis etiam sub eadẽ pœna inhibemus, ne dictis Carolo, & ceteris Fratribus dictæ domus, quandiu extra obedientiam tuam, ac dicti Prouincialis fuerint, vllum alimentum, auxilium, consilium, vel fauorẽ præstare præsumant. Et nihilominus vniuersis, & singulis, præsertim Prouinciæ Lõbardiæ Archiepiscopis, Episcopis, Prælatis, Abbatibus, Prioribus, ac ceteris personis in dignitate ecclesiastica constitutis, quoad Episcopos videlicet, sub suspensionis duntaxat; quo verò ad non Episcopos, etiam excommunicationis pœna mandamus, quatenus statim, & quoties pro tua, vel Prouincialis prædicti parte fuerint requisiti, vel aliquis eorum fuerit requisitus, & postquàm ei de intimatione præsentium, etiam per affixionem vt supra facta, constiterit, eosdem Carolũ, & vniuersos dictæ domus Fratres, & professos, necnon Vniuersitatem, & homines Terræ Vigoni prædictos, nisi infra triduum ab affixione prædicta computandum, se paruisse docuerint, excommunicatos, & æterna maledictione damnatos publicè declaret, & publicari faciat, eòsque, & loca, ad quæ eos declinare contigerit, ecclesiastico submittat interdicto, auxilìumq; brachij secularis contra ipsos implorando; eisdẽ verò si postmodum ad obedientiam reuertantur, absolutionis beneficium de tuo, aut Prouincialis prædicti cõsensu, & non aliàs, impendat. Non obstantibus præmissis, necnon omnibus illis, quæ dictus Iulius prædecessor in suis, & Nos in singulis nostris literis voluimus non obstare.

Datum Romæ apud S. Petrum, sub Anulo Piscatoris, die duodecima Nouembris, Millesimo quingentesimo decimo septimo, Pontificatus nostri anno quinto.

Constit. VIII.

Ex Breue originali, Romæ asseruato in Archiuo Ordinis. num. 8.

Sum-

Summarium.

Commendatur Gabriel Venetus Gubernatoribus in Ecclesiæ dominio; Prælatis verò sub pœna excommunicationis præcipitur, quatenus sint illi in auxilium requisiti.

1521. *LEO PAPA DECIMVS.*

Vniuersis, & singulis, ad quos hæ literæ nostræ peruenerint, Salutem, & Apostolicam benedictionem.

§. 1. DIscessit à præsentia, atque alma Vrbe nostra dilectus filius Gabriel Venetus Ordinis Eremitarum S. Augustini Prior Generalis, vir literarum scientia, ac morum, & vitæ integritate præditus, Nobìsq; admodum probatus, de commissione nostra visitaturus monasteria, & loca Ordinis sui tàm in Italiam, quàm fortasse extra Italiam existentia, qui quoniam per se satis non potest, vt intendat ea auctoritate, qua oporteret, ad emendationem, & correctionem Fratrum suorum, quam rem iniunximus ei, & expresè mandauimus, vt omni studio, & vigilãtia prosequatur: & propter rei naturam facilè accidere poterit, vt alieno etiam secularium auxilio, & fauore indigeat.

§. 2. Idcircò Nos cupientes, vt ne quid ei desit ad eiusmodi munus perfectè, quantum fieri poterit, & cumulatè obeundum; deuotionem vestram hortamur in Domino, nostris verò, & S. R. E. mediatè, ac immediatè subiectis Capitaneis, & Ductoribus gentium armigerarum, Ciuitatum, & Prouinciarum Legatis, Nuntijs, Commissarijs, Gubernatoribus, Præsidentibus, eorùmq; Locatenen, Barisellis, ac Magistratibus, & Officialibus: Præterea Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & Prælatis ecclesiasticis quibuscunque in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub excommunicationis pœna præcipimus, & mandamus, vt eidem Gabrieli Generali, quoties per eum requisiti fuerint in causa huiusmodi emendationis, & correctionis, etiãsi pro honore Dei, & Religionis suæ, pròq; aliqua debita satisfactione nostra procedere voluerit contra Fratrem aliquem quantumuis graduatum, vel qui actualiter insisteret obsequijs alicuius Prælati, omni fauore, & auxilio assistant, etiam cum idonea, & sufficienti subministratione brachij secularis: æquum enim, & conueniens est, vt Religio omni humana ope, & præsidio sit communita. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscunque.

Gabriel Venet⁹ commẽdatur in actu sue Visitationis, tàm in Italia, quàm extra.

Datum Romæ apud S. Petrum, sub Anulo Piscatoris, die nona Maij, Millesimo quingentesimo vigesimo primo, Pontificatus nostri anno nono.

Constit. IX.

Ex Breue originali, Romæ asseruato in Archiuo Ordinis. num. 9.

Summarium.

Festum S. P. Augustini debet celebrari sicut festa Apostolorum, iuxta Constitutionem Sixti Quarti, & Alexandri Sexti.

LEO PAPA DECIMVS.

Vniuersis, & singulis præsentes literas inspecturis Salutem, & Apostolicã benedictionem.

§. 1. ACcepimus, quòd licèt Sanctorum fauor apud

Deum pro humani generis ſalute neceſſarius maximè ſit,& fel.rec. Sixtus Papa Quartus prædeceſſor noſter proinde conſiderans Beatiſſimi Auguſtini de fide orthodoxa plurima, & inſignia merita, eius feſtum perpetuis temporibus ex tunc futuris à Chriſtifidelibùs cũ ceſſatione eo die ab omni opere ſicuti cuiuſuis Apoſtoli feſtum vbìque coli, & celebrari debere ſtatuerit, & ſub excommunicationis ſententia præceperit; & deinde piæ mem. Alexander Papa Sextus etiam prædeceſſor noſter eadem conſideratione motus, ſtatutum, & præceptum huiuſmodi innouauerit, & approbauerit, prout in eorũ inde confectis literis pleniùs continetur: tamen in aliquibus Orbis partibus, præſertim in Prouincia Prouinciæ,in qua plures Fratrum Eremitarũ Ordinis eiuſdem Sancti domus exiſtũt, ſtatutum, & præceptum prædicta in eorum, qui id audent, animarũ perniciem, Omnipotentis Dei, qui venerari voluit in Sanctis ſuis,indignationem, & Apoſtolicæ auctoritatis contemptum, violare præſumunt.

§. 2. Quare Nos, qui cum vniuerſa militanti Eccleſia in eiuſdem Sancti ſpiritualibus plantis, quas ad Chriſtianæ Religionis præſidiũ iam ab inde conſueuit, in dies reficimur, volentes ſuper his ſalubriter prouidere, ex certa noſtra ſcientia, auctoritate Apoſtolica, ſtatutum, & præceptum, ac literas Sixti, & Alexandri prædeceſſorum huiuſmodi approbamus, & innouamus, ac vniuerſos,& ſingulos vtriuſque ſexus Chriſtifideles vbilibet,& præcipuè in dicta Prouincia conſtitutos hortamur in Domino, & monemus, eìsq; in virtute ſanctæ obedientiæ,& ſub excommunicationis ſententiæ pœna diſtrictè præcipiendo mandamus, vt ex nunc de cetero in perpetuum Feſtum S. Auguſtini prædictum, qui vnus ex quatuor Eccleſiæ Doctoribus,quorũ Officium maius duplex ex ordinatione Pontificum exijt, ſicuti cuiuſuis Apoſtoli colant ſolemniter, & obſeruent, abſtineàntq; eo die penitùs ab omni opere, in feſtis Apoſtolorũ exerceri prohibito. Non obſtantibus conſtitutionibus,& ordinationibus Apoſtolicis, ceterìsq; contrarijs quibuſcunque. *Feſtum S. Auguſtini, Duplex maius, & tanquã feſtum vnius Apoſtoli celebrãdum.*

§. 3. Denique fidẽ adhiberi mandamus non modò noſtris his literis, verum etiam & earum exemplis,ſeù tranſumptis, modò Prælati in dignitate eccleſiaſtica cõſtituti ſigillo munita, & Notarij alicuius publici manu ſignata fuerint.

Datum Romæ apud S. Petrum, ſub Anulo Piſcatoris, die quinta Aprilis, Milleſimo quingenteſimo decimo quinto, Pontificatus noſtri anno tertio.

Conſtit. X.

Ex Breue originali Romæ aſſeruato in Archiuo Ordinis. nu. 10.

Summarium.

Confirmantur priuilegia Iulij Secundi,& Martini Quinti contra exeuntes ab Ordine, & occupantes illius bona.

A tergo.

Dilecto filio Fratri Aegidio Viterbienſi Ordinis Eremitarum Sancti Auguſtini Priori Generali.

LEO

1514. LEO PAPA DECIMVS.

Dilecte fili Salutem, & Apostolicam benedictionem.

§. 1. LIcèt sponte nostra inclinati magnopere simus, vt quæ ad Ordinum Religiosorum decus, vtilitatem, & ornamentum accommodata sunt, libenter, promptèq; faciamus; tamen fit animus noster, voluntàsq; paratior, cum eorum, qui ipsis Ordinibus præfecti sunt, virtute, ac diligentia ad benè Religiosis consulendum, inuitamur. Quare cum te, quem præter ceteras & animi, & ingenij dotes, hoc etiam singulari dono decorauit Altissimus, vt esses ei in omni genere famulatus, & ad populum præceptis Euangelicis copiosissimè, atque ornatissimè exponendis, maximo concursu, & vtilitate fidelium, & ad Fratres tuos generali cura totius Ordinis integerrimè, ac summa cum industria administranda aptissimus, & omniũ commendatione maximè celebris, etiam videamus de salute, & tranquillitate gregis, & Ordinis tibi commissi solicitum; iustissimis tuis precibus, ac meritis adducti, libenter nostræ, & Apostolicæ auctoritatis firmamentum ijs, quæ tibi per Prædecessores nostros concessa sunt, adijcimus.

§. 2. Ac in primis quidem, vt obuiam eamus nonnullis, quos audiuimus, tua, vel Ordinis tui, vel loca, vel iura, vel Fratres vexare, nec nostris, prædecessorùmq; nostrorum Romanorum Pontificum scriptis, priuilegijsque, Ordini tuo concessis (vt meritò deberent) parere; quorum temeritatem, & importunum ausum vel retundendum, vel omninò comprimendum duximus. Quamobrem cum Religioni tuæ Eremitarum S. Augustini multa tui causa concesserimus, vel confirmauerimus, ac optemus, vt quæ spiritualia sunt, per multorum fidelium mentes quã cumulatissimè diffundantur: Idcircò statuimus, vt quidquid Indulgentiarũ, & gratiæ Fratribus, Monialibus, Mantellatis, Corrigiatis concessum est, id omne vtrique sexui cõcessum intelligi, viris scilicèt, atque mulieribus, modò à Generali, vel Priore, vel Rectore alicuius loci Ordinis auctoritate, gratiæ assequendæ facultatem obtinuerint.

Indulgentiæ, & gratiæ concessæ intelligũtur oẽs vtriusque sexus.

§. 3. Et quoniam omnes tui Ordinis tàm res, quàm personas, immediatè sub Apostolica Sede esse volumus; idcircò mandamus omnibus Christifidelibus, vt nemo bona Ordinis vestri vel occupare, vel vexare audeat, quod tàm de personis prædictis, quàm de locis, conuentibus, possessionibus, & alijs quibuscunque rebus, ad loca, personasvè pertinentia intelligi volumus, siuè pecunia, siuè mobilia ea sint. Et si vel occupantes, vel vexantes à Fratribus tuis moniti, non integrè per tridui spatium omnia restituerint, aut vexare omninò destiterint, excommunicationis nodos incurrere, à qua absolui, nisi à Sede Apostolica, & in mortis articulo non possint.

Personæ Ordinis immediatè sub Sede Apostolica.

Occupãtes bona Ordinis admoniti per triduũ non restituerint sunt excõicati.

§. 4. Quòd si seculares vestro Mari magno, vel cuiquam concessionum vestrarum contraire temerè audeant, pro excommunicatis publicari volumus. Si Clerici, præter censuram supradictam, dignitatibus, & beneficijs ecclesiasticis priuatos esse, eaq; liberè impetrari posse decernimus.

Agẽtes contra Mare magnũ, & alias cõcessiones pro excõicatis habeantur.

§. 5. Confirmamùsq; quidquid de Apoſtatis, vel Ordinem exeuntibus, quod quidem volumus interpretari, & intelligi tàm de ijs, qui hactenus Ordinem ipſum exierint, quàm de ijs, qui in poſterum fortaſſe exituri ſunt, tàm per fel. rec. Martinũ Quintum, quàm per Iulium Secundum prædeceſſores noſtros per literas apoſtolicas veſtro conceſſum eſt Ordini, aliàq; omnia, & ſingula, quæ in quinternione Maris magni, ſeù in quibuſuis alijs literis apoſtolicis, eidem Ordini conceſſis, continentur.

§. 6. Præterea, vt omnia quàm firmiſſima ſint, quæ vobis eadem Sede elargita ſunt, Motu proprio, & ſcientia, atque de plenitudine poteſtatis volumus, ſtatuimus, decernimus, vt hæc veſtra conceſſio, & quæcunque alia, vel tibi, vel tuo Ordini facta, ſiuè per ſe, ſiuè per communionem, quam fecimus cum alijs Ordinibus, & Congregationibus, eandem omninò vim, atque efficaciam perpetuò habeant tàm in iudicio, quàm extrà iudicium, quàm ſi plumbeo ſigillo obſignatæ eſſent, haberent: quod intelligi volumus tàm de ijs, quæ in forma Breuis, quàm de ijs, quæ per ſupplicationẽ expedita ſunt, in quibus placuit, vt ſola ſignatura ſufficeret. Quamobrem tàm omnibus præmiſſis, quàm quæcunque alia fuerũt tuo Ordini vtcunque conceſſa, ſiuè ipſa exemplaria, ſiuè eorum trãſumpta oſtendãtur, Prælati alicuius, aut publici Notarij manu ſignata, aut etiam Generalis Ordinis ſigillo firmata, eodem Motu, ſcientia, & poteſtate decernimus, mandamùſque eadem omninò & vim eis ineſſe, & fidem adhiberi, ac ſi plumbi ſignum haberent. Quòd ſiquis huic noſtro decreto, ac conceſſioni, aut cuiquam aliarum, quæ tuo Ordini (vtcunque factæ ſunt) contraire, aut minus integrè cedere, & parere auſus ſit, volumus, vt eandem pœnam incurrant.

§. 7. Irritum, caſſum, atque inane faciendo quidquid contra hanc conceſſionem, aut contra quamcunque aliam, vtcunque Ordini veſtro factam, etiam quidquid leges, aut Regulam, aut Conſtitutiones, aut Diffinitiones, aut mores Ordinis tui, ſiuè à Fratribus, ſiuè à Congregationibus, ſiuè à ſecularibus, ſiuè ab eccleſiaſticis perſonis, vel in hunc vſq; diem, vel in poſterum impetratum, vel attentatum fuerit, etiamſi ab Apoſtolica Sede expreſsè cõtra hoc quidquam conceſſum fuerit: quod omne nullius momenti, & pro infecto haberi volumus, niſi his noſtris literis non per generales clauſulas, ſed de verbo ad verbum (Ordine conſentiente) derogatum fuerit.

§. 8. Non obſtantibus præmiſſis, aut apoſtolicis priuilegijs, literis, cõſtitutionibus, & ordinationibus, alijsq; quibuſcunque in contrarium facientibus, ſiuè à Sede Apoſtolica, ſiuè à quocunque alio, quauis dignitate prædito, conceſſis hactenus, aut in poſterum concedendis: Quibus etiamſi expreſſa, ac de verbo ad verbum, aut quocunque alio modo mẽtio fieri deberet, ea omnia in præſentibus pro expreſſis in ſpecie habentes, in ſpecie, expreſsèq; derogamus, ac quatenus contraria ſint, nullius omnino momenti eſſe volumus. Quòd ſiquis his fidem non adhibuerit, aut non pleniſſimè acquieuerit, pœnam ſubeat, quam ſupra conſtituimus.

Datum

Datum Romæ apud S. Petrũ, sub Anulo Piscatoris, die sexta Maij, Millesimo quingentesimo decimo quarto, Pontificatus nostri anno secundo.

Constit. XI.

Ex Breue originali Romæ asseruato in Archiuo Ordinis, num. 11.

Summarium.

Confirmatur electio Gabrielis Veneti, & Diffinitiones Capituli Generalis, Venetijs habiti, ab omnibus Fratribus, etiam Congregationũ seruandæ sunt.

A tergo.

Dilecto filio Gabrieli Priori Generali Ordinis Eremitarum S. Augustini.

1519. *LEO PAPA DECIMVS.*

Dilecte fili Salutem, & Apostolicam benedictionem.

§. 1. EXponi Nobis nuper fecisti, quòd proximè elapsis diebus in Sancti Stephani Venetiarum Ordinis Fratrum Eremitarũ Sancti Augustini, cuius Prior Generalis existis, Capitulum generale iuxta morem dicti Ordinis solemniter celebrasti, in quo quamplura ad Dei, Religionìsq; tuæ laudem, decorem, ornamentum, & dignitatem pertinentia, vnà cum Diffinitoribus Capituli (prout moris est) tractauisti, & ordinasti; & propterea Nobis humiliter supplicari fecisti, vt in eodẽ Capitulo per te (vt præfertur gesta, & decreta huiusmodi confirmare, & approbare, ac illis robur Apostolicæ firmitatis adijcere, aliàsq; in præmissis tibi oportunè prouidere de benignitate Apostolica dignaremur.

§. 2. Nos igitur cõfidentes, quòd quæ in ipso Capitulo egeris, tractaueris, constitueris, ob tuam singularem prudentiam, & doctrinam, ac assiduum studium ad religionẽ Christianam, & fidem, rectè acta, & laudabiliter sint, sperantes Ordinem istum Eremitarum S. Augustini, quẽ peculiari affectu paternæ charitatis nostræ prosequimur; Te ei præsidẽte, & moderante in dies maiora virtutis, pietatis, & morum, in primìsq; Religionis incrementa suscepturũ, tuis in hac parte supplicationibus inclinati, Motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine acta quæcunque, Decreta, Constitutiones, Ordinationes, Diffinitiones, siuè Regulas in huiusmodi Capitulo à te quomodocunque facta, decreta, & edita: quæ quidem in Dei laudem, & emendationem, ac salutem tui Ordinis redundent, atque aliàs necessaria, & vtilia, nec sacris Canonibus contraria existant, harum serie confirmamus, & approbamus. Volentes eisdẽ Motu, scientia, potestate, & decernentes, vt tàm in illis, quàm in alijs quæcunque secundùm Ordinis tui aut conseruationem, aut honestatẽ constituisti hactenus, aut in posterum constitues, vniuersi eiusdem Ordinis Fratres, & personæ tibi obediant.

§. 3. Decreta insuper, & Constitutiones huiusmodi, tàm Conuentuales, quàm de Obseruantia asserti cuiuscunque Congregationis sint, siuè extra Italiam, vt Andriæ proles, & Hispaniarum, siuè in Italia, vt Iliceti, Lombardiæ, Montis Ortoni, Perusinæ, Ianuensis, Carbonariæ, *Omnes Congregationes tenẽtur obseruare constit. Capituli Generalis Venetijs habiti.*

Dul-

Dulceti, Apuliæ, inuiolabiliter ſine vlla exceptione in perpetuum obſeruent, & obſeruare teneantur.

§. 4. Nos verò eadem auctoritate, te in tui Ordinis Priorem Generalem confirmantes, damus tibi in Prouincias, Congregationèsq; omnes Ordinis eiuſdem tui, atque in omnes Fratres, & Moniales omnem auctoritatem, & poteſtatem, quæ Generali Priori, à Conſtitutionibus, additionibus, diffinitionibus Religionis conceditur.

§. 5. Et quia nihil magis conducere videtur ſaluti, conſeruationìq; Ordinis, quàm ſi eius membra, & partes, prout honeſtas, & inibi viuēdi norma requiſierit commodè, rectèq; reforment, eiſdem Motu, & ſcientia volumus, & mandamus, vt quas ſupra nominauimus Religionis partes, & membra quæcunque curatione indigere compereris, ſalubri, & aliàs neceſſaria reformatione adhibita emendes, & ad Decretorum, Conſtitutionùmq; Ordinis veram, & laudabilem formam redigas, & inſtituas, ſuper quo noſtram etiam tibi ampliter auctoritatem concedimus. Mandantes omnibus, & ſingulis tui Ordinis Prouincialibus, Vicarijs, Prioribus, Fratribus, alijsq; quibuſcunque perſonis, Auguſtinianum Ordinem profitētibus in virtute ſanctæ Obedientiæ, ac ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna, quam contra tranſgreſſores, contumaces, & inobedientes ferimus in ſcriptis, vt in his, & quæ hactenus (vt præmittitur) conſtituiſti, diffiniſti, decreuiſti, cauiſti, præcepiſti, emendaſti, reformaſti, & quæ deinceps te ad Omnipotentis Dei laudem, & dictæ Religionis tuæ ſalutarem diſciplinam, & normam conſtituere, diffinire, cauere, præcipere, emendare, decernere, reformare contigerit, debitam tibi obedientiam, & reuerentiam præſtent, non dubitantes te quidem pro virtute, & conſuetudine tua ijs noſtris facultatibus, & auctoritate nonniſi modeſtè, & neceſſariò vſurum eſſe.

§. 6. Non obſtantibus quibuſcūque priuilegijs, indultis, & literis, Congregationibus præfatis, vel alicui ipſarum ſiuè in Italia, ſiuè extrà Italiam exiſtenti, à Romanis Pontificibus prædeceſſoribus noſtris, atque etiam fortaſſe à Nobis ſub quibuſuis verborum formis conceſſis, quotcunque robore, & quibuſcunque clauſulis, ne vnquam infringi poſſint munitis; Quibus etiamſi de ijs, eorùmq; totis tenoribus integra, expreſſa, & indiuidua, non autem per clauſulas generales, mentio facienda eſſet, eorum omnium, & ſingulorum tenores hìc pro ſufficienter expreſſis habentes, eiſdem Motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine derogamus, ceterìsq; contrarijs quibuſcunque.

Datum Romæ apud S. Petrum, ſub Anulo Piſcatoris, die decima nona Iulij, Milleſimo quingenteſimo decimo nono, Pontificatus noſtri anno ſeptimo.

MAR-

MARTINI QVINTI.

Constit. I.

Ex Bulla originali cum sigillo plumbeo, quæ Romæ asseruatur in Archiuo Ordinis. num. 1.

Summarium.

Non possunt Fratres transferre se ad Ordines Monasticos sub pœna excommunicationis, Carthusiensi duntaxàt excepto.

1418. *MARTINVS EPISCOPVS Seruus Seruorum Dei.*

Ad futuram rei memoriam.

§. 1. VIAM ambitiosæ cupiditatis, Religiosis potissimè Mendicantibus præcludere cupientes, ad alios Ordines, præsertim Monasticos, fucatis tamē coloribus asserentibus ob frugē melioris vitæ, aut arctioris obseruantiæ, tàm Sancti Benedicti, quàm Cisterciensium, Camaldulensium, Vallis vmbrosæ, Canonicorum Regularium Sancti Augustini, vel aliorum Monasticorum Ordinum conuolare nitentibus, licentiam à Sede Apostolica, seù Legatis, aut Nuntijs eiusdem Sedis de transferendo se à Mendicantium Ordinibus, ea ratione præsertim, vt verisimiliter, prout facti euidentia docet, est putandum, quòd liberiùs degant, dignitatésque, & beneficia Monastica consequi valeant, & ex certis alijs causis, honestati non consonis, obtinentibus; ac volentes conseruationi Ordinum Mendicantium etiam prouidere, auctoritate apostolica ex certa scientia, tenore præsentium declaramus, ac decernimus; statuentes, quòd de cetero nullus Religiosus de Ordinibus Mendicantium quorumcunque cuiuscunque status, conditionis, vel Religionis existat, quomodocūque, aut qualitercunque possit, vel debeat, virtute cuiuscunque licentiæ, ac indulti, Apostolica, seù Pœnitentiariæ nostræ curam gerentis, vel alia quauis auctoritate hactenus, etiam per Bullas Apostolicas facultatem quarumuis tàm Legatorum, & Nuntiorum Sedis præfatæ, necnon Pœnitentiariæ huiusmodi pro tempore curam gerentis, quàm aliorum quorumcunque sub quauis potestate, aut auctoritate maximè de transferendis Fratribus, aut aliquibus, præsertim Ordinum Mendicantiū professoribus in genere, vel in specie ab Ordinibus huiusmodi Mendicantiū ad Monasticos sub quacunque verborum conceptione appareant, admitti, aut recipi, per aliquos, etiam Superiores Ordinis, seù Monasterij, aut loci Monastici, seù aliàs in Monacum, vel in Fratrem alicuius ex Ordinibus Monasticis supradictis, vel alijs expressis, & non expressis (Ordine Carthusiensi duntaxàt excepto) sub pœna excommunicationis, in quam tàm recipientes, quàm recepti ipso facto incurrant, & quam

Nō possūt Mēdicātes transfire ad Ordines Monasticos.

ex

ex nunc prout ex tunc cõtrà quemlibet tranſgreſſorem quomodolibet in præmiſſis, ſcientia, & auctoritate præfatis proferimus in his ſcriptis; & à nemine niſi duntaxat Romano Põtifice, præterquàm in mortis articulo excõmunicati huiuſmodi poſſint abſolutionis beneficium quomodolibet obtinere; & nihilominus ſecus, vel aliter facta non teneant, & nullius exiſtant efficaciæ, roboris, vel momenti.

§. 2. Decernentes etiam, & volentes, quòd ſiquis hactenus virtute cuiuſuis licentiæ, ſeù indulti huiuſmodi fuiſſet receptus ad aliquẽ Monaſticum Ordinem, & habitum, geſtari conſuetum per Monacos talis Ordinis, ſuſcepiſſet, ſiuè profeſſionẽ emiſerit, ſiue non, ſub dicta pœna teneatur in Monaſterio, in quo receptus fuit, etiamſi beneficia eccleſiaſtica, ſeù Rectorias eccleſiarum quarumuis obtineat, ſtare in eius totali vocatione in huiuſmodi Ordine Monaſtico, & Altiſſimo deſeruire.

§. 3. Siquis autem prætextu huiuſmodi licentiæ cum habitu, vel ſine quomodolibet vagando incederet, monitione præuia, teneatur, & debeat infra terminum quindecim dierum à die monitionis huiuſmodi cõputandorum, ad eius Religionem, & Ordinem, vnde cum licentia, vel ſine deceſſerat, remeare, quòd ſi efficere neglexerit, poſt ipſum terminũ, tanquam notorius Apoſtata, & excommunicatus in omnibus, & per omnia debeat per quemlibet reputari, & tractari etiam per inuocationem auxilij brachij ſecularis, quoties opus fuerit oportunum.

Neque in futurũ poſ-ſũt Fratres Mẽdicãtes transfire ad Monacos.

§. 4. In futurum autem nullus ex profeſſoribus alicuius ex Ordinibus Mendicantium huiuſmodi ad aliquẽ Monaſticum Ordinem (Carthuſiẽſi duntaxat excepto) poſſit, aut debeat per quemcunque recipi, vel admitti virtute alicuius licentiæ, vel indulti abſque Sedis eiuſdem licentia ſpeciali, ſub dictis pœnis: & nihilominus ſecus facta non teneant ipſo iure, huiuſmodi licentijs, & indultis, necnon conſtitutionibus Apoſtolicis, & Mendicantium Ordinum prædictorum, etiamſi de ijs ſpecialis, & expreſſa, ac de verbo ad verbum in noſtris literis mentio habenda forẽt; & alijs contrarijs non obſtantibus quibuſcunque.

§. 5. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginã noſtrorum declarationis, decreti, ſtatuti, prolationis, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire: Siquis autem hoc attentare præſumpſerit indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum.

Datum Gebennis, quarto Calendas Augusti, Pontificatus noſtri anno primo.

Conſtit. II.

Ex Bulla originali cum plumbo, quæ aſſeruatur Romæ in Archiuo Ordinis. nu. 2.

Summarium.

In officio Prouincialatus non poſſunt, Fratres reeligi, nec confirmari, biennio, vel triennio completo, nec ad eorum vitam in ipſo remanere.

MARTINVS EPISCOPVS *1418.*
Seruus Seruorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. 1. PRo cunctorum Chriſtianæ Religionis Ordinum ſtatu,

statū, prosperè, & salubriter dirigendo, libenter nostræ solicitudinis partes adhibemus, & ijs, quæ in eorum offensam redundare conspicimus, quantum possumus, obuiamus.

§. 2. Sanè sicut nuper non sinè mentis displicentia veridica relatione percepimus, nōnulli Ordinis Fratrum Eremitarum S. Augustini professores, etiam in Theologia Magistri, in officijs Prouincialatus secundùm instituta, & laudabilem cōsuetudinem eiusdem Ordinis pro tempore constituti, spiritu inanis gloriæ, & ambitionis ducti, & sua sorte non contenti, vt in huiusmodi officijs, quibus præsunt, continuè, seù ad eorum vitam remanere, seù iterum cōfirmari, vel reeligi possint, varijs ingenijs, subtilibùsque, & exquisitis modis, ac coloribus, etiam contra ipsius Ordinis instituta, & consuetudines huiusmodi perquirunt, insistunt, & procurant: vnde plerunque accidit, quòd eiusdem Capitula Prouincialia, secundùm morem, & consuetudinē ipsius Ordinis celebrari prohibentur, seù aliàs indirectè impediuntur, delinquentium excessus nō corriguntur, corruptiones quoque, & alia pacta illicita committuntur, diuisiones etiā, & odia, ac alia scandala plurima oriuntur Ordine in eodem, in non modicam dicti Ordinis confusionem, & offensam, ac perniciosum exemplum plurimorum.

§. 3. Nos igitur in præmissis, prout ex debito tenemur pastoralis officij, salubriter prouidere cupientes, auctoritate Apostolica tenore præsentium statuimus, volumus etiam, & ordinamus, quòd quilibet Prior Prouincialis dicti Ordinis, qui est, vel erit pro tempore, qui iuxta instituta, ac cōsuetudines prædicta in sua Prouincia anno quolibet Capitulū Prouinciale ipsius Ordinis, diebus, & locis in huiusmodi Capitulo Prouinciali in ipsa Prouincia immediatè antea celebrato deputatis, celebrari non fecerit cum renunciatione sui Prouincialatus officij, & sigilli, sit dicto officio eo ipso priuatus, & quòd si ex tunc administrationi dicti officij se immiscuerit, excommunicationis sententiam incurrat ipso facto, & Prouinciam regāt illi, quibus in hoc casu per instituta, & consuetudines prædicta eius regimen est commissum; quòdq; nullus ex huiusmodi Fratribus ad huiusmodi Prouincialatus officium iam electus, vel in futurum eligendus, si in huiusmodi Theologia Magister, vltra tres; si verò alius fuerit, vltra duos annos, si tamen ritè ad illud vocatus extiterit, eligi, aut confirmari quoquo modo possit, aut debeat; nec ipsorum aliquis infra biennium a fine termini huiusmodi sui Prouincialatus officij computandum, ad idem officiū aliquatenus de nouo recipiatur.

§. 4. Ita etiam, quòd illi, qui ad præsens in huiusmodi Prouincialatus officijs existunt, si huiusmodi tēpus cōpleuerint, aut transcenderint, officijs eisdem omninò cedant; si autem nondum compleuerint, possint tempus ipsum complere modo suprascripto.

§. 5. Neque etiam liceat Priori Generali eiusdem Ordinis quidquā contra præmissa quomodolibet attentare, aut aliàs super eorū aliquo, præterquàm super mutatione loci ad huiusmodi Capitulum, pro tempore celebrandum, si expedierit . . iuxta tamen Diffinitorum Capitulorum

Generalis tãtũ dispensare põt in tempore celebrationis Capituli nõ in alijs.

lorum Prouincialium huiusmodi significationem, & determinationem, & non aliàs dispensare: quibuscunque constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac statutis, & cõsuetudinibus dicti Ordinis, & alijs contrarijs non obstantibus quibuscunque.

§. 6. Nulli ergo omninò hominũ liceat hanc paginam nostrorum statuti, ordinationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire: Siquis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum.

Datum Mediolani, decimosexto Calendas Nouembris, Pontificatus nostri anno primo.

Constit. III.

Ex Bulla originali cum plumbeo sigillo, quæ asseruatur Romæ in Archiuo Ordinis. num. 3.

Summarium.

Continet Bullam priuilegiorum, Fratribus de Tuscia à Clemente Quarto concessorum in amplissima forma.

1421. *MARTINVS EPISCOPVS Seruus Seruorum Dei.*

Dilectis filijs Priori, & Fratribus Ordinis Eremitarum S. Augustini in Tuscia Salutem, & Apostolicam benedictionem.

Habetur in Mare Magno Six. IV const. 5. nu. 9.

§. 1. SYnceræ deuotionis affectus, quem ad Nos, & Romanam geritis Ecclesiam promeretur, vt petitionibus vestris quantum cum Deo possumus fauorabiliter annuamus. Sanè pro parte vestra fuit Nobis humiliter supplicatũ, vt literas fel. rec. Clementis Papæ Quarti prædecessoris nostri, vobis concessas, quas in Cancellaria nostra diligenter inspici, quarùmque tenorem de verbo ad verbum signis, & subscriptionibus, ac characteribus omissis, præsentibus inseri fecimus, cum incipiant vetustate consumi, innouari de benignitate Apostolica dignaremur, quarum quidem literarum tenor, talis est.

§. 2. Clemens Episcopus Seruus Seruorum Dei, Dilectis filijs Priori, & Fratribus Eremitis in Tuscia constitutis tàm præsentibus, quàm futuris, regularem vitam professis in perpetuum. Religiosam vitam eligentibus, Apostolicum conuenit adesse præsidium, ne fortè cuiuslibet temeritatis incursus, aut eos à proposito reuocet, aut robur (quod absit) sacræ Religionis infringat. Ea propter dilecti in Domino filij vestris iustis postulationibns clementer annuimus, & domos vestras, in quibus diuino vacatis obsequio ad instar fel. rec. Innocẽtij Papæ Quarti prædecessoris nostri, sub Beati Petri, & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti priuilegio communimus.

§. 3. In primis siquidem statuentes, Ordo canonicus, qui secundùm Deum, & Beati Augustini Regulam in domibus ipsis auctoritate Apostolica institutus esse dignoscitur, perpetuis ibìdem temporibus inuiolabiliter obseruetur. *Ordo canonicus institut' auctoritate apostolica.*

§. 4. Præterea quascunque possessiones, quæcunque bona prædictæ domus in præsentiarum iustè, ac canonicè possident, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum, vel Principum, oblatione fide- *Bona Ordini concessa confirmantur*

fidelium, ſeù alijs iuſtis modis præſtante Domino poterũt adipiſci, firma vobis, veſtrìsq; ſucceſſoribus, & illibata permaneant.

§. 5. In quibus hæc proprijs duximus exprimenda vocabulis. Loca ipſa, in quibus præfatæ domus ſitæ ſunt cum pertinentijs ſuis, videlicet cum eccleſijs, decimis, hortis, vineis, oliuetis, pratis, nemoribus, vſuagijs paſcuis in boſco, & plano, in aquis, & molendinis, in vijs, & ſemitis, & omnibus alijs libertatibus, & immunitatibus ſuis. Sanè noualium veſtrorum, quæ proprijs manibus, aut ſumptibus colitis, de quibus aliquis hactenus non percepit, ſiuè de veſtrorum animalium nutrimentis, nullus à vobis decimas exigere, vel extorquere præſumat.

Decimæ non ſoluuntur.

§. 6. Liceat quoque vobis, Clericos, & laicos liberos, & abſolutos, è ſeculo fugientes, ad conuerſionem recipere, & eos abſque contradictione aliqua retinere.

A ſeculo fugiẽtes ad Ordinẽ recipiũtur Clerici, & laici.

§. 7. Prohibemus inſuper, vt nulli Fratrum veſtrorum poſt factam in domibus veſtris profeſſionem fas ſit ſinè Prioris ſui licentia, niſi arctioris Religionis obtentu, de eiſdem domibus diſcedere. Diſcedentem verò abſque communium literarum veſtrarum cautione, nullus audeat retinere.

Profeſſi in Ordine ad alios trãſire non poſſunt.

§. 8. Inſuper auctoritate apoſtolica inhibemus, ne vllus Epiſcopus, vel quælibet alia perſona ad Synodos, vel Conuentus forenſes vos ire, vel iudicio ſeculari de veſtra propria ſubſtantia, vel poſſeſſionibus veſtris ſubiacere compellat: nec ad domos veſtras cauſa Ordines celebrandi, cauſas tractandi, vel aliquos Conuentus publicos conuocandi venire præſumat: nec regularem Prioris veſtri electionem impediat, aut de inſtituendo, vel remouendo eo, qui pro tempore fuerit contra ſtatuta Ordinis veſtri ſe aliquatenus intromittat. Illud adijcientes, vt, ſcilicet, Priores ipſi Epiſcopo (ſaluo Ordine ſuo) profiteri debeant, & contra ſtatuta Ordinis ſui nullam profeſſionem facere compellantur.

Epiſcopi nõ ſe ĩtromittunt in electionibus, et iudicijs.

§. 9. Pro conſecrationibus verò Altarium, vel Eccleſiarum, ſiuè pro Oleo ſancto, vel quolibet eccleſiaſtico Sacramento, nullus à vobis ſub obtentu conſuetudinis, vel alio modo quidquam audeat extorquere; ſed hæc omnia gratis vobis Epiſcopi Diœceſani impendant. Aliòquin liceat vobis, quoſcunque malueritis Catholicos adire Antiſtites, qui noſtra freti auctoritate, vobis quod poſtulatur, impendant. Quòd ſi Sedes Diœceſanorum fortè vacauerint, interim omnia eccleſiaſtica Sacramẽta à vicinis Epiſcopis accipere liberè, & abſque contradictione poſſitis: ſic tamen vt ex hoc in poſterum proprijs Epiſcopis nullum præiudicium generetur. Quia verò interdum propriorum Epiſcoporum copiam non habetis, ſi quos Epiſcopos, Romanæ Sedis (vt diximus) gratiam, & communionem habentes, & de quibus plenam notitiam habeatis per vos tranſire contigerit, ab eis benedictiones vaſorum, & veſtium, & conſecrationes Altarium auctoritate apoſtolicæ Sedis, recipere valeatis.

Pro benedictionibus, ordinationibus nihil datur Epiſcopis.

§. 10. Cum autem generale interdictum Terræ fuerit; liceat vobis clauſis ianuis, excluſis excommunicatis, & interdictis, non pulſatis campanis, (dummodò cauſam non dederitis interdicto) ſuppreſſa voce,

Interdicti tẽpore Officia diuina celebrantur

ce, diuina Officia celebrare.

§. 11. Chrisma verò, Oleum sanctum, consecrationes Altarium, seù Basilicarum, ordinationes Clericorum, qui ad Ordines fuerint promouendi, à Diœcesanis Episcopis suscipietis, si quidē Catholici fuerint, gratiam, & communionem sacrosanctæ Romanæ Sedis habuerint, & ea vobis voluerint sinè prauitate aliqua exhibere.

Capella vel Oratoria nō ædificātur sine nostro cōsensu.

§. 12. Prohibemus insuper, vt infra fines Parochiarum vestrarum, nullus sine assensu Diœcesanorum Episcoporum, & vestro, Capellam, seù Oratorium de nouo construere audeat: saluis priuilegijs Pontificum Romanorum.

Ad exactiones nouas nō tenemur

§. 13. Ad hæc, nouas, & indebitas exactiones ab Archiepiscopis, Episcopis, Archidiaconis, seù Decanis, alijsq; omnibus ecclesiasticis, & secularibus personis, à vobis omninò fieri prohibemus.

Sepultura libera in ecclesijs nostris.

§. 14. Sepulturam quoque in ecclesijs vestris liberā esse decernimus, vt eorum deuotioni, & extremæ voluntati, qui se in eisdem ecclesijs sepeliri deliberauerint, nisi fortè excōmunicati, vel interdicti, aut etiam publicè vsurarij, nullus obsistat. Salua tamen iustitia illarum ecclesiarū, à quibus mortuorum corpora assumuntur.

§. 15. Decimas præterea, & possessiones, ad ius ecclesiarum vestrarum spectantes, quæ à laicis detinentur, redimendi, & legitimè liberandi de manibus eorum, & ad ecclesias, ad quas pertinent, reuocādi, libera sit vobis de nostra auctoritate facultas.

§. 16. Obeunte verò Generali Priore vestro, vel suorum quolibet successorum, nullus vobis qualibet subreptionis astutia, seù violentia præponatur, nisi quem Fratres communi consensu, vel Fratrum maior pars cōsilij sanioris secundùm Deū, & Beati Augustini Regulam prouiderint eligendum.

§. 17. Paci quoque, & tranquillitati vestræ paterna in posterū solicitudine prouidere volentes, auctoritate apostolica prohibemus, vt infra clausuras locorum vestrorū, nullus rapinam, seù furtum facere, ignē apponere, sanguinem fundere, hominem temere capere, vel interficere, seù violentiam audeat exercere.

§. 18. Præterea omnes libertates, & immunitates à prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus, locis vestris concessas; necnon libertates, & exemptiones secularium exactionū, à Regibus, & Principibus, vel alijs fidelibus rationabiliter vobis indultas, auctoritate apostolica confirmamus, & præsentis scripti priuilegio communimus. Decernimus ergo, quòd nulli omninò hominū liceat, præfatas domos temerè perturbare, vel eius possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seù quibuslibet vexationibus fatigare; sed ea omnia integrè conseruentur eorum, pro quorum gubernatione, ac sustentatione concessa sunt vsibus omnimodis profutura. Salua Sedis Apostolicæ auctoritate, & Diœcesanorum Episcoporum canonica iustitia, & in supradictis Decimis, moderatione Concilij generalis.

Contrafacientes separantur à cōmunione.

§. 19. Si qua igitur in futurum ecclesiastica, secularisuè persona hāc nostræ Constitutionis paginam sciēs contra eam temerè venire tentauerit, secundò, tertiòue commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione

factione correxerit, potestatis, honorisq; sui careat dignitate, reàmq; se diuino iudicio existere de perpetua indemnitate cognoscat, & à sacratissimo Corpore, & Sanguine Dei, & Domini Redemptoris nostri Iesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ subiaceat vltioni. Cunctis autem eisdem domibus, sua iura seruantibus sit pax Domini nostri Iesu Christi, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum Iudicem præmia æternæ pacis inueniant. Amen. Amen. Datum Viterbij per manũ Magistri Michaëlis de Tolosa S.R.E. Vicecancellarij, sexto Nonas Maij, Indictione vndecima, Incarnationis Dominicæ anno Millesimo ducentesimo sexagesimo octauo, Pontificatus verò Domini Clementis Papæ Quarti, anno quarto.

§.20. Nos igitur huiusmodi supplicationibus inclinati easdem literas auctoritate Apostolica innouamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Per hoc autem nullum ius de nouo vobis acquiri volumus, sed antiquum (si quod habetis) tantummodò conseruari.

§.21. Nulli ergo omninò hominũ liceat hanc paginam nostræ innouationis, communitionis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario cõtraire: Siquis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum.

Datum Romæ apud Sãctos Apostolos, Nonis Nouembris, Pontificatus nostri anno octauo.

Constit. IV.

Ex Bulla originali cum sigillo plumbeo, quæ asseruatur Romæ in Archiuo Ordinis. num. 4.

Summarium.

Fratres, qui sunt Capellani, & Confessores, etiam S.R.E. Cardinalium possunt à Superioribus corrigi, etiamsi extra Ordinem degant.

MARTINVS EPISCOPVS 1422.
Seruus Seruorum Dei.

Ad futuram rei memoriam:

§.1. AD circumspectam Romani Pontificis prouidentiam pertinet, sic virorum ecclesiasticorum, præsertim Regularium mores, & actus prospicere, vt moderatis noxiæ voluntati hiatibus, materia malignandi nulli detur, ac personæ, quæ sub voluntariæ paupertatis iugo vacare debent studio piæ vitæ, à bono obedientiæ, & à perseuerantia diuini seruitij nullatenus retrahantur.

§.2. Sanè nuper ad nostrum relatione fide digna peruenit auditũ, quòd nonnulli Fratres Ordinis Eremitarum S. Augustini Superiorum suorum subiectionem, & correctionem effugere molientes, sese plerumque in Capellanos, seù Confessores, aut familiares S.R.E. Cardinalium, aliorùmve Prælatorum, aut secularium personarum recipi, & retineri procurauerint hactenus, & procurant, eòq; prætextu bonum obedientiæ excutientes, per mundum, & vt plurimum sinè Superiorũ suorum licentia sæpiùs euagãdo discurrunt, & quandoque ad Roma-

nam Curiam accedunt, asserentes, id sibi sinè suorum licentia Superiorum licere.

Confessores Capellani, & familiares Cardinalium subduntur Superioribus.

§. 3. Nos igitur in præmissis, prout ex debito tenemur pastoralis officij, salubriter prouidere cupientes, auctoritate Apostolica tenore præsentium statuimus, & etiam ordinamus, quòd omnes, & singuli Fratres dicti Ordinis, qui nostra super hoc non obtenta licentia, sunt, & inantea erunt præfatorum Cardinalium, seù aliorum Prælatorum, aut quarumuis personarum aliarum ecclesiasticarum, vel secularium Capellani, seù Confessores, aut familiares (non tamen in domibus eorundem Cardinalium pro tempore cōmorantes) perinde eorum Superioribus, & correctioni ipsorum in omnibus, & per omnia sint subiecti, ac si Capellani, seù Confessores, aut familiares (vt præfertur) non essent.

§. 4. Decernentes nihilominùs eos ad renunciandum officijs, & familiaritatibus huiusmodi, ac in Superiorum eorundem manibus literas super officijs, & familiaritatibus huiusmodi obtentas quàm citò resignandum, desistendùmq; penitùs, & omninò ab officijs, & familiaritatibus eisdem, atque ad claustra sua reuertendum, & regulariter iuxta professionis suæ continentiam viuendū, per dilectos filios Priorem Generalem, ac Prouinciales ipsius Ordinis Priores efficaciter compellendos; & si (quod absit) in hoc se inobedientes reddiderint, pœnis illis, quæ pro grauioribus culpis in dicto Ordine imponi solent, puniendos iuxta ipsius Ordinis instituta, nullo eis super hoc appellationis diffugio præsidiū quomodolibet allaturo.

§. 5. Non obstantibus exemptionibus, & alijs quibuscunque priuilegijs, indulgentijs, & gratijs, ac literis Apostolicis præfatis Fratribus communiter, vel diuisim sub quacūque forma, vel verborum expressione concessis, vel in posterum concedendis, etiamsi de illis plena, & expressa mentio, ac de verbo ad verbum in præsentibus sit habenda; quæ quoad hoc eis in nullo volumus suffragari, ceterisq; contrarijs quibuscunque.

§. 6. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginā nostræ constitutionis, ordinationis, & decreti infringere, vel ei ausu temerario cōtraire: Siquis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum.

Datū Romæ apud Sanctos Apostolos, sexto Idus Iunij, Pontificatus nostri anno nono.

Constit. V.

Ex Bulla originali cum plumbo, quæ in Archiuo Ordinis asseruatur Romæ. num. 5.

Summarium.

Declaratur Constitutio supradicta, numero tertio, & quòd Capitulum Prouinciale post triennium celebrari possit.

MARTINVS EPISCOPVS 1423.
Seruus Seruorum Dei.

Ad futuram rei memoriam.

§. 1. ROmani Pontificis prouidentia circumspecta, quæ per ea pro Religionum, & Religiosa-

gioſarum perſonarum quarumlibet ſtatu ſalubri prouidè conceſſa ſunt, ne ex illis incommoda, aut ſtipendia proueniant, nonnunquàm pro ſuo moderamine modificat, & declarat, prout, rerum, & temporum qualitate penſata, ſecundùm cognoſcit ſalubriter expedire.

§. 2. Nuper ſiquidem ex certis rationabilibus cauſis, animum noſtrum tunc mouentibus, per alias noſtras literas inter cetera ſtatuimus, voluimus, & ordinauimus, quòd quilibet Prior Prouincialis Ordinis Fratrum Eremitarum S. Auguſtini qui erat, vel eſſet pro tempore, qui iuxta inſtituta, & conſuetudines eiuſdem Ordinis in ſua Prouincia anno quolibet Capitulum Prouinciale ipſius Ordinis diebus, & locis, in huiuſmodi Capitulo Prouinciali, in ipſa Prouincia immediatè antea celebrato, deputatis, celebrari non fecerit, cum renunciatione ſui Prouincialatus officij, & ſigilli, eſſet dicto officio eo ipſo priuatus; & quòd ſi ex tunc adminiſtrationi eiuſdem officij ſe immiſceret, excommunicationis ſententiam incurreret ipſo facto, & Prouinciam regerent illi, quibus in hoc caſu per inſtituta, & conſuetudines prædicta, eius regimen eſſet commiſſum: quòdq; nullus ex huiuſmodi Fratribus ad huiuſmodi Prouincialatus officiũ tunc electus, vel in futurum eligendus, ſi in Theologia Magiſter, vltra tres, ſi verò alius foret vltra duos annos, ſi tamen ad illud ritè vocatus extitiſſet, eligi, aut confirmari quoquo modo poſſet, aut deberet, nec ipſorum aliquis infra biennium à fine termini huiuſmodi ſui Prouincialatus officium computandum, ad idem officium aliquatenus de nouo reciperetur; ita etiam quòd illi, qui tunc in huiuſmodi Prouincialatus officijs exiſterent, ſi huiuſmodi tempus compleuiſſent, aut tranſcendiſſent, officijs eiſdem omninò cederent, ſi autem nondum cõpleuiſſent, poſſent tempus ipſum complere modo ſupraſcripto: neque etiam liceret Priori Generali eiuſdẽ Ordinis quidquam contra præmiſſa quomodolibet attentare, aut aliàs ſuper eorum aliquo, præterquàm ſuper mutatione loci, ad huiuſmodi Capitulum pro tempore celebrandũ deputati, ſi expediret, iuxta tamen Diffinitorum Capitulorum Prouincialium huiuſmodi ſignificationem, & determinationem, & nõ aliàs diſpenſare, prout in eiſdem literis pleniùs continetur.

§. 3. Cum autem ſicut exhibita Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Auguſtini de Roma Prioris Generalis, & vniuerſorum profeſſorum dicti Ordinis petitio continebat, prouincialibus Prioribus eiuſdẽ Ordinis propter illius domorum, quæ paucæ ſunt, nimiam ab inuicẽ Prouinciarum latitudinem, atque diſtãtiam valde reddatur difficile ſingulis annis Prouincialia Capitula celebrare, & niſi illa celebrent annuatim excommunicationis ſententiam huiuſmodi incurrerint ex ſtatuto, & ordinatione prædictis, per quæ nonnunquam Priorum eorundem animarum ſaluti graue diſpendium veriſimiliter generari formidant; pro parte Prioris Generalis, & profeſſorum prædictorum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, vt in præmiſſis oportunè prouidere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. 4. Nos igitur Priorum, & profeſſo-

fessorum commoditatibus, & quieti super ijs oportunè prouidere volentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, auctoritate Apostolica tenore præsentium decernimus, & etiam declaramus, quòd quilibet ex Prioribus Prouincialibus prædictis in dicta Theologia non Magister, præfatis literis aliàs in suo robore permanētibus vsque ad decennium à Data præsentium computandum, singulis biennijs duntaxàt Prouinciale Capitulum dicti Ordinis in suis Prouincijs tenere, & celebrare, finitòque biennio huiusmodi, suo Prouincialatus officio renunciare, aliàq; in ipsis literis contenta, sub pœnis in illis expressis, adimplere, & facere teneatur; aliàs iuxta omnimodam earundem literarum continentiam, atque formam: Non obstantibus præmissis literis, ac constitutionibus apostolicis, necnon statutis, & consuetudinibus dicti Ordinis, iuramento, confirmatione apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, ceterìsque contrarijs quibuscunque.

§. 5. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginā nostræ constitutionis, & declarationis infringere, vel ei ausu temerario contraire: Siquis autem hoc attentare præsumpserit indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum.

Datū Romæ apud Sanctos Apostolos, Nonis Iunij, Pontificatus nostri anno decimo.

Constit. VI.

Ex literis Auditoris Cameræ, quæ asseruantur Romæ in Archiuo Ordinis. nn. 6.

Summarium.

Facultas conceditur transferendi Corpus Sanctæ Monicæ ab Ostia Tiberina ad ecclesiam S. Augustini de Vrbe; & translationem approbat.

MARTINVS EPISCOPVS Seruus Seruorum Dei. 1426.

Ad futuram rei memoriam.

Vniuersis Christifidelibus præsentes nostras inspecturis Salutem, & Apostolicam benedictionem.

§. 1. Pia charitas, atque deuotio, qua ex Christianæ professionis, & pastoralis officij debito Sanctorum reliquijs afficimur, Nos impellit vt circa sacrarum reliquiarum conseruationem, earùmq; venerationem omni studio, & diligentia inuigilemus, quò fides nostra, sine qua nemo salutem consequi potest, in magnitudine suæ maiestatis conseruari, & spirituale incrementum, suscipere valeat.

§. 2. Nuper siquidem Venerabili fratri nostro Episcopo Electensi Apostolicæ Capellæ Sacrista, & Confessore nostro pro parte dilectorum filiorum Augustini de Roma Prioris Generalis, & vniuersorum Fratrum Ordinis Eremitarum S. Augustini, cuius ipse Episcopus etiam professor existit, Nobis supplicante Corpus Beatæ Monicæ S. Augustini Matris ex certis pijs respectibus, & causis, præsertim quia Corpus dicti Sancti ipsius Ordinis Fundatoris, in quadā ecclesia Papiensi dicti Ordinis, venerabiliter (prout decet) reconditum existit, à loco Ciuitatis nostræ Ostiēsis, vbi sepultum, & reconditum fuerat, ad ecclesiam domus Fratrum

dicti

dicti Ordinis de Vrbe transferendi, & in dicta eccleſia recondendi, & ſepeliendi, licentiam conceſſimus. Cuius conceſſionis auctoritate prædictum Corpus in dicta eccleſia debitis cæremonijs, & condigna reuerẽtia die nona Aprilis, quæ fuit Dominica Palmarum, tranſlatum, & reconditum extitit.

§. 3. Nos itaque, Epiſcopi, Prioris, & Fratrum prædictorum deuotionem, huiuſmodi Religioſis perſonis conuenientem approbantes, atque conſiderantes, quòd ob tranſlationem prædictam de ſanctitate huiuſmodi Corporis, maior apud Chriſtifideles notitia haberi poteſt, quàm ſi in quouis loco reconditum fuiſſet, tranſlationem, & repoſitionem huiuſmodi ratas habentes, & gratas, eas ex certa ſcientia, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium confirmamus, & vt erga dictam Sanctam Monicam magis inflammetur fidelium ipſorum deuotio, quaſi patulo præconio ad omnium notitiam deduci volumus per præſentes.

§. 4. Nulli ergo omnino hominũ liceat hanc paginam noſtræ approbationis, confirmationis, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire: Siquis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum.

Datum Romæ apud Sanctos Apoſtolos, quinto Calendas Maij, Pontificatus noſtri anno decimotertio.

Sextam Conſtitutionem edidit Martinus Quintus, quæ habetur in Mare Magno Sixti Quarti conſtit. quinta. nu. 11.

NICOLAI QVARTI.

Conſtit. I.

Ex Bulla originali cum ſigillo plumbeo, aſſeruata Romæ in Archiuo Ordinis. num. 1.

Summarium.

Viſitantes Eccleſias Ordinis, in feſto Aſſumptionis Beatæ Virginis, Sancti Patris Auguſtini, & Dedicationis Eccleſiæ, & per Octauas habet centum dies Indulgentiæ.

NICOLAVS EPISCOPVS 1289.
Seruus Seruorum Dei:

Dilectis filijs Generali, & Prouincialibus Prioribus, ac alijs Fratribus vniuerſis Ordinis Eremitarum S. Auguſtini Salutem, & Apoſtolicam benedictionem.

§. 1. LICET is, de cuius munere venit, vt ſibi à fidelibus ſuis dignè, ac laudabiliter ſeruiatur, de abundantia pietatis

tatis ſuæ, quæ merita ſupplicum excedit, & vota, benè ſeruientibus multò maiora retribuit, quàm valeant promereri; nihilominùs tamen cupientes reddere Domino populũ acceptabilem Chriſtifideles ad complacendum ei, quaſi quibuſdam illectiuis præmijs, Indulgentijs ſcilicet, & remiſſionibus inuitamus, vt exinde reddantur diuinæ gratiæ aptiores.

§. 2. Nos igitur ob Redemptoris noſtri reuerentiam, & Sanctiſſimi Confeſſoris Beati Auguſtini veſtri Patroni, ſub cuius Regula Domino militatis, qui Sanctam Dei Eccleſiã miris illuſtrauit eloquijs, & doctrinis; memoratum Ordinem condignis fauoribus, & gratijs honorare volentes: & cupientes, quòd Eccleſiæ locorum veſtri Ordinis congruis honoribus frequententur, omnibus verè pœnitentibus, & confeſſis, qui prædictas eccleſias in Aſſumptione Beatæ Virginis, & eiuſdem Confeſſoris feſtiuitatibus, ac illas ex eiſdem eccleſijs, quæ ſunt hoc tempore dedicatæ, in diebus Dedicationis earum, & vſque ad octo dies ſequentes annis ſingulis cum deuotione debita venerabiliter viſitauerint, de Omnipotentis Dei miſericordia, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius auctoritate confiſi, centum dies de iniunctis eis pœnitentijs miſericorditer relaxamus.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam maiorem, octauo Idus Februarij, Pontificatus noſtri anno primo.

Conſtit. II.

Ex Bulla originali cum plumbo, quæ aſſeruatur Romæ in Archiuo Ordinis. nu. 2.

Summarium.

Conceditur Priori Generali facultas eligendi viginti Fratres idoneos, per Italiam mittendos ad prædicandam Cruciatam, contra Infideles.

NICOLAVS EPISCOPVS Seruus Seruorum Dei. 1290.

Dilecto filio Priori Generali Fratrum Eremitarum Ordinis S. Auguſtini Salutem, & Apoſtolicam benedictionem.

§. 1. NEceſſitates miſerabilis Terræ ſanctæ multiplices antiquas, & nouas non abſque graui amaritudine intra mentis noſtræ præcordia recenſentes, atque ad plenam liberationem ipſius, & interim ad ſubuentionem locorum, quæ in præſentiarum Chriſtianitas obtinet in eadem Nos, & fratres noſtri intenſis deſiderijs ſuſpirantes, inter multa operoſa ſtudia, quæ ipſi Terræ (Deo auſpice) fructuoſa ſedulò procurare, atque impẽdere ſtuduimus, & ſtudemus, de ipſorum fratrum conſilio, per diuerſas mundi partes Chriſticolis verbum Crucis deliberauimus proponendum, ad exequendum in tota Italia deliberationem huiuſmodi; te, ac Fratres Ordinis tui eò confidentiùs eligentes, quò magis ad id veſtræ Religionis debitum vos inuitat.

§. 2. Ideòque prædicandæ ipſius viuificæ Crucis myſterium in ipſa tota Italia tibi, & viginti Fratribus eiuſdem Ordinis maturis, & diſcretis, atque ad huiuſmodi aptis officium, quos de diſcretorum Fratrum conſilio duxeris eligendos, præſentiũ auctoritate committimus, in remiſſionẽ peccaminum iniungentes, quatenus tu, & ijdem eligendi Fratres in eodẽ officio

officio iuxta datam vobis à Deo prudentiam procedentes, illud efficaciter, & prudenter (non obstante, quòd hoc idem alijs etiam sit commissum) exequi studeatis; omnes, & singulos fidei orthodoxæ cultores prædicationibus crebris, & sedulis exhortando, vt ad retundendos impiæ gentis impetus, compescendos insultus, & superbiam conterendam, victoriosum eiusdem viuificæ Crucis signum deuotè suscipiāt, & illud proprijs affigentes humeris, ac magis cordibus imprimentes, reuerenter, & publicè deferant, atque ad celerē præfatæ Terræ succursum prōptis animis, totisq; viribus se accingant. Quod quidem venerabile signum per vos concedi volumus cūctis deuotè petentibus, quibus Dominus inspirabit, vt illuc vel personaliter, vel de facultatibus proprijs ad tam pium negotium prosequendum velint subsidium impertiri.

§. 3. Insuper omnes, qui hactenus idem signum pro eodem subsidio susceperunt, monere, ac inducere procuretis, vt illud (si fortè dimiserint) resumentes alacriter, Terræ præfatæ studeant efficaciter subuenire.

§. 4. Cum autem omnibus Christifidelibus, qui Cruce suscepta eidē Terræ succursum impēderint opportunum, vnicuique secundùm proprium meritum, Indulgentiam salutarem, ac maximè illis, qui in ipsius Terræ subsidium, vel personaliter ibunt, vel bellatores, vel alios viros idoneos, iuxta facultatum suarum exigentiam, in proprijs sumptibus destinabunt, multiplicium gratiarū beneficia concedamus, sicut in alijs nostris literis, quæ vniuersis diriguntur Christicolis seriosiùs continetur; earundem literarum tenorem per te, ac Fratres, à te (vt præmittitur) ad prædicandæ Crucis officium eligendos, volumus, populis Christianis frequenter, & diligenter exponi; ita siquidem prouidè, quòd & beneficia supradicta, quæ ipsis in terra concedimus, & copiosam mercedem, quæ ipsis præparatur in cælis cognoscere valeant, & amare: Nec tamen ex verbis vestris concipiant, se aut plenam in casibus, in quibus nequaquam conceditur, aut maiorem, quàm concedatur, Indulgentiam promereri.

§. 5. Ipsos autē populos ad certa, & idonea loca, quoties expedire videritis conuocandi, ad verbū Crucis salubriter audiendum, & omnibus verè pœnitentibus, & confessis, qui ad huiusmodi vestras prædicationes conuenerint, & idem verbum audierint reuerenter, centum dies de iniunctis eis pœnitentijs relaxandi, vobis auctoritate præsentium concedimus facultatem.

§. 6. Si quando autem ad ecclesias, interdicto suppositas vos deuenire contigerit, liceat vobis, ad ipsas populos conuocare, ac verbum Crucis proponere in eisdem; necnon excommunicatis, & interdictis exclusis, non pulsatis campanis, submissa voce, ianuis clausis, cum vestris socijs diuina Officia celebrare.

§ 7. Ad hæc, si qui proficiscentium in iam dictæ Terræ subsidium, seù destinantium viros idoneos iuxta suarum exigentiam facultatum, excommunicationis essent vinculo innodati pro violēta iniectione manuum in Clericos seculares, aut etiā Religiosos, (dummodò non fuerit

excessus

exceſſus difficilis, & enormis, & paſſis iniurias ſatisfaciant competẽter,) ſiuè pro eo, quod ſepulcrum Dominicum viſitare, ſeù ad Siciliæ Inſulã, vel ad alias terras accedere, vel cum Siculis, vel alijs quibuſcunque communicare in matrimonijs, ſeù alijs modis contra prohibitionem Eccleſiæ præſumpſerint, dummodò ipſis contra Romanam Eccleſiam nõ dederint aliàs conſilium, auxilium, vel fauorẽ, nec arma, ſeù merces prohibitas portauerint Sarracænis, abſoluendi eoſdem cum prædictis viginti Fratribus; ac diſpenſandi cum Clericis, qui cum excommunicationis ſententiam, latam à Canone, vel ab homine incurriſſent, irregularitatis notam, immiſcendo ſe diuinis Officijs, contraxerint, tibi, ac decem ex prædictis viginti Fratribus prædicti Ordinis tui, quos ad hoc de conſilio diſcretorum Fratrum, elegeris, concedimus poteſtatem.

§. 8. Porrò quia dignus eſt operarius mercede ſua, tibi, & Fratribus memoratis, in hoc diuino fideliter laborantibus opere, præter mercedẽ æternam, quam meritò ſperare poteſtis quotieſcunque ſtudueritis, populis ad hæc ſpecialiter conuocatis, proponere verbum Crucis, centum dierum Indulgentiam elargimur, ac vos Indulgentiæ memoratæ, quæ transfretantibus in ſubſidium ſæpe dictum conceditur, iuxta laboris veſtri menſuram, volumus participatione gaudere.

§. 9. Denique, ſi quos ex Fratribus, quos (vt ſupra dicitur) ad exequenda præmiſſa duxeris eligendos, ab executione huiuſmodi, ſiuè per mortem, ſiuè aliàs quomodolibet impediri, vel per tuam fortè prouidentiam remoueri contigerit, facultatem tibi concedimus, loco ipſorum alios ſubrogari.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam maiorem, Nonis Ianuarij, Pontificatus noſtri anno ſecundo.

Conſtit. III.

Ex Bulla originali cum plumbo, quæ aſſeruatur Romæ in Archiuo Ordinis. num. 3.

Summarium.

Conuentus Fratrum de Pœnitentia Acconenſis, Ordini noſtro traditur, & licentiam concedit, vt poſſit vendi iuxta decretum Concilij generalis.

NICOLAVS EPISCOPVS Seruus Seruorum Dei. 1290.

Venerabili fratri Patriarchæ Hieroſolymitano Salutem, & Apoſtolicam benedictionem.

§. 1. AD Fratres Eremitarum Ordinis Sancti Auguſtini habentes paternæ compaſſionis affectum, eis libenter illa commoda procuramus, per quæ ipſis ſtatus, & vtilitas ſecundùm Deũ valeant prouenire.

§. 2. Dudum ſiquidem fel. rec. Gregorius Papa Decimus prædeceſſor noſter, Ordines, qui non meruerunt auctoritate Apoſtolica confirmari, reuocans (ſacro Concilio approbante) prout in Conſtitutione ſuper hoc edita pleniùs continetur; confirmatos autem eadem auctoritate, quibus habendi poſſeſſiones, ſeù redditus, ipſorum Regula, ſiuè Conſtitutione obſiſtentibus, nõ erat facultas, ſed victum per quæſtum publicum incerta mendicitas miniſtrabat, ſubſidere voluit in hunc modum; videlicet, quòd nullum ex tũc

ad

ad eorum professionem admitterẽt, nec de nouo domum, aut aliquem locum reciperent, nec domos, seù loca, quæ habent, alienare valerent, sinè Sedis eiusdem speciali mandato, quæ quidem domos, & loca reseruauit dispositioni Sedis eiusdem in Terræ sanctæ subsidium, vel pauperum, aut alios vsus, per locorum Ordinarios, vel eos, quibus ipsa Sedes committeret conuertenda. Propter quòd Prior Generalis, & Fratres Eremitarum dicti Ordinis Nobis humiliter supplicarunt, vt cum in domo, quam Fratres pœnitentiæ Iesu Christi prædicti Ordinis, qui est vnus de Ordinibus prædictis, quorùmque professio quæstui necessariorum subiecta, non patitur eorum professores possessiones habere in Ciuitate Acconensi hactenus habuerunt, nonnisi tres Fratres remansisse noscantur, domum ipsam, & locum prædictis Fratribus Eremitarum, qui alium locum in eadem Ciuitate non obtinẽt, vendi de benignitate Apostolica mandaremus.

Fratribus nostris conceditur Conuentus Acconensis, qui erat de Fratribus Pœnitentiæ.

§. 3. Nos itaque vtilitati tàm Fratrum Eremitarum, & eorum Ordinis prædictorum, quos syncera in Domino diligimus charitate, quàm dictæ Terræ sanctæ de subsidio prouidere volentes, fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus præfatam domum dictis tribus Fratribus ipsius pœnitentiæ cedentibus, vel decedentibus, cum pertinentijs suis, Priori, & Fratribus prædictis, vel eorum Procuratori ipsorũ nomine auctoritate nostra vendas pro pretio competenti, conuertendo in subsidium memoratum: dictæq; domus emptorem, postquàm huiusmodi pretium tibi fuerit integrè persolutum, eorundem Prioris, & Fratrum Eremitarum nomine, in eiusdem domus corporalem possessionem inducas, & defendas inductum. Contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita cõpescendo. Significaturus Nobis quantociùs per tuas literas quid, & quantum pro venditione receperis memorata, & penes quos illud duxeris deponendum.

Datum apud Vrbemueterem, sexto Idus Octobris, Pontificatus nostri anno tertio.

Constit. IV.

Ex Bulla originali cum plumbeo sigillo, quæ asseruatur Romæ in Archiuo Ordinis. nu. 4.

Summarium.

Continet Constitutionem Innocentij Quarti, qua conceditur facultas Superioribus, excommunicandi, & ligandi Apostatas.

NICOLAVS EPISCOPVS 1289.
Seruus Seruorum Dei.

Dilectis filijs Generali, & alijs Prioribus, ac Fratribus Ordinis Eremitarum S. Augustini Salutem, & Apostolicam benedictionem.

§. 1. Tenorem quarundam literarum fel. rec. Innocẽtij Papæ Quarti prædecessoris nostri, de ipsius Regesto sumptum, vt de ipso certitudo habeatur in posterum, ad vestræ supplicationis instantiam de verbo ad verbum fecimus annotari, quarum tenor talis est.

§. 2. Innocentius Episcopus Seruus Seruorum Dei. Dilectis filijs Generali, & alijs Prioribus, ac Fratribus Ordinis Eremitarum Salutem, & Apostolicam benedictionem.

Pro-

Prouiſionis veſtræ cupimus prouenire ſubſidijs, vt Religio veſtra ſemper in meliùs (Deo propitiãte) proficiat, & ſiquid obſtare dignoſcitur, ſolicitè corrigatur. Vobis itaque, quos in diuini nominis amore vigiles delectat extirpare vitia, & plantare virtutes, vt Apoſtatas, vel inſolentes veſtri Ordinis, niſi veſtris ſalubribus monitis acquieſcant, excõmunicare, capere, ac ligare, & carceri tradere, ſi videbitur expedire, poſſitis, auctoritate præſentium concedimus facultatem. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ conceſſionis infringere, vel ei auſu temerario contraire: Siquis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Datum Lateran. quinto Calendas Maij, Pontificatus noſtri anno vndecimo.

Apoſtatas capere, & in carcerem trudere poſſumus.

§. 3. Per hoc autem vobis nullũ ius de nouo acquiri volumus, ſed antiquum tantummodò conſeruari.

Datum Reate, quinto Calendas Septembris, Pontificatus noſtri anno ſecundo.

NICOLAI QVINTI. Conſtit. I.

Ex Bulla originali cum plumbo, aſſeruata in Archiuo Ordinis Romæ. num. 1.

Summarium.

Renouatur Conſtitutio quarta Martini Quinti contra Fratres tranſeuntes ad alios Ordines, vel ad ſeruiendum Cardinalibus pro confeſsionibus abſque licentia ſuorum Superiorum.

NICOLAVS EPISCOPVS 1451.
Seruus Seruorum Dei.

Ad futuram rei memoriam.

§. 1. SOlicitudo paſtoralis officij, Nobis licèt immeritis diuina diſpoſitione commiſſi, ſtudia noſtræ mentis ſolicitare non deſinit, ſic ſingulis rebus executionẽ adhibere iuſtitiæ, quòd commiſſa per Religioſas perſonas, quæ mundanis abiectis illecebris ſub regulari obſeruantia præ ceteris honeſtiùs ex voto profeſſionis viuere ſunt adſtrictæ, crimina, & exceſſus puniat, & emendet, ac committendorum in poſterum audaciam interdicat, eàsq; ad vitæ frugem reducat ſalubriter melioris.

§. 2. Dudum ſiquidem fel. rec. Martinus Papa Quintus prædeceſſor noſter viam ambitioſæ cupiditatis, Religioſis potiſſimè Mendicantibus, ad alios Ordines, præſertim Monaſticos fucatis coloribus, & ob frugẽ melioris vitæ conuolare nitentibus, præcludere cupiens, ex certa ſcientia declarauit, ac decreuit ſtatuens, quòd de cetero nullus Religioſus de Ordinibus Mendicantium quorumcunque, cuiuſcunque ſtatus, conditionis, vel Religionis exiſteret, quomodocunque, & qualitercunque poſſet, vel deberet, virtute cuiuſcunque licentiæ, ac indulti, Apoſtolica, ſeù Pœnitentiariæ noſtræ (tunc ſuæ) curam gerentis, vel alia quauis auctoritate hactenus, etiam per Bullas Apoſtolicas, facultatum quarundã tàm Legatorum, & Nuntiorum Sedis præfatæ, necnon Pœnitentiariæ huiuſmodi pro tempore curam gerentis, quàm aliorum quorumcunque ſub quauis poteſtate, aut auctoritate, maximè de transferendis Fratribus,

aut

aut aliquibus, præsertim Ordinum Mendicantium professoribus, in genere, vel in specie ab Ordinibus huiusmodi Mendicantium ad Monasticos sub quacunque cōceptione verborum apparerent admitti, aut recipi per aliquos etiā Superiores Ordinis, seù Monasterij, aut loci Monastici, seù aliàs in Monachum, vel in Fratrē alicuius ex Ordinibus Monasticis supradictis, vel alijs expressis, & nō expressis (Ordine Carthusiensi duntaxat excepto) sub pœna excommunicationis, in quam tàm recipientes, quàm recepti ipso facto incurrerent, & quam ex tunc contra quemlibet transgressorem protulit, ac secus, vel aliter facta non tenere, nullius existere efficaciæ, roboris, vel momenti; decernens, quòd siquis virtute cuiuscunque licentiæ, seù indulti fuisset receptus ad aliquem Monasticū Ordinem, & habitum cōsuetum gestari per Monachos dicti Ordinis suscepisset, siuè professionem emisisset, siuè non, sub dicta pœna teneretur in Monasterio, in quo receptus stare per quasdam primò, & deinde per alias suas literas statuit, & etiam ordinauit, quòd omnes, & singuli Fratres Ordinis Eremitarum S. Augustini, qui ipsius Prædecessoris super hoc non obtenta licentia, erant tūc, & in antea essent Venerabiliū S.R.E. Cardinalium, seù aliorum Prælatorum, aut quarumuis aliarum personarum ecclesiasticarum, vel secularium Capellani, seù Confessores, aut familiares, non tamen in domibus eorundem Cardinalium pro tempore commorantes, perinde eorum Superioribus, & correctioni ipsorum, in omnibus, & per omnia essent subiecti, ac si Capellani, seù Confessores, aut familiares (vt præfertur) non essent: decernens nihilominùs eos ad renuntiandum officijs, & familiaritatibus huiusmodi obtentis quamcitò resignare, desistendùmq; penitùs, & omninò ab officijs, & familiaritatibus eisdem, atque ad claustra sua reuertendum, & regulariter iuxta professionis suæ continentiam viuendū, per dilectos filios Priorem Generalem, ac Prouinciales ipsius Ordinis Priores efficaciter cōpellendos, prout in singulis dicti Prædecessoris inde confectis literis pleniùs continetur.

Ab Ordine Mendicantium ad Monachos transire prohibetur.

§. 3. Cum autem, sicut facti euidentia manifestat, Prædecessoris statuta, decreta, & ordinationes huiusmodi, quæ minimè custodita sunt, non solùm speratos fructus, prout verisimiliter credebatur, attulerunt; verùm etiam ijdem Religiosi exquisitis medijs suaui iugo Domini excusso, Religionis obseruātia, ac claustri amœnitate penitùs derelictis, ad alios Monasticos, siuè Canonicorum Regularium S. Augustini Ordines, se transtulerint: nonnulli verò beneficia ecclesiastica, etiam quibus cura imminet animarum, simulatis occasionibus assecuti, illa contra decreta, statuta, & ordinationes prædictas detinuerint, prout eorum aliqui adhuc illa detinent in animarum suarum periculum, & Ordinis memorati præiudicium, ac non modicum detrimentum.

Ad Ordinē Canonicorum Regulariū transire non possunt Fratres.

§. 4. Nos volentes in præmissis, prout ex officij pastoralis debito obligamur, de oportuno remedio prouidere, declarationem, statuta, & ordinationes prædicta auctoritate apostolica ratificantes, approbantes, & pro illorum soliditate innouantes, illàq; inuiolabiliter obseruari man-

Z dantes,

dantes, vniuerſis, & ſingulis eiuſdem Ordinis profeſſoribus cuiuſcunque dignitatis, gradus, vel conditionis fuerint, qui contra literarum earundem tenores, ad aliquem Monaſticum, ſiuè Canonicorum Regulariũ S. Auguſtini, præterquàm Carthuſienſem Ordinem, ſe tranſtulerunt, quique beneficia eccleſiaſtica cum cura, vel ſinè cura ex poſt adepti sũt, aut earundem, vel aliarum perſonarum, præterquàm ſi aliquorum S.R.E. Cardinalium prædictorum Capellani cõtinui, commenſales, eorùmq; ſeruitijs inſiſtant, harum ſerie in virtute ſanctæ obedientiæ, auctoritate Apoſtolica præcipimus, & mandamus, quatenus infra vnius menſis ſpatium, poſtquàm præſentes ad eorum notitiam deductæ fuerint, ad domos ipſius Ordinis, in quibus regularem profeſſionem emiſerant, vel aliàs prout Generalis, ac Prouinciales Priores dicti Ordinis pro tempore exiſtentes ſtatuerint, omni prorſus exceptione remota, redire, ac beneficia huiuſmodi, quæ ex nunc vacare decernimus, realiter, & cum effectu dimittere, ipſorùmq; Superiorum mandatis parere, ipſisq; intendere humiliter teneantur.

§. 5. Et nihilominus eiſdẽ Prioribus tenore præſentium auctoritate præfata committimus, & mãdamus, quatenus omnes, & ſingulos profeſſores prædictos, qui in earundem, ac præſentium literarum obſeruatione ſe exhibuerint negligentes quomodolibet, vel rebelles, non obſtãtibus quibuſcunque priuilegijs, exemptionibus, habilitationibus, diſpenſationibus, cõmendis, licentijs, collationibus, prouiſionibus, aut literis Apoſtolicis eis, vel eorum aliquibus, etiã alicuius, ſeù aliquorum intuitu, vel reſpectu, ſub quacunque forma, vel expreſſione verborum, etiamſi de illis indiuidua, & expreſſa mentio, ac de verbo ad verbum habenda foret, hactenus factis, ſeù conceſſis, & inpoſterum forſitan faciendis, ſeù concedendis, quæ eis in præmiſſis nullatenus volumus ſuffragari, omnibus, & ſingulis beneficijs, aut officijs, quæ obtinent, ſeù obtinebunt, quomodolibet in futurum, priuare, ipsòsq; ab illis amouere, & amoueri facere, necnon inobedientes prædictos pœnis, quæ pro culpis, aut exceſſibus maioribus, ſeù grauioribus in dicto Ordine imponi ſolent, ſiuè aliàs pro ſuo arbitrio punire, & corrigere; necnon omnes, & ſinguli, qui aliquem ex Fratribus dicti Ordinis in eccleſijs ſibi commiſſis, vel aliàs ad eos legitimè pertinẽtibus pro Capellanis, vel aliter retinent, illos infra dictum menſem licentiare, expellere vigili attentione procurent. Aliòquin ſi in præmiſſis fuerint negligentes quomodolibet, vel rebelles, beneficijs huiuſmodi eo ipſo priuati exiſtant.

§. 6. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ ratificationis, approbationis, conſtitutionis, commiſſionis, mandati, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire: Siquis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo primo, decimoſexto Calendas Iunij, Pontificatus noſtri anno quinto.

Con-

Constit. II.

Ex Bulla originali cum plumbo, quæ asseruatur Romæ in Archiuo Ordinis. nu. 2.

Summarium.

Renouatur Constitutio secunda Martini Quinti, pro officio Prouincialatus, ad triennium, vel biennium traducendo.

1451. *NICOLAVS EPISCOPVS Seruus Seruorum Dei.*

Ad futuram rei memoriam.

§. 1. Dispositione diuina, cuius prouidẽtia vniuersa reguntur, gregi Dominico (licèt immeriti) præsidentes, ad hoc cordis nostri longè, lateq; diffundimus cogitatus, vt cuncti Religiosi, qui seculi huius oblectamentis fallacibus pessundatis, suaui iugo Domini spõtè sua colla iunxere, in sancta vocatione permaneant, diuinis, Apostolicisq; præceptis obtemperent, sicq; virtuosis operibus intendant, quòd nihil sibi perperam Superioritatis vsurpent, nihil ipsis, eorùmve subditis turbationis præbeat incentiuum, ac quanto reliquis se prælatos conspiciunt, tanto magis in humilitatis spiritu institutis regularibus se coaptent.

§. 2. Dudum siquidem fel. rec. Martinus Papa Quintus prædecessor noster pro directione, & reformatione dilectorum filiorum Prouincialium Priorum, necnon vniuersorum Fratrum Ordinis Eremitarum S. Augustini, inter alia statuit, & ordinauit, quòd ex tunc in antea nullus Prior Prouincialis dicti Ordinis deberet, aut posset officium Prouincialatus vltra tres annos continuos, si Magister in Theologia, & vltra duos, si alterius gradus existeret, retinere in primo per quasdam. Et deinde piæ memoriæ Eugenius Quartus etiã prædecessor noster, postquam statutum, & ordinationem eiusdem Martini prædecessoris per alias suas literas ratificauerat, & approbauerat, inter cetera statuit, & decreuit, singulos Prouinciales eiusdem Ordinis singulis annis in suis Prouincijs Capitulum, seù Congregationem celebrare debere, & in illa Prouincialatus officio, & sigillo renuntiare: & si in præmissis se negligentes, aut aliàs rebelles exhiberent, eodem officio priuati existerent, alìòquin si in illo se intromittere quoquo modo præsumerent, sententiam excommunicationis incurrerent ipso facto, prout in singulis antedictis literis, quarum tenores præsentibus pro expressis haberi volumus, pleniùs continetur.

§. 3. Cum itaque postmodum, sicut accepimus, nonnulli eiusdem Ordinis professores, & huiusmodi Prouincialatus officio pro tempore fungentes, in obseruatione statuti, constitutionis, decreti, & voluntatis Prædecessorum eorundem neglig ẽtes se plurimi exhibuerint, & contra literarum prædictarum dispositionẽ temerè attentando, vt in dicto officio Prouincialatus perpetui fierent, siuè diutiùs permanerent, illòq; fungerentur, multipliciter facere præsumpserint in animarum suarum periculum, & Fratrum dicti Ordinis detrimentum.

§. 4. Nos præsumptam eorundẽ audaciam compescere, & prout ex susceptæ Apostolicæ seruitutis astringimur officio, abusionibus huiusmodi viam præcludere cupientes, necnõ

literas Prædecessorum huiusmodi, auctoritate Apostolica, tenore præsentium ratificantes, & approbãtes, illarùmq; tenores sub pœnis, & censuris, in eis contentis inuiolabiliter obseruari mandantes: omnes quoque dispensationes, derogationes, indulta, & literas Apostolicas dudum per Nos, vel Sedem Apostolicam contra Prædecessorum literas huiusmodi concessas quibusuis personis, eiusdem Ordinis professoribus, seù Prouincialibus Prioribus hactenus concessas reuocantes, cassantes, annullantes, illàsq; nullius roboris, vel momenti decernentes fore, & pro efficacioris, & potioris roboris firmitate, præsentis perpetuò valituræ constitutionis edicto, eadem auctoritate Apostolica, simili scientia statuimus, & ordinamus, quòd ex nunc in antea futuris temporibus, singuli dicti Ordinis Prouinciales Priores per triẽnium duntaxàt, & non vltra (si Magistri in Theologia fuerint, & per biennium si non fuerint in Theologia Magistri) Prouincialatus fungãtur officio, ac singulis annis Capitulum, siuè Congregationem celebrare (vt præmittitur) teneãtur, quòdq; si per Capitulum Prouinciale præcedens subsequentis anni Capitulũ celebrandum in aliquo speciali loco ordinari contingat, & in eodem loco illud infra annum præfatum cõmodè celebrari non possit; eo casu Generalis Prior dicti Ordinis pro tempore existens, dictum Capitulum vltra annum (causa subsistente legitima) ad tres menses prorogare, & si in loco deputato cõmodè celebrari non possit, ad aliùm locum liberè, & licitè valeat eadem auctoritate nostra transferre.

Officiũ Prouincialis ad bienniũ, vel triẽnium.

§. 5. Non obstantibus præmissis, ac quibuscũque priuilegijs, indultis, ac gratijs, & literis quibusuis ipsius Ordinis Prouincialibus Prioribus de perpetuatione officij sui, seù quòd ab illo quamdiù vixerit, vel infra qualicunque tempore amoueri non possint per Nos, & Sedem prædictam, sub quibusuis verborum formis, etiã Motu proprio, vel aliàs qualitercunque cõcessis, etiamsi de illis, eorùmq; totis tenoribus, præsentibus de verbo ad verbum mentio habenda foret: necnon dicti Ordinis iuramẽto, confirmatione Apostolica, vel quauis alia firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus, ceterisq; contrarijs quibuscunque.

§. 6. Nulli ergo omninò hominũ liceat hanc paginam nostræ voluntatis, ratificationis, approbationis, reuocationis, cassationis, annullationis, constitutionis, statuti, & ordinationis infringere, vel ei ausu temerario contraire: Siquis autẽ hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum.

Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ, Millesimo quadringentesimo quinquagesimo primo, decimo sexto Calendas Iunij, Pontificatus nostri anno quinto.

Constit. III.

Ex Bulla originali cum plumbo, asseruata Romæ in Archiuo Ordinis. num. 3.

Summarium.

Renouatur exemptio circa solutionem portionis Canonicæ, quæ prius ab eodem Pontifice ablata fuerat.

NICO-

1451. NICOLAVS EPISCOPVS
Seruus Seruorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. 1. REgimini vniuersalis Ecclesiæ disponente Domino præsidentes, iuxta pastoralis officij debitum cura reddimur indefessa soliciti, vt Christifideles singuli, in quorum vtique tranquillitate quiescimus, iurgiorum resecatis anfractibus in concordiæ dulcedine, pacis vndique famulentur auctori, vnde ad omnes, præsertim dirimendas lites, ac quæcunque submouenda scandala, quæ inter ecclesiasticos seculares, ac Mendicantium Ordinũ regulares personas, hostis antiqui versutia, veterem iam propè sopitã renouante zizaniam ex quibusdam per Nos hinc inde eisdem personis factis concessionibus, pullulare conspicimus, eo Apostolicæ solicitudinis studio propensiùs occurrimus, quo ipsarum personarum dissensio periculosiùs alijs cedit in exemplũ, & illarum turbatio vehementer Nos conturbat.

§. 2. Nuper siquidem pridie Calendas Iulij, Pontificatus nostri anno quarto, dilectis filijs Priori Generali, & Fratribus Ordinis Fratrum Eremitarum S. Augustini per quasdam inter cetera indulsimus, vt de ijs, quæ pro ornamentis, paramentis, libris, fabrica, luminaribus, anniuersarijs septimo, vicesimo, tricesimo, vel alijs diebus ad perpetuum cultũ diuinum, seù pro pietantijs, aut victu, & vestitu ad sustentationem eorum, aut pro annuis censibus redimendis, ad quorum solutionem aliquæ domus eiusdem Ordinis obligatæ dicebantur, vel de domibus, prædijs, hortis, alijsq; locis, eis secundùm instituta eiusdem Ordinis, de ijs, quæ pro huiusmodi domibus, hortis, & locis emendis eis legabantur, seù hactenus legata fuerunt, dummodò non conuerterentur in alios vsus, sed in illos duntaxàt, pro quibus relicta fuerant, aut relinqui contingeret, nulli tenerentur portionem Canonicam exhibere.

§. 3. Et deinde, videlicèt Idibus Februarij, Pontificatus, & anni prædictorum, præfatum, & quæuis alia per Nos, aut prædecessores nostros Romanos Pontifices quibusuis alijs quorumcunque Ordinũ Mendicantium Fratribus, aut eorum Conuentibus, siuè domibus vbicunque consistẽtibus, sub quauis verborum forma, etiam Motu proprio, & ex certa scientia facta indulta, & concessas desuper literas, per alias nostras literas reuocauimus, cassauimus, & annullauimus.

Fuerũt reuocata priuilegia pro solutione decimarum.

§. 4. Ac subsequente, videlicèt tertio Calendas Aprilis, dicti Pontificatus anno quinto aliæ à Nobis emanarunt literæ, per quas nos asserentes, quòd Nos, qui talia, ac tanta intendebamus maturo, digestòque consilio recensere, & diuersis arduis Ordinis præpediti negotijs, primò dictas literas reuocaueramus, illas, & alias præfatorum Prædecessorum quascunque eatenus earundem Ordinum Fratribus concessas, & per Nos confirmatas, seù approbatas literas, & processus inde habitos per easdem, & quæcunque inde secuta, illarum tenores, ac si de verbo ad verbum inserti forent ipsis posterioribus literis pro expressis habendo voluimus, & decreuimus in eorum robore permanere, ac si vltimò dictæ

reuocatoriæ literæ à Nobis nullatenus emanassent: quas cum omnibus, & singulis inde secutis, Motu, & scientia similibus reuocauimus, cassauimus, & annullauimus, ac nullius voluimus esse roboris, vel momenti, prout in singulis literis prędictis, quarum tenores de verbo ad verbum præsentibus haberi volumus pro insertis, pleniùs continetur.

§. 5. Cum autem sicut grauibus plurimorum querelis, fide digna relatione percepimus, ex eo quod nõnulli ex Venerabilibus fratribus nostris Archiepiscopis, Episcopis, ac ex dilectis filijs Rectoribus, & Clericis parochialium ecclesiarum; necnon Prædicatorum, Minorum, Eremitarum, Carmelitarum, ceterorùmque Mendicantium Ordinum Fratribus, prætendentes per præfatas, & alias à Nobis editas literas, constitutionibus, consuetudinibus, priuilegijs, & indultis super soluendis, aut non soluendis parochialibus, & alijs iuribus editis fuisse derogatum, indulta, cõuentiones, & pacta inter eos inita, & consuetudines diutiùs habitas seruare recusent non modò antiquam, & periculosam, inter eos ab olim suscitatam, & aliàs sopitam discordiam reuocari, quinimò grauiora possent iurgia, dissensiones, & scandala verisimiliter exoriri.

Iterum priuilegia pro solutione Decimarũ confirmatur.

§. 6. Nos, qui illius in terris vicẽ gerimus, qui pacem, & concordiam nutrit in sublimibus, ac pacem ipsam iure hæreditario, suis reliquit discipulis in discessu; Motu proprio, auctoritate Apostolica, & ex certa sciẽtia; prædictas, ac quascunque alias per Nos, tàm Archiepiscopis, Episcopis, Rectoribus, & Clericis, quàm Fratribus prædictis, & Motu, ac sciẽtia similibus, ac sub quibusuis formis, & expressionibus verborum, super soluendis, vel non soluendis iuribus prædictis, seù per quas aliquid super solutione iurium prædictorum, innouaretur, seù innouari quomodolibet posset per Nos hactenus in specie, vel genere concessas literas, illarum tenores de verbo ad verbum præsentibus pro insertis habentes, reuocamus, cassamus, annullamus, ac illis in iudicio, & extra vbicunque exhibitæ fuerint, vel ostensæ, nullam fidem adhiberi debere decernimus: necnon Archiepiscopos, Episcopos, Rectores, & Clericos, ac Fratres prædictos, & illorum quoslibet, quoad solutionem faciendam, vel non faciendam antedictam, in eo statu, in quo antiqua prædictæ à Nobis emanarent literæ, fuerant, in integrum restituimus, & reponimus.

§. 7. Mandantes iuxta formam, & tenorem præsentium in iudicio, & extra vbicunque per quoslibet censeri, & iudicari, ipsàsq; præsentes in libro Cancellariæ nostræ describi, & ad cuiuslibet illas petentis instantiã, per dictam Cancellariam in forma de Curia, gratis, absque taxatione aliqua expediri; non obstantibus præmissis, ac constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ceterìsque contrarijs quibuscunque.

§. 8. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginã nostrorum reuocationis, cassationis, annullationis, constitutionis, repositionis, restitutionis, & mandati infringere, vel ei ausu temerario contraire: Siquis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum.

Datum

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ Millesimo quadringentesimo quinquagesimo primo, quinto Calendas Decembris, Pontificatus nostri anno quinto.

PAVLI SECVNDI.

Constit. I.

Ex transumpto authentico in forma probante Antonij de Monte Auditoris Generalis Cameræ Apostolicæ, quod cum nonnullis alijs Constitutionibus Apostolicis reseruatur Romæ in Conuentu Sanctæ Mariæ de Populo, & habetur etiam in libello Priuilegiorum Ordinis. pagina 59.

Summarium.

Priuilegia Congregationi Lombardiæ conceduntur, & conditiones aliquot obseruandæ ponuntur, inter Fratres Cōgregationis præfatæ, & Ordinem.

1469. *PAVLVS EPISCOPVS Seruus Seruorum Dei.*

Ad futuram rei memoriam.

§. 1. Diuina dispositione gregi Dominico præsidentes, pro fidelium quorumlibet, & præsertim pro Religiosorum pace inuigilare tenemur, vt quos vnius professionis vinculum vna Religio copulauit, nulla dissensio dissecare, nullavè emergens æmulatio perturbare valeat, sed mutua charitate cōiuncti, ceteris exemplo proficiant, ipsos nihil impediat, quin tranquillis mentibus contemplationis suauitati, diligenter intendere possint.

§. 2. Cum itaque sacra Religio Ordinis Eremitarū S. Augustini per incrementa virtutum, sanctimoniæ opera, & sacrarum literarum eruditione hactenus prosperè conseruata, à nonnullis annis citra produxerit ex se Cōgregationum Fratrum suorum sub primæuis dicti Ordinis institutis, seù regulari obseruantia Domino vota sua salubriter exoluentium: in qua vnus Vicarius generalis totius dicti Ordinis vices gerit in Congregatione nūcupata Lombardiæ, sub eodem Priore Generali supremam in loca, & Fratres Congregationis eiusdem, quæ de Obseruantia nuncupatur, prælaturam obtinet, qui annuatim in eorū Capitulo mutatur, & eligitur, & per eundē Priorem Generalem confirmatur iuxta eorum constitutiones. *Generalis super Congregationē Lōbardiæ habet supremā Prælaturam.*

§. 3. Nos ne inter Congregationis de Obseruantia, & alios dicti Ordinis professores, occasione regiminis, seù occupationis, vel receptionis domorum, seù alia quacunque occasione vllæ rixæ, & dissensiones (instigante versuto, & bonorū operum perturbatore callido) aliquando oriri, & emergere possint; prouida cōsideratione præcauere, & opportunis remedijs obuiare volentes, habita

bita super hoc cum Venerabili fratre nostro Guilelmo Episcopo Ostiensi dicti Ordinis in Romana Curia Protectore, ac dilectis filijs Guilelmo de Bechis de Florentia Generali Priore Ordinis, & Augustino de Crema Vicario Congregationis prædictorum consultatione matura, de Prioris Generalis, & Vicarij prædictorum expresso consensu, auctoritate Apostolica, & ex certa scientia tenore præsentium statuimus, & ordinamus; quòd dictus Vicarius, & Fratres Cõgregationis præfatæ nuncupatæ Lõbardiæ de Obseruantia præsentes, & futuri, immediatè sub Prioris Generalis potestate sint, vt hactenus fuerunt: nec quouis modo Fratres Conuentuales, vel eorum Prouinciales, seù alij Prælati dicti Ordinis (præter dictum Priorem Generalem) superioritatem super eosdem habeant, districtiùs inhibentes, ne eos in aliquo molestare præsumant.

Statuta & pacta inter Generalē, & Congreg. Lõbardiæ.

§. 4. Et insuper, ne super occupatione, seù receptione domorum, & locorum aliqua inter Fratres ipsos oriantur scandala, similiter statuimus, & ordinamus, & tàm Conuentualibus, quàm de Obseruantia Fratribus supradictis districtiùs inhibemus, ne proprio motu, industria, & malitia, videlicet Fratres Conuentuales, Obseruantium, & è contra illi de Obseruantia de cetero Conuentualium Fratrum prædictorum aliquam domum, locum, Conuentum de nouo recipere, inuadere, vel perturbare præsumant.

Fratres Lõbardiæ non possunt occupare loca, & dom⁹ Ordinis

§. 5. Conuentuales autem, & alij Fratres etiam de Obseruantia Priori Generali duntaxat, seù etiam Prouincialibus subditi, eorùmq; Prælati, ne aliquos Fratres de Obseruantia sub Vicario prænominatæ Congregationis Lombardiæ viuere solitos, transfugas, seù ad eos fugientes, nisi ostenderint suæ licentiæ literas à Capitulo, seù à Vicario eiusdem Congregationis per eos obtentas, in quibus contineatur nomen Conuentus, à quo recesserunt, & illius, ad quem remissi sunt, etiam sub prætextu cuiuscunque licentiæ super hoc ipsis Fratribus Conuentualibus, & alijs de Obseruantia dicto Vicario non subditis, eorùmq; Prælatis ab Apostolica Sede hactenus concessæ, quã (quoad hoc) penitùs reuocamus: in suis domibus, vel locis, ibi mansuros, vltra triduum acceptare quoquo modo præsumant, sed illos ad Prælatos suos remittere teneantur. Et viceuersa prohibemus, ne Fratres de Obseruantia nuncupati prædicti, scandalosos, & criminosos Fratres Conuentuales, & disciplinam Ordinis subterfugientes recipere, sed illos similiter ad Prælatos suos remittere debeant. Aliòquin Nos ex nũc prout ex tunc in contrafacientes, & inhibitionum harum nostrarum transgressores tàm Conuentuales, quàm de Obseruantia, & alios Fratres prædictos excommunicationis sententiam harum serie promulgamus, à qua non possint, nisi à Romano Põtifice, præterquàm in mortis articulo, absolutionis beneficium obtinere: & etiam ab officio, cui præsunt suspensi, & ad actus legitimos exercendos inhabiles fiant eo ipso.

Fratres Ordinis non possunt recipere Fratres Congregationis & viceuersa sine licentia Superiorũ.

§. 6. Adijcientes, quòd ipsi fugitiui à suo Prælato vbicunque reperti, aut pro crimine, leuitate, aut alia suæ fugæ causa corrigi, & puniri possint. Quòd si postquàm correcti, & puniti fuerint, recedere voluerint,

rint, petere debeant licentiam, prout ſuperiùs eſt narratum. Nec de cetero à quouis Fratrum de Obſeruantia repeti poſſint, niſi fortè conſtiterit eos ad frugem vitæ melioris redire voluiſſe. Siquis autem Prælatorum, aut Fratrum prædictorum ſuper reſtitutione fugitiuorum huiuſmodi requiſitus, illam facere noluerit, prædictas ſuſpenſionis, & inhabilitatis ſententias incurrat eo ipſo: quos fugitiuos Vicarius Generalis libris, & alijs rebus ſuo vſui conceſſis, etiam propter hoc priuare debeat.

§. 7. Volentes inſuper, quòd Generalis Prior, ac Vicarius prædicti attentè caueant, quòd nulli Fratrum Conuentualium, vel de Obſeruantia nuncupatorum diſcurrendi, vel vagandi per Prouincias licentiam concedat abſque rationabili cauſa, & euidenti neceſſitate (ſuper quod eorum conſcientias oneramus, etiam ſub aliqua indulgentiarum ſpecie, vel prætextu: quòd ſi literæ conceſſionum huiuſmodi, aliàs quàm pro cauſa, & neceſſitate ſimilibus reperirentur, illæ nullius ſint roboris, vel momenti.

§. 8. Volumus inſuper, quòd illi, qui hactenus de dicta Congregatione, etiam de licentia ſui Superioris, ſiuè abſque illa receſſerunt, ſi ad loca domibus dictæ Congregationis propinquiora redierint, vt ibi ſcandalum dictis Fratribus de Obſeruantia faciant, ipſe Vicarius, ſeù Prior, & Fratres loci, cui appropinquauerint, illos comprehendere, & incarcerare, ac aliàs iuxta qualitatem exceſſus corrigere, & punire valeant non minus quàm ſi de dicta Congregatione exiſterent.

§. 9. Et quoniam (vt accepimus) propter quæſtas, quæ à Fratribus vagabundis in diuerſis locis fiunt, quamplura ſcandala in eodem Ordine ſæpenumero oriuntur; omnibus, & ſingulis tàm Cōuentualibus, quàm de Obſeruantia Fratribus ſupradictis diſtrictiùs inhibemus; ne ipſi de Obſeruantia ſub nomine Cōuentualium, nève Conuentuales Fratres ſub nomine, aut prætextu Fratrum de Obſeruantia, aut locorum quæſtuare quoquo modo præſumant: mandantes eorum Superioribus ſub pœna priuationis officiorū ſuorum, & inhabilitationis ad illa, & quæuis alia officia, & quoſuis alios actus legitimos in ſuo Ordine exercendos, quam (ſi in hoc negligentes fuerint) eo ipſo incurrant; vt illos Fratres, qui contra prohibitionē noſtram huiuſmodi fecerint, carceribus, vſque ad condignam pœnitētiam mancipent, & obſeruent: qui etiam quæſtuantes ab eorum Prælatis rebus quæſitis huiuſmodi penitùs priuentur, Conuentùiq; in cuius territorio, & nomine quæſtuatæ ſunt, reſtituantur.

Queſtuare non poſſunt nomine alterius.

§. 10. Ceterùm, cum dudum inter præfatum Guilelmum Epiſcopū, & Priorem Generalem, & Conuentuales ex vna, ac de Obſeruātia Fratres prædictos ex altera partibus cōuentum fuerit; vt pro Conuentibus omnibus, quos ipſi Obſeruantes à Prouincijs receperunt, ſeù in futurū recipient, de tribus partibus collectarum, ad quas Conuentus ipſi in Conuentualitate exiſtentes obligabantur, duas partes dicto Priori Generali moderno, & pro tempore exiſtenti perſoluerent, tertiam verò partem pro ſe retinerent, reducendo Conuentum Mantuanum (quoad præ-

Conuentio collecta ſoluē da Generali pro Conuentibus quos Fratres de Obſeruātia poſſident.

Conuentus Mātuanus erat Prouinciæ Venetæ. præſtitis, quæ olim Venetijs percipiebat, careret) ad taxam ſex florenorum auri, quorum quatuor eidem Priori Generali perſoluerentur: nec deinceps ipſi Fratres de Obſeruantia aliquam aliam impoſitionem Ordini factam, aut faciendam præſtare tenerentur, niſi illa toti Religioni dicti Ordinis communis foret, & pro bono communitatis introducta.

§. 11. Nos, vt cōuentio ipſa perpetuis futuris temporibus firmiter obſeruetur, conuentionem ipſam, ac exemptionem, & liberationem à collectis prædictis per præfatū Guilelmum Epiſcopum, auctoritate noſtra factam, & reliqua in quibuſdam authenticis literis præfati Guilelmi Epiſcopi contenta, auctoritate ſibi per Nos deſuper oraculo viuæ vocis conceſſa, tenore præſentium confirmamus, & approbamus, ac plenum robur obtinere decernimus, ſupplētes omnes, & ſingulos defectus, ſi qui forſan interuenerint in eiſdem.

§. 12. Rurſus, vt ſacer Ordo iſte dilatetur, auctoritate, & ſcientia prædictis, ſtatuimus, & ordinamus, quòd eiſdem Fratribus de Obſeruantia de *Fratres Congregationis Lōbardiæ poſſunt noua loca vbique recipere* conſenſu, & voluntate Capituli dictæ Congregationis, eorùmq; Vicario perpetuo liceat (habita tamen ſuper hoc ab eadem Sede Apoſtolica licentia) in quacunque Ciuitate, Caſtro, ſeù aliquo loco, etiamſi in illa, vel illo alia, vel aliæ Fratrum Cōuentualium domus exiſtant, nouas domos ædificare, vel ſi ædificatæ à Principibus, Dominis, Communitatibus, vel alijs fidelibus, eis elargientur, dummodò non ſubijciātur Conuentualibus, accipere, & inhabitare.

§. 13. Inhibentes Prouincialibus, & Fratribus Conuentualibus, ac alijs duntaxàt Generali ſubditis, ne proprio motu, induſtria, vel malitia ſuper receptione, vel retentione talium domorum per eos huiuſmodi iuxta Apoſtolicam licentiam accipiendarum contra tenorē præſentium impediant, aut eis moleſtiam aliquam inferre præſumant.

§. 14. Et ſimiliter prohibemus Fratribus de Obſeruantia prædictis, ne eoſdem Fratres Conuentuales licentiam à Priore Generali habentes, quominus in eiſdem Ciuitatibus, atque locis, etiam noua loca conſtruere, & conſtructa, dummodò Vicario ſubſint, ſi eis (vt præfertur) donentur, & concedantur, accipere, & retinere poſſint, impedire audeant.

§. 15. Etiam volumus, ac tenore præſentium ordinamus, quod ſi quādo (quod abſit) Conuentuales, vel de Obſeruantia, aut alij Fratres prædicti inhibitionibus noſtris, & ordinationibus ſupradictis contrauenerint, aut aliàs contra tenorem præſentium attentauerint, excommunicationis ſententiam incurrant, quam ex nunc prout ex tunc in his ſcriptis ferimus, à qua non poſſint, niſi à Romano Pōtifice, præterquàm in mortis articulo abſolui: & etiam eo ipſo ſint officijs ſuis priuati, & inhabilitati ad illa, & quæuis alia officia, quoſuis actus legitimos in ſuo Ordine exercendos, niſi ſtatim deſiſtant. *Excommunicātur qui non obſeruant conuentiones.*

§. 16. Et nihilominus volumus, & ordinamus, quòd Fratres de Obſeruantia ad Priorem Generalem, vel Prouinciales; & è contra Conuentuales, & alij Fratres prædicti ad Vicarium memoratum pro obſeruatione præſentium, & rebellium correctione recurrere poſſint. Qui quidē

Gene-

Generalis, & Prouinciales, atque Vicarios transgressores ipsos teneantur, & debeant auctoritate nostra per cēsuram ecclesiasticam, & oportuna remedia vsque ad satisfactionem debitam coërcere, alijs prædictis pœnis in suo robore nihilominus permanentibus, decernentes irritum, & inane, si secus super præmissis, vel eorum aliquo per quoscunque quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus, & ordinationibus apostolicis, necnō statutis, & consuetudinibus dicti Ordinis, iuramento, cōfirmatione apostolica, vel quauis alia firmitate roboratis.

§. 17. Postremò, quia difficile foret præsentes literas ad singulas Prouincias originaliter destinare, volumus, & dicta auctoritate decernimus, quòd transumptis earum manu Notarij publici, & Curiæ causarum Cameræ Apostolicæ, aut alterius Episcopalis, vel Archiepiscopalis Curiæ sigillo munitis, ea prorsus in iudicio, & extra vbicunque exhibita, vel ostensa fuerint, fides adhibeatur, ac si ipsæ originales literæ forent exhibitæ, vel ostensæ.

§. 18. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostri statuti, ordinationis, inhibitionis, reuocationis, prohibitionis, promulgationis, voluntatis, confirmationis, approbationis, constitutionis, & suppletionis infringere, vel ei ausu temerario contraire: Siquis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum.

Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ Millesimo quadringentesimo sexagesimo nono, Nonis Ianuarij, Pontificatus nostri anno sexto.

Constit. II.

Ex transumpto authentico in forma probante Antonij de Monte Auditoris Generalis Cameræ Apostolicæ, quod asseruatur Romæ in Conuentu Sanctæ Mariæ de Populo, quod etiam habetur in libello priuilegiorum Ordinis. pagina 61.

Summarium.

Fratres Cōgregationis Lombardiæ possunt facere Mantellatos, qui gaudeāt priuilegijs Ordinis.

PAVLVS EPISCOPVS 1470.
Seruus Seruorum Dei.

Dilectis filijs Generali, & Prouincialibus Vicarijs, ac Prioribus Congregationis Lombardiæ Ordinis Fratrū Eremitarum Sancti Augustini Salutem, & Apostolicam benedictionem.

§. 1. EXposcit vestræ deuotionis syncentas, & Religionis promeretur honestas, vt illa vobis libenter concedamus, quæ deuotioni personarum, & diuini cultus augmento, animarùmq; saluti fore commoda dignoscuntur.

§. 2. Sanè pro parte vestra exhibita Nobis nuper petitio continebat, quòd in Prouincia Lombardiæ nonnulli laici zelo deuotionis accēsi ad instar Mantellatarum sub obediētia Fratrum Prædicatorum, vel Minorum, aut Seruorum Beatæ Mariæ Ordinum existentium, mantellum, seù habitum mantellatum sub obedientia Fratrum Ordinis vestri recipere desiderant. Quarè pro parte vestra asserentium, quòd vos mantellum, *Fratres Congregationis Lombardiæ possunt facere Mātellatos.*

lum, seù habitum huiusmodi mulieribus ex indulto Apostolico, aliàs vobis concesso exhibere potestis, & exhibetis, quòdq; ipsæ mulieres priuilegijs, & indultis Fratribus dicti vestri Ordinis quomodolibet cōcessis etiam gaudent; Nobis fuit humiliter supplicatum, vt vobis, ac successoribus vestris exhibendi omnibus, & singulis laicis, ac alijs deuotis personis maribus mantellum, seù habitum mantellatum huiusmodi, licentiam concedere, & aliàs super his oportunè prouidere de benignitate Apostolica dignaremur.

§. 3. Nos igitur huiusmodi supplicationibus inclinati, vobis, & successoribus vestris, qui pro tempore fuerint exhibendi omnibus, & singulis personis honestis laicis masculini sexus, hoc à vobis deuotè requirentibus, mantellum, seù habitum mantellatum nigri coloris, & habitui Fratrum eiusdem vestri Ordinis in colore conformem, ad instar aliorum Mantellatorum præfatorum, dummodò aliud canonicum non obstet. Ita quòd liceat ipsis laicis recipere, & gestare mantellum, seù habitum huiusmodi, per vos eis exhibitum, quibusuis constitutionibus, & ordinationibus apostolicis, caeterìsq; contrarijs nequaquam obstantibus auctoritate apostolica, tenore præsentium plenam, & liberam concedimus facultatem.

§. 4. Et nihilominus ipsis laicis, quibus taliter mantellum, seù habitum huiusmodi exhibueritis, quòd omnibus, & singulis priuilegijs, exēptionibus, immunitatibus, & indultis tàm spiritualibus, quàm temporalibus, præfatis vestris Ordini, & Congregationi, Apostolica, aut alia quauis auctoritate in genere concessis ad instar aliorum Mantellatorum prædictorum, etiam gaudere possint, eadem auctoritate concedimus, & indulgemus.

§. 5. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ cōcessionis, & indulti infringere, vel ei ausu temerario contraire: Siquis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum.

Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ Millesimo quadringentesimo septuagesimo, Pridie Calendas Septembris, Pontificatus nostri anno sexto.

PAVLI TERTII.

Constit. I.

Ex Breue originali, quod asseruatur Romæ in Archiuo Ordinis. num. 1.

Summarium.

Pro solutione decimarum Fratres tenentur ad medietatem tantùm.

A tergo.

Dilectis filijs Hieronymo Seripādo Generali, & alijs Prouincialibus Prioribus, ac vniuersis professoribus Ordinis Fratrum Eremitarum Sancti Augustini.

PAVLVS PAPA TERTIVS. 1540.

Dilecte fili Salutem, & Apostolicam benedictionem.

§. 1. Religionis synceritas, in qua sub volūtariæ paupertatis

pertatis habitu, Altiſſimo famulamini; ac fructus vberes, quos in agro militantis Eccleſiæ offerre non ceſſatis, Nos impellunt, vt indemnitati veſtræ quantum cum Deo poſſumus fauorabiliter conſulamus.

Ad medietatẽ Decimarũm per totã Italiam tãtum tenemur.

§. 2. Cum itaque vrgentibus tẽporum conditionibus, diuerſas fructuum eccleſiaſticorum decimas, à quibuſcunque, etiam Ordinum Mendicantium profeſſoribus bona ſtabilia ex priuilegio poſſidentibus, perſoluendas, in diuerſis orbis partibus, & præſertim tota Italia impoſuerimus; Nos vt afferendis fructibus huiuſmodi eò efficaciùs intendere valeatis, quo minoribus diſpendijs diſtrahemini, veſtris in hac parte ſupplicationibus inclinati, vobis quòd de cetero ratione cuiuſlibet decimæ, in tota Italia per Nos hactenus impoſitæ, vel in poſterum imponendæ, vltra illius medietatem ſoluere non teneamini; nec ad id à quoquam quauis auctoritate cogi poſſitis, apoſtolica auctoritate tenore præſentiũ de ſpeciali gratia concedimus, & indulgemus.

§. 3. Mandantes dilectis filijs modernis, & pro tempore exiſtentibus Camerario noſtro, ac Clericis, & Præſidentibus Cameræ Apoſtolicæ, necnon quibuſuis decimarum huiuſmodi hactenus deputatis, & in poſterum deputandis Collectoribus, & Subcollectoribus quauis dignitate præfulgeant; quatenus de cetero vos occaſione ſingularum decimarum hactenus in dicta Italia (vt præfertur) impoſitarum, vel inpoſterum imponendarum ratione domorum veſtri Ordinis, & illarum fructuum, vltra illius medietatem quouis modo grauare non præſumant, ſed exactione medietatis decimarum huiuſmodi contenti, vos ab illis omninò liberent, quietent, & abſoluant in omnibus, & per omnia perinde, ac ſi decimas huiuſmodi integrè ſoluiſſetis.

§. 4. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus apoſtolicis, ac quibuſuis literis ſuper impoſitione decimarum huiuſmodi pro tempore emanatis, etiamſi per illas præſentibus de verbo ad verbum derogari videretur, ceteriſq; contrarijs quibuſcunque.

§. 5. Ceterum quia difficile foret præſentes literas ad ſingula quæque loca, in quibus de eis fides facienda erit, deferre; volumus, & dicta auctoritate decernimus, quòd ipſarum tranſumpto manu publici Notarij ſubſcripto, & ſigillo alicuius Prælati, vel perſonæ in dignitate eccleſiaſtica conſtitutæ, aut curiæ eccleſiaſticæ munito, in iudicio, & alibi, vbi opus fuerit, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ originalibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, ſub anulo Piſcatoris, die vigeſima tertia Aprilis, Milleſimo quingenteſimo quadrageſimo, Pontificatus noſtri anno ſexto.

Conſtit. II.

Ex Breue originali aſſeruato Romæ in Archiuo Ordinis. num. 2.

Summarium.

Conſtitutio præfata de ſoluendis decimis pro medietate extenditur ad Regnum Siciliæ, & Dominium Venetorum.

A tergo.

Dilectis filijs Hieronymo Seripādo Generali, & alijs Prouincialibus Prioribus, ac vniuersis professoribus Ordinis Fratrum Eremitarum Sancti Augustini.

1541. PAVLVS PAPA TERTIVS.

Dilecti filij Salutem, & Apostolicam benedictionem.

§. 1. DVdum cum vrgentibus temporum conditionibus, diuersas super redditibus ecclesiasticis decimas, à quibuscunque, etiam Ordinum Mendicantium professoribus bona stabilia ex priuilegio possidentibus, persoluendas, in diuersis orbis partibus, & præsertim in tota Italia imposuissemus. Nos vobis, quòd ex tunc de cetero ratione cuiuslibet decimæ in tota Italia per Nos eatenus impositæ, vel in posterum imponendæ, vltra illius medietatem soluere non teneremini; nec ad id à quoquam quauis auctoritate cogi possetis, per alias nostras in forma Breuis literas cōcessimus, & indulsimus; ac tunc, & pro tempore existentibus Camerario nostro, ac Clericis, & Præsidentibus Cameræ Apostolicæ, necnon quibusuis decimarum huiusmodi eatenus deputatis, & inposterum deputandis Collectoribus, & Subcollectoribus quauis dignitate præfulgerent dedimus in mandatis; quatenus de cetero vos occasione singularum decimarum, eatenus in dicta Italia (vt præfertur) impositarum, & imponendarum ratione domorum vestri Ordinis, & illarum fructuum, vltra illius medietatem quouis modo grauare non præsumerent, sed exactione medietatis decimarum huiusmodi contenti, vos ab illis omnino liberarent, quietarent, & absoluerēt in omnibus, & per omnia perinde, ac si decimas huiusmodi integrè persoluissetis, prout in eisdem literis pleniùs continetur.

§. 2. Cum autem postmodum causis, propter quas dictæ decimæ impositæ fuerunt, & forsan maioribus adhuc subsistentibus, aliæ fructuum ecclesiasticorum decimæ, per Nos in tota Italia prædicta impositæ fuerint, & licèt sub tota Italia Regnum Siciliæ, & Dominium Venetorum notoriè censeantur comprehensa, ac dictæ literæ etiam ratione decimæ inposterum imponēdæ, vobis concessæ fuerint; nihilominus (sicut accepimus) pro eo quod in dictis literis etiam de Regno Siciliæ, & Dominio Venetorum huiusmodi specialis, & specifica mentio facta nō extitit, à nonnullis literas ipsas nimis curiosè interpretantibus, asseratur, literas, ac per illas vobis factam concessionem huiusmodi in Regno, & Dominio prædicto non suffragari; vòsq; ad solutionem decimarū postmodum impositarum vltra illarum medietatem teneri.

Priuilegium de medietate decimarū extēditur ad Regni Siciliæ, & Dominium Venetorum.

§. 3. Nos ad vberes fructus, quos vestri Ordinis professores in militāti Ecclesia producunt, debitum respectum habere, ac vobis, vt à molestijs subleuati, diuinis obsequijs liberiùs vacare possitis, paterno affectu prouidere volentes; volumus, & Apostolica auctoritate vobis concedimus, ac decernimus, quòd literæ prædictæ valeant, & vobis etiam specialiter quoad totum Regnum Siciliæ tàm citra, quàm vltra Pharum,

ac

ac vniuerſum Dominium Venetorũ, ita quòd etiam in toto Regno, & vniuerſo dominio prædictis ad ſolutionem decimarum huiuſmodi vltra illarum medietatem iuxta tenorem dictarum literarum etiam non teneamini, ſuffragentur, etiam in omnibus, & per omnia perinde ac ſi in ipſis literis de Regno, & dominio prædictis ſpecialis, & ſpecifica mentio facta fuiſſet.

§. 4. Quòdq; vos etiam ratione quarumcunque decimarum etiam poſt conceſſionem dictarum literarũ impoſitarum, & in poſterum imponendarum etiam in Regno, & dominio prædictis ſimiliter vltra illarum medietatem; ſic quod ſi vnica, niſi illius medietatem, ſi verò duæ decimæ imponantur, niſi vnicam duntaxat decimam, & ſic de ceteris, ac etiã ſecundùm communem taxationem ratione bonorum per vos propter vrgentem neceſſitatem, auctoritate, & conſenſu Sedis prædictæ venditorum, & per vos non poſſeſſorum ſoluere non teneamini; nec ad id per Collectores præfatos, ſeù quoſcunque alios quauis auctoritate fungentes cogi, ſeù coarctari, & propterea aliquibus cenſuris, ſeù pœnis eccleſiaſticis innodari poſſitis: quòdque Collectores ipſi ex decimis huiuſmodi per vos iuxta prædictarum, & præſentium literarum tenorem, & taxationem prædictam perſoluendis pro rata bonorum, quæ auctoritate Sedis prædictæ vendita, & à vobis abdicata repererint deducere, & defalcare debeant, & teneantur.

§. 5. Diſtrictiùs inhibentes quibuſuis decimarum huiuſmodi nunc, & pro tempore deputatis Collectoribus, & Subcollectoribus, & quauis facultate munitis; ne vos, aut aliquos veſtrum contra præſentium literarum prædictarum tenorem quouis prætextu, ſeù quæſito colore, vel ingenio, directè, vel indirectè moleſtare, vel perturbare quoquõ modo præſumant. Ac decernentes irritũ, & inane quidquid ſecus per eoſdem Collectores, & quoſcunque alios ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 6. Non obſtantibus præmiſſis, ac quibuſuis literis, & facultatibus ſuper impoſitionibus decimarũ huiuſmodi pro tempore emanatis, etiã per quas præſentibus expreſsè de verbo ad verbum derogari videretur, quas aduerſus præſentes nullatenus ſuffragari poſſe volumus; ceteriſq; contrarijs quibuſcunque.

§. 7. Decernentes etiam quòd præſentium literarum tranſumptis manu Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo alicuius curiæ eccleſiaſticæ, ſeù alicuius perſonæ in dignitate eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadẽ prorſus fides in iudicio, & extra adhibeatur, quæ eiſdem præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud S. Petrum, ſub anulo Piſcatoris, die octaua Februarij, Milleſimo quingenteſimo quadrageſimo primo, Pontificatus noſtri anno ſeptimo.

Conſtit. III.

Ex Breue originali, aſſeruato Romæ in Archiuo Ordinis. num. 3.

Summarium.

Fratres noſtri Ordinis extra clauſtra degentes abſque licentia Superiorum in Regno Siciliæ vltra Pharum permanere non poſſunt.

A tergo.

Dilecto filio Hieronymo Seripando Priori Generali Ordinis Fratrum Eremitarum Sancti Augustini.

1541. PAVLVS PAPA TERTIVS.

Dilecte fili Salutem, & Apostolicam benedictionem.

§. 1. SVadet Religionis honestas, vt eidem Religioni deditorum improba temeritas per nostræ solicitudinis studium debita correctione compescatur.

§. 2. Cum autem sicut pro parte tua propositum fuit coram Nobis, licèt tàm iuxta canonicas sanctiones, quàm tui Ordinis Eremitarum Sancti Augustini regularia instituta Fratres ipsius Ordinis quacunque causa, seù occasione à domibus, & locis ipsius Ordinis absque licentia suorum Superiorum recedere, & extra domos, & loca ipsa residere nequeant; nihilominùs quamplures Fratres ipsius Ordinis Regni Siciliæ sub ipsius regularibus institutis, ac obedientia viuere nolentes, sed à rectitudinis tramite, & obseruantiæ vitæ regularis deuiantes, absque suorum Superiorum licentia à domibus, & locis eiusdem Ordinis recedant, & literas etiam à Sede Apostolica, per quas à Superioritate, & obedientia Prælatorum suorum eximuntur, & liberantur, subreptitiè, & obreptitiè impetrent, & reportent: quarum prætextu laxatis habenis extra Ordinem ipsum, ac illius domos, & loca, necnon obedientiam Prælatorum eorundé, ac in domibus laicorum morentur, & per Ciuitates, Oppida, Villas, & loca etiam minùs honesta discurrãt; pluresq; ex eis grauibus excessibus se immergere, & illos detestabiliter committere non perhorrescant, Apostasiæ notam, ac excommunicationis, aliàsq; sententias, censuras, & pœnas in tales tàm per Constitutiones Apostolicas, quàm regularia instituta prædicta latas, incurrendo, non sinè animarum suarum pernicie, & diuinæ Maiestatis offensa, Religionis opprobrio, & Sedis Apostolicæ contemptu, ac plurium murmuratione, & scandalo. Pro parte tui desiderantis dictum Ordinem non solùm vbique florere, sed etiam felicibus incrementis proficere, ac propterea in partibus Vltramontanis pro reformatione illius domorum, & locorum partium earundem nunc agentis Nobis fuit humiliter supplicatum, vt pro salubri, & tranquillo statu eiusdem Ordinis, super his oportunè prouidere de benignitate Apostolica dignaremur.

§. 3. Nos igitur, quorum intentionis nunquam fuit, nec est, vt prætextu cuiuscunque concessionis, etiam per Sedem Apostolicam factæ, Fratres dicti Ordinis cum scandalo vagarentur, & irreligiosè viuerent, quìque graue, & molestum, gerimus cum de Religiosis personis sinistra Nobis perferuntur, tam laudabile desiderium plurimùm in Domino commendantes, & attendentes præcipuum Religionis meritum, propriæ voluntatis abnegationem existere, ac cupientes dictis Fratribus vagandi materiam præcludere, eorum sceleribus, & animarum periculis obuiare; huiusmodi supplicationibus inclinati, tàm tibi, quàm dilectis

Generalis, & Prouincialis possunt reuocare degẽtes extra Ordinẽ in Regno Siciliæ, vltra, & citra Pharũ.

dilectis filijs Vicario tuo in dicto Regno, necnon Prouinciali, ceterisq; omnibus Prioribus, & Superioribus eiusdem Ordinis in præfato Regno tàm citra, quàm vltra Pharum, & Insulis Maltæ, & Sardiniæ, nunc, & pro tempore existentibus, omnes, & singulos Fratres dicti Ordinis, extra domos ipsius Ordinis, & obediētiam vestram vagantes, ad domos, & loca, vbi recesserunt reuocandi, necnon ad obedientiam, & religiosam vitam reducendi, & ad id cogēdi, & compellendi, illòsq; capiendi, & apprehendendi, ac corrigendi, & castigandi, ac quascunque literas præmissa occasione subreptitiè, aut obreptitiè impetratas, ac illis concessas, ab eis auferendi, necnon in rebelles, & inobedientes excommunicationis, & alias sententias, censuras, & pœnas promulgandi, & si mādatis vestris non paruerint, auxilium brachij secularis implorandi, & illo vtendi: necnon etiam quoscunque Fratres eiusdem Ordinis, Prouinciæ, Regni, & Insularum prædictorum reformandi, & ad debitam regularis disciplinæ normam reducendi, & illam in eis firmandi, & sub regulari vita, quam professi fuerint degere recusantes similiter cogendi, & compellendi: necnon si desidiosi, scandalosi, vel aliàs criminosi fuerint, iuxta regularia instituta, ac excessuum exigentiam, pœnis debitis puniendi, & omnia, & singula, quæ iuxta eadē regularia instituta, & Canonicas sanctiones, ad Omnipotentis Dei gloriam, & honorem, ac Religionis augmentum, & propagationem, necnon animarum salutem, & Christifideliū bonum exemplum, & spiritualem consolationem necessaria, & opportuna noueritis faciendi, exequendi, & disponendi: necnon contradictores quoslibet, & rebelles per excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliàsq; de quibus vobis expediens fore videbitur, sententias, censuras, & pœnas compescendi plenā, & liberam facultatem, potestatem, & auctoritatem concedimus, per præsentes.

§. 4. Districtiùs inhibentes quibusuis Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & alijs locorum Ordinarijs sub interdicti ingressus ecclesiæ, & suspensionis à regimine, & administratione suarum ecclesiarum, necnon personis in dignitate ecclesiastica constitutis, ac particularium ecclesiarum Rectoribus, & alijs quibuscunque sub excommunicationis latæ sententiæ, ac priuationis earundē particularium ecclesiarum, ac omnium beneficiorum ecclesiasticorū, quæ obtinent, necnon inhabilitatis ad illa, & alia in posterum obtinenda pœnis eo ipso, si contrafecerint, incurrendis; ne vos, quominus Fratres ipsius Ordinis extra illius domos, & loca, ac obedientiam vestrā vagantes, capere, & apprehendere, necnon ad domos, & loca, vnde recesserunt, reducere, & (si necesse fuerit) carceribus mancipare; necnon ceteros Fratres Ordinis huiusmodi (vt præfertur) reformare possitis, per se, vel alium, seù alios directè, vel indirectè impedire quoquo modo præsumant: nec de cetero tales Fratres vagantes in eorum Ciuitatibus, Diœcesibus, & ecclesijs celebrare permittant, ac eis sub eisdem sententijs, censuris, & pœnis præcipiendo mandantes, vt quoties desuper requisiti fuerint, vobis in præmissis au-

xilium, consilium, & fauorem opportuna præbeant.

§. 5. Requirentes nihilominùs, & hortantes attentè in Domino dilectum filium nobilem virum Viceregē dicti Regni, ac quoscunque alios Principes, Proceres, Barones, Magistratus, & Communitates, vt diuinæ Maiestatis intuitu, ac pro eorum in hanc Sanctam Sedem deuotione, & religionis zelo; sic vobis fauoribus beniuolis efficaciter assistant, quòd præsentes literæ votiuum sortiantur effectum, & Fratres prædicti ad debitam Religionis normam reduci, & salubriter obseruari possint, à Deo præmium cum laude cunctorum recepturi.

§. 6. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus apostolicis, necnon quibusuis priuilegijs, & indultis, facultatibus, & literis apostolicis Fratribus prædictis; necnon Ministris Sanctæ Cruciatæ in dicto Regno Siciliæ vltra Pharum per Nos concessæ sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatorijs, alijsq; efficacioribus, & insolitis clausulis, forsan concessis. Quibus omnibus, etiamsi de illis, eorùmq; totis tenoribus, non per huiusmodi generales clausulas, etiam specialē mentionem importantes, sed specifica, & indiuidua, seù quæuis alia mentio habenda foret, præsentibus pro sufficienter expressis habentes, etiam quoad eos, qui literas exemptionum à præfatis Ministris Cruciatæ obtinuerint, si ipsi Cruciatæ actu non deseruiuerint, specialiter, & expresse derogamus, & sufficienter derogatum esse volumus; ceterisq; contrarijs quibuscunque.

§. 7. Decernentes præsentium transumptis manu Notarij publici subscriptis, & alicuius personæ ecclesiasticæ sigillo munitis, eandem prorsus fidem in iudicio, & extra vbicunque exhibitæ fuerint, adhiberi debere, quæ ipsis originalibus literis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die septima Aprilis, Millesimo quingentesimo quadragesimo primo, Pontificatus nostri anno septimo.

Constit. IV.

Ex Breue originali, quod Romæ asseruatur in Archiuo Ordinis. num. 4.

Summarium.

Conseruatores priuilegiorum non possunt absoluere Fratres à censuris latis contra illos à Superioribus.

PAVLVS PAPA TERTIVS, 1541.

Ad futuram rei memoriam.

§. 1. PONtificalis auctoritas Nos admonet, & ordo rationis exposcit, vt per nostrarum partium interpositionē efficaciter prouideamus, ne personæ ecclesiasticæ censuris contemptis ecclesiasticis, suis Superioribus inobedientes existant, & inter ecclesiasticos Ordines, qui præ ceteris rebus debent esse rectè dispositi, confusio cum fideliū scandalis oriatur.

§. 2. Cum itaque sicut dilectus filius Hieronymus Seripandus Prior Generalis Ordinis Fratrum Eremitarum S. Augustini Nobis nuper exponi fecit, ipse cum dudum domos, & loca dicti Ordinis, illorùmq; Fratres,

tres, & personas tàm in Italia, quàm extra eam visitaret, inter alia reperetit nonnullos in Conseruatores domorum, & locorum, ac Fratrum, & personarum earundem contra inferentes illis iniurias, vel iacturas per Sedem Apostolicam in forma militantis Ecclesiæ deputatos, quamplurimos ex dictis Fratribus ab excommunicationis, alijsq; ecclesiasticis sententijs, censuris, & pœnis, in eos propter illorum inobedientiã, vel alia demerita per eiusdem Ordinis Superiores iuxta ipsius Ordinis instituta latis, inflictis, & promulgatis, ad importunam forsan ipsorum Fratrum instantiam de facto (cum aliàs non potuerint) absoluisse; ipsòsq; Fratres prætextu absolutionis huiusmodi, sententias, censuras, & pœnas huiusmodi contempsisse, & contra Superiores præfatos insurrexisse, eisq; debitam reuerentiam, & obedientiam denegasse, variaq; propterea scandala, malaq; exempla, ac confusiones, & perturbationes non modicas, ac alia inconueniẽtia exorta fuisse, verisimilitèrq; timendum esse, quòd si similes absolutiones inposterum fiant, ne maiora præmissis inde scandala, inconuenientia, confusiones, & abusus oriantur; præfatus Hieronymus Prior Nobis humiliter supplicari fecit, vt in præmissis oportunè prouidere de benignitate Apostolica dignaremur.

§. 3. Nos igitur, ad quos pertinet, huiusmodi inconuenientibus obuiare, & vnicuique (præsertim Religiosis personis) suam præseruare iurisdictionem, desuper oportunè prouidere volentes, huiusmodi supplicationibus inclinati; Vniuersis, & singulis Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, eorùmq; Vicarijs in spiritualibus, generalibus, necnon Abbatibus, & Cathedralium ecclesiarũ Canonicis, alijsq; personis in dignitate ecclesiastica, & vbilibet constitutis, in Conseruatores domorum, & locorum, ac Fratrum, & personarum earundem (vt præfertur) deputatis; ne prætextu deputationis huiusmodi (si aliàs super hoc sufficienti auctoritate suffulti non fuerint) eosdem Fratres, & personas ab excommunicationis, alijsq; sententijs, censuris, & pœnis, in eos per dictos eorum Superiores latis, & inflictis prædictis, absoluere: Fratres verò, & personæ ipsæ huiusmodi absolutiones ab eisdem Conseruatoribus petere, vel extorquere, & extortis vti, & seù se tueri præsumant, sub interdicti ingressus ecclesiæ, quoad Pontificali dignitate præditos; quo verò ad alios, excommunicationis, & interdicti pœnis, districtiùs inhibemus. *Fratres procurãtes absolutionẽ à Conseruatorib⁹ sunt interdicti.*

§. 4. Decernentes absolutiones per eosdem Conseruatores contra præsentium tenorem fiendas, nullas, & inualidas, nulliùsq; roboris, vel momenti fore, ipsisq; Fratribus, & personis nullatenus suffragari. Sicq; per quoscunque Iudices, & Cõmissarios, quacunque auctoritate fungentes, sublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, iudicari, & diffiniri debere. Irritum quoque, & inane si secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. *Absolutio data Fratribus à Cõseruatorib⁹ nulla est.*

§. 5. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus apostolicis, necnon dicti Ordinis, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statu-

statutis, & consuetudinibus, priuilegijs quoque, indultis, & literis Apostolicis, domibus, & locis, ac Fratribus, & personis præfatis, vel quibusuis alijs sub quibuscunque tenoribus, & formis concessis, confirmatis, & innouatis, cæterisq; contrarijs quibuscunque.

§. 6. Volumus etiam, & dicta auctoritate decernimus, quòd præsentium literarum transumptis manu Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius personæ ecclesiasticæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ ipsis originalibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Marcum, sub anulo Piscatoris, die decima septima Iulij, Millesimo quingentesimo quadragesimo secundo, Pontificatus nostri anno octauo.

Constit. V.

Ex Breue originali, quod asseruatur Romæ in Archiuo Ordinis. num. 5.

Summarium.

Priuilegium de decimarum medietate soluenda extenditur etiam ad Dominium Venetum.

A tergo.

Dilecto filio moderno, & pro tempore existenti in Dominio Venetorum decimarum Collectori.

1543. *PAVLVS PAPA TERTIVS.*

Dilecte fili Salutem, & Apostolicam benedictionem.

§. 1. DVdum dilectis filijs Generali, & alijs Prouincialibus Prioribus, & vniuersis professoribus Ordinis Fratrum Eremitarum S. Augustini, quòd ratione cuiuslibet decimæ, in tota Italia hactenus per Nos impositæ, vel in posterum imponendæ vltra illius medietatem soluere non tenerentur, nec ad id à quoquam quauis auctoritate cogi possent, per alias nostras in forma Breuis literas concessimus, & indulsimus, prout in dictis literis pleniùs continetur. Et licèt literæ prædictæ etiam in Dominio Venetorum, ac Prioribus, & professoribus eiusdem Ordinis, in dicto Dominio existentibus suffragentur, & suffragari debeant: ne tamen pro eo, quod in ipsis literis de dicto Dominio mentio in specie facta non fuit, desuper dubitari contingat: aut Priores, & professores præfati, in dicto Dominio existentes ad solutionem prædictarũ decimarum pro earum medietate duntaxat, & non vltra, iuxta formam literarum huiusmodi teneri, aut cõpelli; seù propterea aliquibus sententijs, censuris, & pœnis innodari posse.

Ad medietatẽ decimarum tãtum tenemur.

§. 2. Et nihilominus in virtute sanctæ obedientiæ districtè præcipiẽdo per præsentes tibi committimus, & mandamus; quatenus de cetero Priores, & professores Ordinis huiusmodi, seù illorum monasteria, & domos, aliàq; Religiosa loca in dicto Dominio Venetorum existentia ad solutionem decimarum huiusmodi, nonnisi pro illarum medietate duntaxat, ac aliàs iuxta dictarum literarũ tenorem cogere, & compellere, aut propterea in illos excommunicationis, aut aliquas alias sententias, censuras, & pœnas promulgare, seù aliàs quouis modo contra dictarum literarum tenorem vexare, aut molestare

non

non præsumas, nec ab alijs vexari, aut molestari permittas. Decernentes irritum, & inane quidquid secus super his à quoquam, quauis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac quibusuis desuper pro tempore sub quibuscunque tenoribus, & formis, à Nobis, seù Camerario nostro emanatis literis, seù facultatibus tibi in literis impositionum decimarum huiusmodi concessis, ceterisq; contrarijs quibuscunque.

Datum Fauentiæ, sub anulo Piscatoris die duodecima Iulij, Millesimo quingentesimo quadragesimo tertio, Pōtificatus nostri anno nono.

Constit. VI.

Ex Breue originali, quod asseruatur Romæ in Archiuo Ordinis. num. 6.

Summarium.

Conceditur Generali Seripando facultas mittendi Commissarium ad visitandum Ordinem, eo quòd Concilio Tridentino interesse debebat.

A tergo.

Dilecto filio Hieronymo Seripādo Priori Generali Ordinis Fratrum Eremitarum.

1546. *PAVLVS PAPA TERTIVS.*

Dilecte fili Salutem, & Apostolicam benedictionem.

§. 1. CVm (sicut accepimus) dilecti filij Congregatio de Iliceto Ordinis Fratrum Eremitarum S. Augustini de Obseruantia nuncupati, quos tu postquàm Nos te etiam tunc Priorem Generalem dicti Ordinis in toto Ordine prædicto, ac omnibus, & singulis Prouincijs, vbi Fratres eiusdem Ordinis, etiam quarumuis Congregationum, etiam de Obseruantia nuncupatorum existerent, tàm citra, quàm vltra montes, (vt asseris) nostrum, & Apostolicæ Sedis Commissarium Apostolica auctoritate constitueramus, & deputaueramus cum ab obseruantia regularium instituto. rum Ordinis, & Cōgregationis prædictorum, in qua fundati fuerant, & diutiùs perseuerauerant, plurimùm defecissent, iam trinis vicibus personaliter visitasti ad hoc, vt ad pristinam viuendi formam, & veram institutorum huiusmodi obseruantiam reducantur, maiori diligentia, & diuturniori mora, quàm ijs, quas tu hactenus ob assiduas occupationes, quibus in regimine Ordinis huiusmodi premeris, facere potuisti, aut inposterum facere posses, indigere noscantur.

§. 2. Nos reductionem huiusmodi synceris desiderantes affectibus; tibi, qui ad præsens Tridentini celebrationi Concilij, per Nos inibi indicti, & aperti, interessendo resides, per præsentes committimus, & mandamus, quatenus cum durante interessentia, ac residentia huiusmodi, id per te fieri nequeat, quemcunque alium dicti Ordinis professorem, Commissarium tuum ad id cum ea, qua tu in ijs fungeris, seù limitata potestate specialiter deputandum ad Capitulum dictæ Congregationis, qui inibi nomine tuo prælit, & ea omnia, quæ tu sibi salubri eorundem Congregationis reformatione, & ad pri-

pristinam viuendi formam, ac veram regularium institutorum huiusmodi obseruantiam reductione facienda, mandaueris, & ipse necessaria, seù quomodolibet oportuna esse cognouerit, etiam sub censuris, & pœnis ecclesiasticis per eum statuendis inuiolabiliter obseruanda, auctoritate nostra statuat, & ordinet, & finito eodem Capitulo, singulas domos regulares Congregationis huiusmodi visitet, & eas tàm in capite, quàm in membris reformet: necnon earum personas, quas delinquentes inuenerit, debitè puniat, corrigat, & castiget, omninò destines. Nos enim tibi ad effectum præmissorum, celebrationem Capituli huiusmodi, ad tempus, de quo tibi videbitur prorogandi, & differendi, plenam, & liberam dicta auctoritate Apostolica tenore præsentium concedimus facultatem.

§. 3. Mandantes omnibus, & singulis Prioribus, Vicarijs, & alijs Superioribus, ac Fratribus Cõgregationis huiusmodi in virtute sanctæ obedientiæ, & sub excommunicationis latæ sententiæ, à qua ab alio, quàm à te, seù de tuo expresso consensu, aut à Nobis, seù pro tempore existente Romano Pontifice, præterquã in mortis articulo constituti, absolui non possint; ac priuationis vocis actiuæ, & passiuæ, ac quorumcunque officiorum, & actuum Ordinis, & Congregationis prædictorũ; necnon amissionis quorumcunque priuilegiorum, & indultorum Apostolicorum eidem Congregationi per Sedem prædictam hactenus concessorum pœnis; quatenus Capitulum prædictum nonnisi tempore à te statuto, seù statuendo, celebrare præsumant; ac in præmissis omnibus tibi, seù Commissario tuo prædicto, omni tergiuersatione, mora, & excusatione cessantibus, cum effectu pareant, & obediant: ac quæ tu, vel dictus Cõmissarius tuus vigore præsentium iuxta illarum continentiam statueritis inuiolabiliter obseruent, & obseruari faciant.

§. 4. Non obstãtibus præmissis, ac fel. rec. Bonifacij Papæ Octaui prædecessoris nostri de vna, ac Concilij generalis de duabus dietis, dummodò vltra tres dietas aliquis auctoritate præsentium non trahatur; ac quibusuis alijs constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon Ordinis, & Congregationis prædictorum etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, priuilegijs quoque, indultis, & literis Apostolicis, etiam in forma Breuis per quoscũque Romanos Põtifices prædecessores nostros, ac Nos, & Sedem prædictam, seù nostros, & eiusdem Sedis Nuntios, vel Legatos, etiam de latere, aut maiorem Pœnitentiarium nostrum, etiam prædictis Congregationi sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis clausulis, & decretis quomodolibet, etiam motu proprio, & ex certa scientia concessis, ac etiam iteratis vicibus approbatis, & innouatis, etiam pluries concessis. Quibus omnibus, quatenus præmissis aduersentur, etiamsi pro illorum derogatione sufficienti, de illis, eorùmq; totis tenoribus specialis, specifica, & expressa, & indiuidua, non autem per generales clausulas idem importantes, mentio, seù quæuis alia expressio habenda, aut alia exquisita forma ad hoc

hoc seruanda foret; tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum inserti forent, præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice duntaxat specialiter, & expresè derogamus, ceterisq; contrarijs quibuscunque.

§. 5. Volumus autem, & dicta auctoritate Apostolica decernimus, quòd transumptis præsentium, manu Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ, seù curiæ ecclesiasticæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ ipsis originalibus literis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Petrum, sub anulo Piscatoris, die vigesima sexta Martij, Millesimo quingentesimo quadragesimo sexto, Pontificatus nostri anno duodecimo.

PAVLI QVINTI.

Constit. I.

Ex Bulla originali cum plumbo, quæ asseruatur Romæ in Archiuo Ordinis, nu. 1.

Summarium.

Angelus Rocchēsis Sacrista creatus Episcopus Tagastensis, & vnio eidem Abbatiæ Sanctæ Mariæ de Plana confirmatur.

1605. *PAVLVS EPISCOPVS Seruus Seruorum Dei.*

Dilecto filio Angelo Roccha Electo Tagastensi Salutem, & Apostolicam benedictionem.

§. 1. AEquum reputauimus, & rationi cōsonum, vt ea, quæ de Romani Pontificis prouisione processerunt, licèt eius superueniente obitu, literæ Apostolicæ desuper confectæ non fuerint, suum sortiantur effectum.

§. 2. Dudum siquidem ecclesia Tagastensis, quæ in partibus Infidelium consistit, tunc certo modo Pastoris solatio destituta, fel. rec. Clemens Papa Octauus prædecessor noster verum, & vltimum dictæ ecclesiæ vacationis modum pro expresso habens, ac ad prouisionem eiusdem ecclesiæ celerem, & felicem, ne illa longæ vacationis exponeretur incōmodis, paternis, & solicitis studijs intendens, post deliberationem, quam de præficiendo eidem Ecclesiæ personam vtilem, & etiam fructuosam, cum fratribus suis, de quorum numero tunc eramus, habuerat diligentem.

§. 3. Demùm ad te Ordinis Fratrum Eremitarum S. Augustini, & Theologiæ professorem, ac Apostolici Sacrarij Præfectum, de legitimo matrimonio procreatum, & in presbyteratus ordine constitutum, qui fidem catholicā iuxta articulos pridem à Sede Apostolica propositos, expresè professus fueras, cui apud eundem Prædecessorem de vitæ mūditia, ac morum honestate, spiritualium prouidentia, & temporalium circumspectione, alijsq; multiplicum virtutum donis fidedigna testimonia perhibebantur, direxit oculos suæ mentis; quibus omnibus debita meditatione pensatis, te à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, alijsq; ecclesiasticis sententijs, censuris, & pœnis à iure, vel ab homine, quauis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet inno- *Clemēs viij. creauit Episcopum Tagastēsem Angelum Rocchēsem.*

innodatus existebas, ad effectum infrascriptorum duntaxat consequendum harum serie absoluens, & absolutum fore censens, sub Datum videlicet Pridie Calendas Februarij, Pontificatus sui anno tertiodecimo, De persona tua sibi, & eisdem fratribus ob tuorum exigentiam meritorũ accepta; prædictæ ecclesiæ de fratrũ eorundem cõsilio Apostolica auctoritate prouidit, teq; illi in Episcopũ præfecit, & Pastorem, curam, & administrationem ipsius ecclesiæ tibi in spiritualibus, & temporalibus plenariè committendo. In illo, qui dat gratias, & largitur præmia confidés, quòd (dirigente Domino actus tuos) prædicta ecclesia sub tuo felici regimine regeretur vtiliter, & prosperè dirigeretur, ac grata in eisdem spiritualibus, & temporalibus susciperet incrementa.

§. 4. Prædictus autem Prædecessor tibi, vt ad dictam ecclesiam accedere, & apud illam quamdiù ab Infidelibus huiusmodi occuparetur, personaliter residere minimè tenereris; ac postquàm munus consecrationis suscepisses, Pontificalia officia in Vrbe de licentia pro tempore existentis in eadem Vrbe, & illius districtu Vicarij in spiritualibus Generalis deputati, exercere liberè, & licitè posses, & valeres auctoritate prædicta de speciali gratia indulsit.

§. 5. Et insuper, vt statum tuum iuxta Pontificalis dignitatis exigentiam decentiùs tenere valeres, motu proprio, non ad tuam, vel alterius pro te sibi super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed de sua mera liberalitate tecum, vt etiam postquàm in vim prouisionis, & præfectionis prædictarum pacificam possessioné, seù quasi regiminis, & administrationis dictæ ecclesiæ, ac illius bonorum, seù maioris partis eorum assecutus fores, vt prius quoad viueres, & vnà cum dicta ecclesia quandiu illi præesses, ecclesiam Sanctæ Mariæ de Plana Castri Castilionis Senogalliensis Diœcesis, quæ sinè cura est, & personalem residentiam non requirit, ac cuius fructus, redditus, & prouentus ducentorum, & sexaginta sex ducatorum auri de Camera secundùm communem æstimationem, valorem annuum non excedebant, etiã quam tunc obtinebas, vt idem Prædecessor acceperat, retinere, ac pensiones annuas vsque ad summam centum, & quinquaginta ducatorum similium super certis fructibus ecclesiasticis Apostolica tibi auctoritate reseruatas percipere, exigere, & leuare, ac in tuos vsus, & vtilitatem conuertere liberè, & licitè valeres dicta auctoritate de speciali dono gratiæ dispẽsauit. Decernens propterea, ecclesiam Sanctæ Mariæ prædictam non vacare, ac pensiones huiusmodi non cessare, nec extinctas esse: irritum quoque, & inane si secus super ijs à quoquam quauis auctoritate, scienter, vel ignoranter contingeret attẽtari. Prouiso quòd ecclesia Sanctæ Mariæ huiusmodi debitis non fraudaretur obsequijs, sed eius congruè supportarentur onera consueta.

Angelo Rocchẽsi, confertur ecclesia S. Maria de Plano.

Dispensatur ad pensionẽ retinendam.

§. 6. Ne autem de absolutione, prouisione, præfectione, indulto, & dispensatione prædictis pro eo, quòd super illis dicti Prædecessoris (eius superueniente obitu) literæ cõfectæ non fuerunt, valeat quomodolibet hæsitari, tuq; illorum frustreris effectu; volentes, & similiter dicta auctoritate decernentes, quòd absolutio,

proui-

prouisio, præfectio, indultum, & dispensatio Prædecessoris huiusmodi perinde à dicta die Pridie Calendas Februarij suum sortiantur effectum, ac si super illis eiusdem Prædecessoris literæ sub eiusdem diei datum cōfectæ fuissent, prout superiùs enarratur. Quòdque præsentes literæ ad probandum plenè absolutioné, prouisionem, præfectionem, indultum, & dispensationem Prædecessoris huiusmodi vbique sufficiant, nec ad id probationis alterius adminiculū requiratur. Discretioni tuæ per Apostolica scripta mandamus, vt iugum Domini tuis impositum humeris prō. pta deuotione suscipiens, curam, & administrationem prædictas sic exercere studeas solicitè, fideliter, & prudenter, quòd dicta ecclesia Tagastēsis Gubernatori prouido, & fructuoso Administratori gaudeat se commissam, tuq; præter æternæ retributionis præmium, nostram, & dictæ Sedis benedictionem, & gratiam exinde vberiùs consequi merearis.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ, Millesimo sexcentesimo quinto, quinto Calendas Iunij, Pontificatus nostri anno primo.

Constit. II.

Ex Breue originali, quod Romæ asseruatur in Archiuo Ordinis. num. 2.

Summarium.

Indulgentiæ pro Confraternitate Corrigiatorum declarantur.

1606.] *PAVLVS PAPA QVINTVS.*

Ad perpetuam rei memoriam.

§. 1. CVm certas Confraternitati Cēturatorum in ecclesijs Fratrum Ordinis Eremitarum S. Augustini canonicè erectæ, ac in posterum erigendæ Indulgentias, & gratias spirituales, quibus inposterū fruantur, duxerimus præscribendas. Idcircò omnes, & singulas Indulgētias, & peccatorum remissiones, ac pœnitentiarum relaxationes eidem Confraternitati, & illius Confratribus hactenus per quoscūque Romanos Pontifices prædecessores nostros concessas reuocantes, & annullātes, ac nullius roboris, & momenti à Data præsentium fore declarantes; De Omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius auctoritate cōfisi, omnibus vtriusque sexus Christifidelibus, qui dictam Confraternitatem de cetero ingredientur, die primo eorū ingressus, si verè pœnitentes, & confessi Sanctissimum Eucharistiæ Sacramētum sumpserint, & pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam. *In ingressu Confraternitatis S. Monicæ Indulgētia plenaria.*

§. 2. Ac tàm ipsis pro tempore describendis, quàm iam descriptis in dicta Confraternitate Confratribus, & Consororibus etiam verè pœnitētibus, & confessis, ac sacra Communione refectis, qui eiusdem Confraternitatis Ecclesiam, seù Oratorium in festo Sanctæ Monicæ, quòd esse principale asseritur, à primis Vesperis vsque ad occasum Solis eiusdem festi singulis annis deuotè visitauerint, & ibi (vt præfertur) orauerint, etiam plenariam. *Confratres visitantes in festo S. Monicæ habent Indulgentiā plenariam.*

§. 3. In mortis quoque articulo eisdem vtriusque sexus Confratribus nunc, & pro tempore existentibus, qui pœnitentes, & confessi, ac *In mortis articulo plenaria.*

sanctissima Communione refecti, vel quatenus id facere nequiuerint, saltem contriti nomen Iesu ore (si potuerint,) sin autem corde deuotè inuocauerint, & animam suam Deo commendauerint, plenariam similiter omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus.

In die Natiuitatis, Paschae, & Pentecostes, septē annos, & totidem quadragenas.

§. 4. Insuper eisdem Confratribus, & Consororibus similiter pœnitentibus, & confessis, ac sanctissima Communione refectis, qui prædictam Ecclesiam, seù Oratorium in Natiuitatis, & Paschatis Resurrectionis D. N. Iesu Christi, necnon Pentecostes festis diebus piè visitauerint, & (vt præfertur) orauerint, septem annos, & totidem quadragenas.

In associatione mortuorum, ducētos annos, & totidem quadragenas.

§. 5. Qui verò corpora Defunctorum, tàm Confratrum, quàm aliorum ad sepulturam associauerint, aut ecclesiasticæ sepulturæ tradiderint, & pro eorum animabus pias ad Deum preces effuderint, pro qualibet vice, ducentos annos, & totidem quadragenas.

§. 6. Ijs verò Confratribus, qui infirmos, aut carceratos visitauerint, similiter pro qualibet vice, centum annos, & totidem quadragenas.

§. 7. Ac eisdem Confratribus, & Consororibus, qui in singulis sextis ferijs cuiuslibet anni pro deuotione passionis Domini Nostri Iesu Christi, & in diebus Sabbathis pro deuotione Beatæ Mariæ ieiunauerint, aut ab esu ouorum, & lacticiniorum abstinuerint, centum dies pro qualibet dies.

§. 8. Quoties verò conscientiam suam examinauerint, eosq; peccatorum suorum pœnituerint, aut ipsa peccata confiteri firmiter proposuerint, quinquaginta dies.

§. 9. Et quoties etiam prædicti Confratres, & Consorores interfuerint, aut associauerint Processionem per dictam Confraternitatem Centuratorum feria quinta in Cœna Domini, ac Dominica, in qua fit processio singulis mensibus ab ipsa Confraternitate singulis annis faciendam interfuerint septem annos, & totidem quadragenas.

§. 10. Necnon etiam qui pœnitentes, & confessi, ac sacra Communione refecti Ecclesiam, seù Oratorium in Dominicis, & festiuis diebus de præcepto; necnon quatuor diebus festiuis Beatæ Mariæ Virginis visitauerint, & ibi quinquies Orationem Dominicam, & toties salutationem Angelicam dixerint, & (vt præfertur) orauerint, decem dies.

§. 11. Qui verò cum lumine accenso sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, quādo ad Infirmos defertur, comitati fuerint, & pro ijsdē Infirmis pias ad Deum preces pariter effuderint, pro qualibet vice septem annos, & totidem quadragenas de iniunctis eis, seù aliàs quomodolibet debitis pœnitentijs in forma Ecclesiæ consueta relaxamus.

§. 12. Præterea dilecto filio Priori Generali eiusdem Ordinis nunc, & pro tempore existenti, vt Confraternitates vtriusque sexus sub inuocatione Centuratorum in quibuscūque Orbis Ecclesijs de Ordinarij loci licentia erigere, & instituere, illisq; omnes supradictas Indulgentias, & gratias spirituales (seruata tamen forma præscripta in Cōnstitutione fel. record. Clementis Papæ Octaui præde-

prædeceſſoris noſtri ſuper dictarum Confraternitatum aggregationibus edita) communicare liberè, & licitè poſſit, & valeat auctoritate Apoſtolica tenore præſentium facultatem concedimus, & impartimur. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſq; contrarijs quibuſcunque. Præſentibus perpetuis futuris temporibus duraturis.

Datum Romæ apud S. Marcum ſub anulo Piſcatoris, die ſecunda Octobris, Milleſimo ſexcenteſimo ſexto, Pontificatus noſtri anno ſecundo.

Conſtit. III.

Ex Breue originali, aſſeruato Romæ in Archiuo Ordinis. num. 3.

Summarium.

Superiores Ordinis ſub pœna excommunicationis non poſſunt concedere gratias intuitu fauorum ſecularium; & recurrentibus ad fauores præfatos pœnæ imponuntur.

1606. PAVLVS PAPA QVINTVS.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. 1. ADmonemur paſtoralis officij noſtri debito diligentiùs proſpicere, ne Religioſis, qui regularem vitam profeſſi ſeculo renuntiarunt, ad dignitates, & officia per emendicata ſuffragia ambitioſus pateat acceſſus.

Superioribus Ordinis ſub pœna excōmunicationis ad inſtātiā fauorū

§. 2. Quocirca Motu proprio, & ex certa ſcientia noſtra, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine dilectis filijs Priori Generali, ac Prouincialibus, & reliquis Ordinis S. Auguſtini Fratrum Eremitarum Prælatis, nunc, & pro tempore exiſtentibus in virtute ſanctæ obedientiæ, ac ſub excommunicationis pœna ipſo facto incurrenda præcipimus, & mandamus; ne ad inſtantiam, & requiſitionem, quarumcunque perſonarum tàm laicarum, quàm eccleſiaſticarum extra dictum Ordinem conſtitutarū, etiam Cardinalatus honore, & quacunque ſeculari dignitate, & excellentia, etiam Ducali, Regali, & Imperiali fulgentium, cuiuis dicti Ordinis Religioſo vllam gratiam concedere, vel pœnas aliquas remittere, ſeù gradus, dignitates, honores, officia, & adminiſtrationes, functiones, & prælaturas eiuſdem Ordinis concedere audeant: Quinimò dicti Ordinis Fratres, & Religioſos, qui contra decreta hac via, & his medijs per conquiſitos fauores, & ſuffragia aliquid ſibi procurauerint, ad talia, & ſimilia, ac etiam maiora in eodem Ordine conſequenda perpetuò inhabiles declaramus.

ſecularium gratias Fratribus cōcedere non poſſunt.

§. 3. Inſuper Religioſis, & Fratribus eiuſdem Ordinis quibuſcunque ſub eiſdem pœnis præcipimus, & expreſsè interdicimus, vt non ſolum in præmiſſis omnibus fauores huiuſmodi minimè procurare; ſed nec etiam ſpontè oblatos, aut ab eis minimè procuratos recipere: & ſimiliter ne ad hunc effectum munera aliqua prædictis perſonis exhibere audeant, ſeù præſumant.

Fratres non poſsūt procurare fauores, ſed neq; oblatos ſpōte accipere. Munera exhibere non poſſunt ad hunc effectum

§. 4. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, dictiq; Ordinis ſtatutis, & conſuetudinibus, etiam iuramento, confirmatione apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, ceteriſq; contrarijs quibuſcunque. Aut ſi eidem Or-

Ordini, & Fratribus prædictis communiter, aut diuisim ab Apostolica sit Sede indultum, quòd interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas, non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

§. 5. Volumus autem quòd præsentium literarum transumptis, etiã impressis, manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides vbique adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Marcum, sub anulo Piscatoris, die quarta Iulij, Millesimo sexcẽtesimo octauo, Pontificatus nostri anno quarto.

Constit. IV.

Ex Breue originali asseruato Romæ in Archiuo Ordinis. num. 4.

Summarium.

Corrigiati Processioni Quartæ Dominicæ interuenientes habent Indulgentiam plenariam.

1611. *PAVLVS PAPA QVINTVS.*

Ad perpetuam rei memoriam.

§. 1. SPlendor paternæ gloriæ, qui sua mundum illuminat claritate, pia vota fidelium de clementissima eius Maiestate sperantium, tunc præcipuè benigno fauore prosequitur, cum deuota ipsorum humilitas Sanctorum meritis, & precibus adiuuatur.

§. 2. Volentes igitur Confraternitatem Centuratorum in ecclesijs Fratrum Ordinis Eremitarum S. Augustini canonicè erectam, quæ (sicut accepimus) inter cetera pietatis opera, Dominica quarta cuiuslibet mensis solemnem processionem peragere solet, ac dilectos filios illius Confratres, & Consorores hoc spirituali munere decorare; De omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorũ Petri, & Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, supplicationibus quoque nomine dilecti filij Ioannis Baptistæ Astij prædicti Ordinis Prioris Generalis, Nobis super hoc humiliter porrectis, inclinati, vltra alias Indulgentias, & gratias à Nobis eidem Confraternitati, illiusq; Confratribus, & Consororibus concessas, quas earũ concessiones, ac desuper confectarũ literarum tenores præsentibus pro sufficienter expressis habentes, saluas esse volumus; Omnibus, & singulis Cõfratribus, & Consororibus dictæ Confraternitatis, verè pœnitentibus, & confessis, ac sacra Communione refectis, qui prædictæ processioni in Dominica quarta cuiuslibet Mensis in ecclesijs prædicti Ordinis peragendæ deuotè interfuerint, ac pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omniũm peccatorum suorũ Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino perpetuò concedimus. Contrarijs non obstantibus quibuscunque.

Ad instantiã Io. Baptistæ de Asti Generalis conceditur Indulgentia plenaria singulis quartis Dominicis processioni interessentibus.

§. 3. Volumus autem, vt si aliàs prædictis Confratribus, & Consororibus præmissa peragentibus, aliqua alia Indulgentia perpetuò, vel ad tempus nondũ elapsum duratura per

Nos

Nos conceſſa fuerit, præſentes nullæ ſint.

§. 4. Vtq; etiam præſentium trāſumptis, etiam impreſſis, & manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo alicuius perſonæ in dignitate eccleſiaſtica cōſtitutæ, ſeù Prioris Generalis eiuſdem Ordinis, pro tempore exiſtentis munitis eadem prorſus fides habeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud S. Petrum, ſub anulo Piſcatoris, die prima Februarij, Milleſimo ſexcenteſimo vndecimo, Pontificatus noſtri anno ſexto.

Conſtit. V.

Ex Breue originali, aſſeruato Romæ in Archiuo Ordinis. num. 5.

Summarium.

Præſcribitur modus ſerutinij faciendi in electionibus Superiorum, in quibus Scribæ miniſterium ſublatum eſt.

1614. *PAVLVS PAPA QVINTVS.*

Ad perpetuam rei memoriam.

§. 1. NVper à Nobis emanarūt literæ tenoris ſubſequentis, videlicet. Paulus Papa Quintus ad perpetuam rei memoriā. Paſtoralis noſtra ſolicitudo Nos admonet, vt ea, quæ Regularium ſub ſancto Religionis iugo Deo militantium felici regimini conducunt, præſertim in Superiorum, & Officialiū, à quibus recta eorum Ordinum adminiſtratio maximè pendet, electionibus obſeruari omninò curemus, prout in Domino conſpicimus ſalubriter expedire.

Tenor literarum Apoſtolicarum de ſcrutinio.

§. 2. Igitur vt Prioris Generalis, aliorùmq; officialium Ordinis Fratrum Eremitarum S. Auguſtini tàm in poximo generali in domo regulari S. Auguſtini de Vrbe, quàm in alijs vbilibet perpetuis futuris temporibus celebrādis Capitulis electiones, cum zelo honoris Dei, & regularis diſciplinæ obſeruantiæ vtilitate, & incremento rectè in Domino fiant, ſublatis ijs, quæ libertatem in ferendis ſuffragijs tollere, aut quomodolibet minuere poſſent; Motu proprio, non ad alicuius Nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed ex certa ſcientia, & mera deliberatione noſtris, deq; Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine tenore præſentium perpetuò ſtatuimus, & ordinamus, eiuſdem Prioris Generalis, & quorumcunque Superiorum, & aliorum Officialium dicti Ordinis in proximo prædicto generali, & alijs quibuſcunque Capitulis electiones, per ſecreta, & clauſa ſuffragia fieri debere, quæ aperiri, & legi non poſſint, niſi poſtquàm omnes ſuffragaturi ſunt, ſuffragia tulerint, ita vt illi, qui vota recipient, aut electioni aſſiſtent, intelligere, aut ſcire non poſſint in cuius fauorem quiſque ſuffragatus fuerit: In reliquis verò eiuſdē Ordinis Conſtitutiones, ab Apoſtolica Sede approbatas ſeruari debere præcipimus, & mandamus; decernentes irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam, quauis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Electio faciēda eſt per ſecreta ſuffragia.

§. 3. Non obſtantibus quibuſuis conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac dicti Ordinis, etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia robora-

tis, statutis, & consuetudinibus, priuilegijs quoque, indultis, & literis Apostolicis eidem Ordini, illiùsq; apud Nos, & Sedem Apostolicam pro tempore existentibus Protectoribus, & Præsidentibus in dictis Capitulis, & quibusuis alijs Superioribus, & personis per Nos, seù quoscunque Romanos Pontifices prædecessores nostros sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis clausulis, & decretis in contrariũ quomodolibet concessis, confirmatis, & innouatis: Quibus omnibus, & singulis, eorum omnium tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis habẽtes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice duntaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterìsq; contrarijs quibuscunque. Volumus autem, & decernimus, vt præsentes nostræ in Congregatione Vocalium ante electionem eiusdem proximè futuri Prioris Generalis, ad hunc effectum conuocanda, publicatæ obligent, & astringant perinde, ac si singulis personaliter intimatæ fuissent. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub anulo Piscatoris die decimasexta Maij, Millesimo sexcentesimo decimo quarto, Pontificatus nostri anno nono.

Scribæ ministerii sublatũ in electionibus quorumuis Superiorum.

§. 4. Cum autem ex eo quòd in Constitutionibus dicti Ordinis inter cetera, quòd in electione Prioris Generalis huiusmodi Scriba in paucis schedulis scribat plura nomina, & cognomina diuersorum Patrum ab Electoribus petita, & quòd vnusquisque ex Electoribus petat plura nomina diuersorum in diuersis schedulis scribi, ex quibus illam tantùm mittat in bussulam, in qua fuerit nomen, & cognomen illius Patris, quem ipse voluerit in Priorem Generalem eligere; dubitari contigerit, an per Constitutionem nostram supradictã Scribæ ministerium huiusmodi sublatum fuerit, itaut nomina diuersorum Fratrum ab Electoribus petita per Scribam in diuersis schedulis (vt præfertur) scribi amplius non possint.

§. 5. Et præterea, quoniam Nobis innotuit, electiones Priorũ Prouincialium, & Conuentualium, aliorùmq; Officialium in Capitulis Generalibus, & Prouincialibus respectiuè per secreta, & clausa suffragia (vt præfertur) hoc est per secretas schedulas, ob eorum multitudinem difficile fieri posse; Nos licèt Constitutio Nostra prædicta satis aperta sit; ad omnem tamen ambigendi occasionem tollendam, omnèsq; interpretationes, Concilij Tridentini decretis, nostræq; menti, & secretæ electioni contrarias penitùs arcendas, & prohibendas, & ad amputandas quascunque difficultates, quæ possent in prædictis electionibus exoriri; Apostolica auctoritate tenore præsentium declaramus, Scribæ ministerium supradictum tàm in electione Prioris Generalis, quàm aliorum quorumcunque Superiorum, & Officialium huiusmodi adhiberi minimè posse, sed electiones prædictas absque eius ministerio, & omnimodè secretas iuxta decreta prædicti Concilij Tridentini esse debere.

In Capitulo Generali Prouinciales fiunt per fabas.

§. 6. Insuper electiones Priorum Prouincialium, & Conuentualium, aliorùmq; Officialium (Prioris, & Procuratoris generalium, ac Assistẽtium in generalibus, necnon Priorum similiter Prouincialium, & Diffinitorum in Prouincialibus Capitulis

lis electionibus duntaxat exceptis) per secretas fabas fieri posse decernimus pariter, & declaramus. Sicq; per quoscunque Iudices ordinarios, & delegatos, quauis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, & S.R.E. Cardinales, sublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate iudicari, & diffiniri debere: ac irritum, & inane si secus super his à quoquam, quauis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari similiter decernimus. Non obstantibus omnibus illis, quæ in literis nostris prædictis voluimus non obstare, ceterisq; contrarijs quibuscunque.

§. 7. Volumus autem, vt præsentes nostræ in Capitulo Conuentuali domus S. Augustini de Vrbe, in quo Prior Generalis, ac Procurator etiam generalis dicti Ordinis, necnon Assistentes esse debeant, lectæ, & publicatæ perinde omnes afficiant, ac si in Capitulo generali publicatæ, & legitimè intimatæ fuissent.

§. 8. Vtque earum transumptis, etiam impressis, manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate ecclesiastica cōstitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ eisdem præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem, sub anulo Piscatoris, die decima quarta Iulij, Millesimo sexcentesimo decimo quarto, Pontificatus nostri anno decimo.

Constit. VI.

Ex Bullario Romano in Appendice Pauli V. Constit. 93. & in Archiuo transumptum impressione Camerali.

Summarium.

Pro officio duorum Assistentium Reuerendissimi Prioris Generalis, à Clemente Octauo primò instituto, multa ordinantur.

PAVLVS PAPA QVINTVS. 1614.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. 1. PRouisionis nostræ debet prouenire subsidio, vt ius suum vnicuique conseruetur; proinde Nos tenorem quarundam literarum in forma Breuis fel. rec. Clemētis Papæ Octaui prædecessoris nostri super deputatione, ac officio duorū Assistentium Prioris Generalis Ordinis Fratrum Eremitarum S. Augustini pro tempore existentium confectarum in Secretaria nostra tunc ipsius Clementis prædecessoris repertum, ex minuta originali de verbo ad verbum transcribi, & præsentibus annotari fecimus, pro eo quòd huiusmodi tenore dilecti filij Ioãnes Vincentius Spinula Genuensis, ac Alphonsus Nunio de Andalucia dicti Ordinis Professores, & dilecti etiā filij Nicolai à Sancto Angelo eiusdē Ordinis Prioris generalis Assistentes, se indigere Nobis significari fecerūt. Qui quidem tenor talis est, videlicet.

§. 2. Clemens Papa Octauus. Ad perpetuam rei memoriam. De prospero Regularium Ordinum, & personarum statu, & regimine pro nostri pastoralis officij debito solicitè cogitantes, ad ea libenter intendimus, per quæ recta, & felix, quam quærimus, gubernandi ratio inducatur

§. 3. Cum itaque sacras Religio-

forum

ſorum domos in Eccleſia Dei à Sanctis Patribus piè, ſanctèq; inſtitutas, quæ vnius Superioris gubernio ſubſunt, maiores in via mandatorum Domini progreſſus facturas confidamus, quando eidem Superiori viri aliqui Religionis zelo, morum exẽplo, rerũmq; experientia præſtantes ad gubernij onus ſuſtinendum, conſiliarij adiungantur, & adiutores aſſiſtant; Nos qui Religiones ipſas noſtris temporibus reſtituta in his priſtinæ regularis diſciplinæ norma, & obſeruantia, pietate, charitate, zelo, ſanctitate, alijsq; regularibus virtutibus fulgere maximè cupimus, id attentè conſiderantes, & Ordinem S. Auguſtini Fratrum Eremitarum nuncupatum, quem in viſceribus gerimus charitatis, paternè reſpiciẽtes, ipſius ſuperiori leuamento fore ad eius Ordinis, qui benedicente Domino, quaſi fœcundus ager vberes fructus emittens, per vniuerſi Chriſtiani Orbis partes copioſè diffuſus eſt, curam gerendam, & regiminis pondus ſuſtinendum, Ordini verò commodum, & vtilitatem non modicam aliquorum Aſſiſtentium, præſtantium ſcilicet Religioſorum operam allaturam iudicauimus.

§. 4. His igitur, & alijs rationabilibus de cauſis, quas maturè, ac diligenter perſcrutati ſumus, adducti; hac noſtra, quam perpetuò valere volumus, Conſtitutione, decernimus, vt in ipſo Ordine S. Auguſtini, duo ex eiuſdem Ordinis Patribus in Prioris Generalis Aſſiſtentes nuncupari in perpetuum, conſtitui, & deputari debeant: qui Aſſiſtentes (hac prima vice duntaxat excepta, qua Nos ipſi illos, vt infra deputare voluimus) in Capitulo generali eiuſdem Ordinis deputentur, eorum verò alter Citramontanus, alter Vltramõtanus, ſed vterque in ſacra Theologia Magiſter, ac Sacerdos, & in quadrageſimo ſaltim ſuæ ætatis anno conſtitutus, vitæq; innocentia, rerum vſu, ac doctrina maximè cõmendatus eſſe debeat; quorum conſilio Prior Generalis, vt faciliùs, & accuratiùs vniuerſa Ordinis negotia, quæ ad ſuum pertinent officium, expedire poſſit, aſſiduè vti debeat, ipſiq; Aſſiſtentes in decernendis Ordinis negotijs perpetuò eidem aſſiſtant, illũmq; quocunque ierit, comitentur, & aſſocient, & Generalis ipſe abſque eorum conſilio nihil decernere valeat.

Institutio officij duorum Assistentium.

Eorum qualitates.

§. 5. Ipſorum Aſſiſtentium officium ad ſexennium tantùm duret, quo finito, alij duo ſimiles in Capitulo generali huiuſmodi (vt prædicitur) eligi debeant.

Eliguntur in Capitulo generali.

§. 6. Sed ſi intra ſexennium Aſſiſtentes prædicti, aut alter eorum deceſſerint, vel ipſorum officium per dimiſſionem, vel amiſſionẽ, vel aliàs quomodocunque vacare contigerit; tunc aliorum Aſſiſtentium, qui vſque ad tunc futurum generale Capitulũ durent, in deficientium locum ſubrogatio, & electio ad Romanũ Pontificem, Sedẽmq; Apoſtolicam ſpectet, & reſeruata exiſtat.

§. 7. Aſſiſtentes huiuſmodi eorum officio durante Sedi Apoſtolicæ immediatè ſubiecti ſint: ſi verò interim crimen aliquod (quod abſit) commiſerint, propter quod eorum officio de iure priuandi ſint: tunc proceſſus informatiuus contra illos à Priore Generali, de licentia tamen Cardinalis Protectoris ipſius Ordinis fieri, & ad Romanum Pontificẽ pro tempore

Contra Assistentes Generalis format processũ, qui ad Sedem Apostolicã trãsmittitur.

tempore existentem, Sedèmq; Apostolicam transmitti debeat, ad quos eius causæ cognitio, & definitio pertineat. Exacto verò Assistentis officio, Priori Generali immediatè subiecti remaneant.

Congregatio bis in hebdomada faciẽda.

§. 8. Hi prætereа Assistentes in omnibus prædicti Ordinis negotijs, votum habeant consultiuum, Priórque Generalis pro illorum expeditione bis in hebdomada ipsis Assistentibus negotia huiusmodi communicare, eorùmq; consilium super illis requirere debeat.

Assistentes habent votũ plusquã consultiuũ in grauioribus negotijs.

§. 9. In quibusdam tamen grauioribus casibus, veluti in Vicarij Generalis nominatione, Prouincialiũ priuatione, aut legum, statutorum, & decretorum, quæ ad vniuersum Ordinem spectent, promulgatione, in Commissarijs generalibus alicubi instituendis, Visitatoribus Prouinciarũ deputandis, pœna triremium, & carceris vltra annum, aut exilij vltra biennium irroganda, aut vocis actiuæ, & passiuæ priuatione, alijsq; similibus; si Assistentes prædicti fuerint concordes, & in voto contrario prædicti Generalis, tunc sinè retardatione executionis voti ipsius Prioris Generalis, eius rei cognitio ad Sedem Apostolicam deuoluatur: Si verò contingat vota esse diuersa, tunc ea sententia præferatur, quæ à Generali magis probabitur.

In casu discordiæ quid faciendum.

Nota quòd præsentia Assistentiũ quoad Procuratorẽ Ordinis per non vsũ sublata fuit & idem Procurator, dum Generalis est in Curia, assistit Congregationibus: eius possessus vltra annos triginta fuit probatus de mandato Sanctissimi per Reuerendissimum D. Vulpium Præsidentem in Capitulo Generali anno 1625. viuæ vocis oraculo, coram omnibus Patribus in Diffinitorio congregatis, ad electionem Procuratoris Ordinis, & Assistentium fer. 2. Pentecostes.

§. 10. Ceterum ijdem Assistentes pro tempore, dum eo munere fungũtur, in quibuscunque locis, & actibus eiusdem Ordinis, locum habeãt immediatè præsente Priore Generali ante omnes alios Priores Prouinciales, ac etiam Procuratorem generalem Ordinis: absente verò Priore Generali, locum post ipsum generalem Procuratorem, sed ante omnes alios habere debeãt: Finito verò officio habeant locum immediatè post Assistentes pro tempore existentes.

Assistentium collecta.

§. 11. Vtq; pro eius muneris qualitate congruè sustentari possint, eisdem Assistẽtibus, dum in officio fuerint, congrua ad eorum sustentationem stipendia ex communibus Prouinciarum, & domorum eiusdẽ Ordinis redditibus per Cardinalẽ Protectorem, & Priorem Generalem prædicti Ordinis decernendis, & stabiliendis assignari debeant, & per eos exigi, & in eorum vsus, & vtilitatem conuerti possint.

§. 12. Hac igitur prima vice dilectos filios Iacobum de Cortona, & Petrum Manrique eiusdem Ordinis professores, & in sacra Theologia Magistros, in prædicti Prioris Generalis Assistentes, Iacobum nimirum nationis citramontanæ, & Petrum vltramontanæ, pro primo sexennio auctoritate Apostolica tenore præsentium cõstituimus, & deputamus.

Pœna cõtrafaciẽtibus impositæ tam Generali, quã ceteris Fratribus.

Mandantes propterea in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub excommunicationis, & priuationis vocis actiuæ, & passiuæ, alijsq; arbitrij nostri pœnis, moderno, & pro tempore existenti dicti Ordinis Priori Generali, ac vniuersis, & singulis alijs Superioribus, & Religiosis, vt præsentes literas, & in eis contenta quæcunque obseruent, & ab omnibus, ad quos spectat, obseruari curent, & faciant; nec à quoquam molestari patiantur,

tam

tàm prædictos à Nobis electos, quã pro tempore futuros Assistentes huiusmodi, sed illos eorum officio fungi, ac omnibus, & singulis præmissis pacificè frui, & gaudere permittant, & faciant.

§. 13. Non obstantibus Apostolicis, ac in Prouincialibus, & Synodalibus Concilijs editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, & ordinationibus, dictiq; Ordinis, etiã iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, priuilegijs quoque, indultis, & literis Apostolicis eidem Ordini, Priori Generali, & alijs Superioribus, & personis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & approbatis, ceterìsq; contrarijs quibuscunque. Datum Romæ apud S. Marcum, sub anulo Piscatoris, die quinta Iulij, Millesimo quingentesimo nonagesimo tertio, Pontificatus nostri anno secundo.

§. 14. Ceterum vt earundem literarum tenor sic insertus, omnimodam rei, seù facti certitudinem faciat, Apostolica auctoritate decernimus, vt illud idem robur, eandemq; vim, eundem vigorem dictus tenor in omnibus, & per omnia habeat, quem haberẽt literæ originales prædictæ, ac eadem prorsus eidem tenori fides adhibeatur, quandocunque in iudicio, siuè alibi, vbi fuerit exhibitus, vel ostensus, ac illi pariter stetur, sicut eisdem literis originalibus staretur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Per hoc autem nullum ius cuiquam de nouo acquiri volumus, sed antiquum tantummodò conseruari.

Datum Romæ apud Sanctã Mariam maiorem, sub anulo Piscatoris, die vigesima septima Nouembris, Millesimo sexcẽtesimo decimo quarto, Pontificatus nostri anno decimo.

QVAEDAM DECRETA VIVAE VOCIS oraculo Cardinalis Saulij Protectoris, & Capituli Generalis Recineti, circa Assistentes; ex transumpto impresso in Typographia Cameræ Apostolicæ, asseruato Romæ in Archiuo Ordinis. num. 7. *Viuæ vocis oraculũ Cardin. Protectoris pro Assistentibus.*

ANTONIVS TIT. S. STEPHANI S.R.E. Presbyter Cardinalis Saulius nuncupatus, ac totius Ordinis Eremitarum S. Augustini Protector.

Dilectis Nobis in Christo Patribus, Magistro Andreæ Finizanio Priori Generali, Procuratori totius Ordinis, Prouincialibus, Diffinitoribus, Prioribusq; localibus, ac ceteris omnibus eiusdem Ordinis Fratribus Salutem.

§. 1. CVm aliàs mensibus proximè elapsis, Sanctissimus D. N. Clemens Papa Octauus pro bono regimine, ac faciliori totius Ordinis Eremitarũ S. Augustini gubernio per Breue Apostolicum duos viros probos, ac experientia præstantes, dilectos Patres, videlicet Magistrum Iacobum Cortonensem Italum, & Magistrum Petrum Manrique Hispanum Reuerendo Patri Priori Generali adiunxerit, & in Assistentes deputauerit, quorum consilio, & voto Prior ipse Generalis vniuersa Ordinis negotia, quæ ad suum pertinent officium, accuratiùs expedire posset, & valeret, cum auctoritate, stipendio, & præeminentia quadam, de quibus in dicto Breui sub anulo Piscatoris confecto die quinta Iulij, Millesimo quingentesimo

mo

mo nonageſimo tertio latiùs continetur, ad quod &c.

§. 2. Cum ſit etiam, quòd, eo publicato, circa nonnulla in dicto Breui contenta, quæ non modicam perturbationem in toto Ordine generare poſſe videbantur, dubitari contigerit; quæ tùm ipſi perſpeximus, tùm ab alijs admoniti fuimus; & propterea ad tollendas omnes dubitationes, mentèſque, ac animos nonnullorum ſedandos, præfatum Sanctiſſimum D. N. conſulendum duximus, vt voluntatem ſuam Nobis in omnibus patefaceret.

§. 3. Qui ſpecialiter infraſcripti Nobis viuæ vocis oraculo mentem ſuam declarauit, & expreſſit, nunquã ſuæ intentionis fuiſſe, nec eſſe quoad præcedentiam dictorum Aſſiſtentium, qui de præſenti ſunt, & inpoſterum erunt, finito eorum officio poſt ſexennium, velle in aliquo præiudicare Priori Generali ipſius officio functo, vel dimiſſo, vel abſoluto ab eo: nec Generali Procuratori totius Ordinis, dum fuerit in actu ſuæ Procurationis, minùsq; Prouincialibus actu exiſtentibus in ſua Prouincia, nec Diffinitoribus in Diffinitorio ipſo actu permanentibus, nec etiã Prioribus localibus Conuentuũ generalium, in ſuo Conuentu actus Priorales exercentibus: ſed illam clauſulam ibi (Finito autem officio &c.) quoad locum, quem habituri ſunt inter Fratres dicti Aſſiſtentes, ita intelligendum eſſe, vt per ſexenniũ, finito eorum officio præfati Aſſiſtentes præcedere debeant omnes, & quoſcunque Fratres, cuiuſcunque ſint gradus, ordinis, dignitatis, honoris, & conditionis, exceptis ſupradictis, Priore Generali ab eius officio abſoluto, Procuratore totius Ordinis ſuum officium actu exercente, Prouincialibus in ſua Prouincia cum effectu exiſtentibus, Diffinitoribus actu in ipſo Diffinitorio permanentibus, ac Prioribus localibus Conuentuum generalium Priorales actus in ſuo Conuentu pertractantibus: qui omnes in occurrenti caſu dictos Aſſiſtentes, eorum officio finito, præcedere debeant, & non aliter, in ceteris omnibus dicto Breui in ſuo robore inuiolabiliter permanente.

§. 4. Quo verò ad ſtipendia præfatis Aſſiſtentibus pro eorum congrua ſuſtentatione ex communibus totius Ordinis redditibus aſſignãda, & in ipſorum vſibus conuertenda, idem Sanctiſſimus D. N. declarauit ſuæ intentionis pariter fuiſſe, & eſſe, ne detur locus proprietati, & ad huiuſmodi ſuſpicionem penitùs tollendam, per eoſdem Aſſiſtentes ea lege, & hac conditione dicta ſtipendia exigi poſſe, ac in ſuos vſus, vtilitatèmq; dicto ſexennio durante conuerti, dũmodò eorum officio finito, in Capitulo generali de habitis, & receptis, expenſisq; per eos factis fidelem cõputum reddant cum reliquorum ſatisfactione, & effectuali conſignatione eorum, quæ ſupererunt, quævè non expenſa, vel malè erogata apparebunt: ad quæ omnia peragenda voluit, eoſdem omninò teneri, & obligatos eſſe.

§. 5. Hanc igitur Sanctiſſimi D. N. voluntatem, declarationem, intentionem, ac mentis ipſius atteſtationem, ne de cetero ſuper his dubitari contingat, vobis omnibus notũ fieri cupientes, has noſtras patentes literas manu noſtra ſignatas, & ſigillo paruo munitas, vobis exarandas,

das, scribendàsq; curauimus. Vobis omnibus auctoritate nostri officij, immò veriùs S. D. N. viuæ vocis oraculo Nobis facto, districtiùs præcipiendo, vt prædicta omnia obseruetis, ac inuiolabiliter à ceteris omnibus obseruari mandetis, atque curetis. Valete in Domino.

Datum Romæ in Palatio nostræ solitæ residentiæ, quinto Idus Nouembris, anno Domini, Millesimo quingentesimo nonagesimo tertio.

DECRETVM CAPITVLI Generalis Ordinis Eremitarum S. Augustini, Recineti anno Domini 1602. Præsidente Illustrissimo, & Reuerendissimo D. D, S. R. E. Cardinale Bandino celebrati, circa officium duorum Assistentium.

NE dignitatis memoria post officij functionem sordescat, visis literis Illustrißimi, ac Reuerendißimi D. D. Antonij Cardinalis Saulij Ordinis nostri Protectoris, ad Illustrißimum, ac Reuerendißimum D. D. Octauium Cardinalem Bandinum, sub vigesima tertia Aprilis huius anni, declaratur, quòd tàm Reuerendißimus Pater totius Ordinis Vicarius Generalis Apostolicus, quàm Reuerendi Patres Aßistentes, post abdicationem officiorum, ius habeant ferendi suffragium in Comitijs generalibus, & loco post electos potiantur: quod perpetuis temporibus seruandum decernitur. Noua autem Patrum Aßistentium electio, ad Diffinitorium generale pertineat.

Constit. VII.

Ex Bullario Romano in Appendice Pauli V. Constit. 94.

Summarium.

Eadem Constitutio circa Assistentium officium Motu proprio edita.

PAVLVS PAPA QVINTVS. 1614.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. 1. PRouisionis nostræ debet prouenire subsidio, vt ius suum vnicuique conseruetur; proinde Nos tenorem quarundam literarum in forma Breuis fel. rec. Clemētis Papæ Octaui prædecessoris nostri super deputatione, ac officio duorū Assistentium Prioris Generalis Ordinis Fratrum Eremitarum S. Augustini pro tempore existentium confectarum, in Secretaria nostra, tunc ipsius Clementis prædecessoris repertum, ex minuta originali de verbo ad verbum transcribi, & præsentibus annotari fecimus, pro eo quod huiusmodi tenore dilecti filij Ioānes Vincentius Spinula Genuensis, ac Alphonsus Nunio de Andalucia dicti Ordinis professores, & dilecti etiā filij Nicolai à Sancto Angelo eiusdē Ordinis Prioris Generalis Assistentes, se indigere Nobis significari fecerunt. Qui quidem tenor talis est, videlicèt.

§. 2. Clemens Papa Octauus. Ad perpetuam rei memoriam. Quæ à Nobis aliàs prouidè statuta, & ordinata sunt, firmiter perpetuò obseruari cupientes, ea, cum opus est, cōfirmamus, & innouamus, prout in Domino salubriter conspicimus expedire.

pedire. Cum itaque aliàs pro felicio- ri regimine Ordinis Fratrum Eremitarum S. Augustini decreuerimus, vt in ipso Ordine S. Augustini duo ex eiusdem Ordinis Patribus in Prioris Generalis Assistentes nuncupari, in perpetuum constitui, & deputari deberent, qui Assistentes (ea prima vice duntaxat excepta, qua Nos ipsi illos deputare voluimus) in Capitulo generali eiusdem Ordinis deputarentur: eorum verò alter Citramontanus, alter verò Vltramontanus, sed vterque in sacra Theologia Magister, ac Sacerdos, & in quadragesimo saltem suæ ætatis anno constitutus, vitæq; innocentia, rerum vsu, ac doctrina maximè commendatus esse deberet, quorum consilio Prior Generalis, vt faciliùs, & accuratiùs vniuersa Ordinis negotia, quæ ad suum pertinerent officiũ, expedire posset, assiduè vti deberet, ipsiq; Assistentes in decernendis Ordinis negotijs perpetuò eidem assisterent, illùmq; quocunque ierit comitarentur, & associarent, & Generalis ipse absque illorum consilio nihil decernere valeret: Ipsorum verò Assistentium officium ad sexennium tantùm duraret; quo finito, alij duo similes in Capitulo generali huiusmodi (vt prædicitur) eligi deberent. Sed si intra sexennium Assistentes prædicti, vel alter eorum decederet, vel ipsorum officium per dimissionem, vel amissionem, aut aliàs quomodocunque vacare contigisset, tunc aliorum Assistentium, qui vsque ad tunc futurum generale Capitulum durarent, in deficientium locum subrogatio, & electio ad Romanum Pontificem, Sedèmq; Apostolicam spectaret, & reseruata existeret. Assistentèsq; huiusmodi eorum officio durante Sedi Apostolicæ immediatè subiecti essent: Si verò interim crimen aliquod (quod absit) commisissent, propter quod eorum officio de iure priuandi essent, tunc processus informatiuus contra illos à Priore Generali, de licentia tamen Cardinalis Protectoris ipsius Ordinis fieri, & ad Romanum Pontificem pro tempore existentẽ, Sedèmq; prædictam transmitti deberet, ad quos eius causæ cognitio, & definitio pertineret: Exacto verò Assistẽtis officio, Priori Generali immediatè subiecti remanerẽt. Hi præterea Assistentes in omnibus Ordinis prædicti negotijs votum haberẽt consultiuum; Priorq; Generalis pro illorum expeditione bis in hebdomada ipsis Assistentibus negotia huiusmodi communicare, eorùmq; cõsilium super illis requirere deberet: In quibusdã tamen grauioribus casibus, veluti in Vicarij Generalis nominatione, Prouincialium priuatione, aut legum, statutorum, & decretorum, quæ ad vniuersum Ordinem spectent promulgatione, in Cõmissarijs Generalibus alicubi instituendis, Visitatoribus Prouinciarum deputandis, pœna triremium, & carceris vltra annum, aut exilij vltra biennium irroganda, aut vocis actiuæ, & passiuæ priuatione, alijsq; similibus, si Assistentes prædicti forent concordes, & in voto cõtrario prædicti Generalis, tunc sine retardatione executionis voti ipsius Generalis, eius rei cognitio ad Sedem Apostolicam deuolueretur: si verò contingeret, vota esse diuersa, tunc ea sententia præferretur, quæ à Generali magis probaretur. Vlteriùs ijdem Assistentes pro tempore dum eo munere fungerẽtur

in quibuscunque locis, & actibus ipsius Ordinis, locum haberent (præsente Priore Generali) immediatè ante omnes alios Priores Prouinciales, & etiam Procuratorem Generalem Ordinis: Absente verò Priore Generali, locum post ipsum Generalem Procuratorem, sed ante omnes alios habere deberent: Finito autē officio haberēt locū immediatè post Assistentes pro tempore existentes. Et vt pro eius muneris qualitate cōgruè sustentari possent, eisdem Assistentibus, dum in officio essent, congrua ad eorum sustentationē stipendia ex cōmunibus Prouinciarum, & domorum eiusdem Ordinis redditibus per Cardinalem Protectorem, & Generalē Priorem dicti Ordinis decernenda, & stabilienda assignari deberent, & per eos exigi, & in illorum vsus, & vtilitatē cōuerti possent, prout latiùs in nostris desuper datis quīta Iulij, Millesimo quingētesimo nonagēsimo tertio, Pontificatus nostri anno secundo, in forma Breuis expeditis literis pleniùs continetur.

§. 3. Cum autem generale Capitulum prædicti Ordinis Eremitarum S. Augustini, in proximè futuro festo Pentecostes Romæ (Deo fauente) celebrandum sit; Nos præmissa omnia iuxta ordinationem nostram huiusmodi tàm in prædicto Capitulo, quàm deinceps in perpetuum obseruanda esse cēsentes, literarùmq; prædictarum tenorem, ac si ad verbum insererētur præsentibus pro expresso habentes; Motu proprio, & ex certa scientia, ac mera deliberatione nostra, deq; Apostolicæ potestatis plenitudine prædictas literas, ac omnia in illis contenta de nouo, quatenus opus sit, perpetuò cōfirmamus, approbamus, & innouamus, ac iuxta illarum seriem, & tenorem in prædicto futuro, & alijs Capitulis generalibus prædictos duos Assistentes, alterum ex Citramontana, & alterum ex Vltramontana natione eligi, & deputari, aliàq; præmissa in omnibus, & per omnia obseruari, & executioni demandari statuimus, & ordinamus. Mandantes propterea in virtute sanctæ obedientiæ Præsidenti, ac Diffinitoribus, & Fratribus Vocalibus eiusdem Capituli generalis, ceterìsque, ad quos spectat, & in futurum spectabit, vt præmissa omnia obseruent, & obseruari curent, & faciant.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac Ordinis prædicti, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, ac omnibus illis, quæ in prædictis literis voluimus non obstare, ceterìsq; contrarijs quibuscunque. Datum Anconæ, sub anulo Piscatoris, die vigesimaseptima Aprilis, Millesimo quingentesimo nonagesimo octauo, Pontificatus nostri anno septimo.

§. 5. Ceterùm vt earundem literarum tenor sic insertus omnimodā rei, seù facti certitudinem faciat, Apostolica auctoritate decernimus, vt illud idem robur, eandèmq; vim, & eundem vigorem dictus tenor in omnibus, & per omnia habeat, quem haberent literæ originales prædictæ, ac eadem prorsus eidem tenori fides adhibeatur, quandocunque, & vbicunque in iudicio, siuè alibi, vbi fuerit exhibitus, vel ostensus, ac illi pariter stetur, sicut eisdē literis originalibus staretur, si forent exhibitæ, vel osten-

ostensæ. Per hoc autem nullum ius cuiquam de nouo acquiri volumus, sed antiquum tantummodò conseruari.

Datum Romæ apud Sanctã Mariam maiorem, sub anulo Piscatoris die vigesima septima Nouembris, Millesimo sexcẽtesimo decimo quarto, Pontificatus nostri anno decimo.

Constit. VIII.

Ex Breue originali, quod asseruatur in Bibliotheca Angelica in Conuentu nostro de Vrbe.

Summarium.

Conceditur Angelo Rocchæ Sacristæ facultas donandi Bibliothecam Conuentui, cui voluerit, à qua nihil abstrahi potest sub pœna excommunicationis.

1609. *PAVLVS PAPA QVINTVS.*

Ad perpetuam rei memoriam.

§. 1. CVm (sicut accepimus) aliàs fel. rec. Clemens Papa Octauus prædecessor noster dilecti filij Angeli Rocchæ à Camerino Ordinis Fratrum Eremitarum Sancti Augustini professi, tunc sui, nunc familiaris nostri, atque Episcopi Tagastensis, & Apostolici Sacrarij Præfecti supplicationibus inclinatus, eidem Angelo, vt Bibliothecam suam ingenti librorum copia, necnõ sacrarum rerum, & Sanctorum, illustriũmq; virorũ imaginibus, alijsq; picturis, ornamentis, atque compendijs, siuè tabulis ad varias artes, & scientias spectantibus in modum arborum memoriæ iuuandæ causa conscriptis, mappis, & iconibus ad Cosmographiam, Geographiam, & Chorographiã spectantibus; sphæris, item Astrolabijs, & globis, vniuersam mundi molem repræsentantibus, instrumentisq; Mathematicis refertam summo eius labore, industria, & impensa comparatam cum omnibus alijs rebus in illa existentibus, & quæ in eam inposterum conferret ad quamcunque quantitatem, & valorem ascenderent, cuicunque mallet eiusdem Ordinis domui, seù Conuentui libera dispositione tàm titulo donationis inter viuos, quàm causa mortis, aut testamento, & codicillis sub conditionibus sibi benè visis, licitis tamen, & honestis, & aliàs relinquere, donare, & elargiri posset, auctoritate Apostolica concesserit. Ac insuper, vt Bibliotheca prædicta, atque item omnia, & singula in ea contenta integrè, & perpetuò conseruarentur, statuerit Bibliothecam ipsam ex domo, vel Conuentu, cui relinqueretur, nullo vnquam tempore à quocunque, etiam dicti Ordinis Priore Generali, vel ab alio Superiore amoueri posse; sed in eadem domo semper conseruari debere: Quinimò si quispiam inde, aut ex loco, ad hoc destinato illam amouere, aut ex ea libros, figuras, imagines, & ornamenta, vel quæcunque alia supradicta, ac minimam cuiuscunque libri, aut alterius rei, in illa existentis, & ad dictam Bibliothecam spectantis partem, etiam sub prætextu studendi in proprijs cellis, vel cubiculis extrahere præsumeret, illum eo ipso excommunicationis sententia innodatum existere. Si autem Conuentus, aut domus, cui dicta Bibliotheca (vt supra dictum est) relinqueretur, aut illius Priores, &

Bibliothecam cum omnibus in illa contẽtis cuicunque loco Ordinis donari poterat.

A Conuentu, cui donata est, alienari non potest.

Nihil ab illa extrahi potest etiã animo studendi in proprijs cellis.

Religiosi, vel alij eiusdem Ordinis Superiores, illam, aut aliquam eius quantumuis minimam partem vendere, aut quocunque modo alienare præsumerent; vltra præmissa, Bibliothecam integrè cum libris, rebùsq; omnibus superiùs enarratis, ad Cameram nostram Apostolicam pro Bibliotheca Vaticana eo ipso deuolui, & deuolutam esse voluerit, & declarauerit, prout in literis desuper expeditis pleniùs continetur.

In causa contrauentionis deuoluitur ad Bibliot. Vaticanam.

§. 2. Cumque sicut dictus Angelus Episcopus Nobis nuper exponi fecit, Bibliothecam prædictam cum omnibus super enarratis, additis etiã Numismatibus antiquorum, & recentiorum æreis, & argenteis, quæ Medalia vulgò vocitantur, non solùm ad Fratrum sui Ordinis commodum, verùm etiam ad aliorum Fratrum cuiuscunque Ordinis, necnon Presbyterorum secularium, & laicorum, & quorumcunque vtilitatem, instruxerit.

Renouatio const. Clem. viij.

§. 3. Idcircò Nos eiusdẽ Bibliothecæ conseruationi amplius consulere volentes, & voluntati dicti Angeli Episcopi satisfacere cupientes, eiusdem supplicationibus Nobis humiliter porrectis inclinati, Apostolica auctoritate tenore præsentiũ perpetuò statuimus, quòd si de cetero perpetuis futuris temporibus Prior, & Fratres domus, cui prædictam Bibliothecam relinqui contigerit, alios Fratres cuiuscunque Ordinis Presbyteros seculares, & laicos, ab vsu, & commodo dictæ Bibliothecæ exclusferint; vel libros de quacunque re tractantes, etiam sub prætextu, quod illi ad laicos potius, quàm ad Religiosorum professionem pertineant, vendiderint, aut alienarint; ex tunc Bibliotheca ipsa integrè cum libris, rebùsq; omnibus superiùs enarratis, ad Cameram Apostolicam pro Bibliotheca Vaticana eo ipso deuoluatur. Non obstantibus omnibus, quæ dictus Clemens prædecessor in suis literis voluit non obstare.

§. 4. Concedimus insuper eidem Angelo Episcopo, & Sacristę nostro, vt omnia, & singula sua vtensilia, & supellectilia, quæ nunc habet, & habebit vnquam dictæ Bibliothecæ ad vsum, & commodum Bibliothecarij, seù eiusdem Bibliothecæ Custodis, & successorum ipsius relinquere, ac donare possit, rèque ipsa donet.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die quarta Nouembris, Millesimo sexcentesimo nono, Pontificatus nostri anno quinto.

Constit. IX.

Ex Transumpto simplici asseruato Romæ in Archiuo Ordinis, num. 9.

Summarium.

Moderatio Constitutionis Clementis Octaui, pro Visitatione Congregationis Lombardiæ,

PAVLVS PAPA QVINTVS.

Ad futuram rei memoriam.

§. 1. Aliàs à fel. rec. Clemente Papa Octauo prædecessore nostro emanarunt literæ tenoris subsequentis, videlicet. Clemens Papa Octauus. Ad perpetuam rei memoriam. Ex iniuncto Nobis Apostolici muneris debito, controuersijs, & differentijs inter Religiosos vertentibus finem imponere &c.

Datum

Datum Romæ apud S. Petrum, sub anulo Piscatoris, die vigesima secunda Decembris, Millesimo sexcentesimo quarto, Pontificatus nostri anno decimotertio.

§. 2. Postmodum autẽ pro parte dilectorum filiorum Antonij de Cremona Vicarij Generalis, ac Thomæ de Brixia olim Prioris, & Camilli Angeli Casalensis moderni Prioris domus Beatæ Mariæ de Populo, & Fratrum dictæ Cõgregationis Lombardiæ eidem Clementi prædecessori, ac Nobis pluries supplicatum fuit, vt præinsertas literas moderari de benignitate Apostolica dignaremur.

§. 3. Nos igitur super huiusmodi negotio vtraque parte pluries audita, ac re in Congregatione Reformationis nostræ Apostolicæ maturè discussa, præinsertas literas Clementis prædecessoris obseruandas esse duximus, prout per præsentes obseruari debere mandamus.

§. 4. Volumus tamen, vt Prior Generalis pro tempore existens dicti Ordinis semel tantùm durante eius officio, prædictam Congregationẽ, eiúsq; Domos, & Conuentus visitare possit: atque à visitandis Domibus, & Conuentibus minoribus, & exigui redditus, ne illis sumptus in huiusmodi visitatione faciendi onus imponat, abstinere debeat, ac Domos, & Conuentus magis principales tantummodò, prout in reliquo Ordine prædicto facere solet, visitet.

§. 5. Non obstantibus omnibus illis, quæ prædictus Clemens prædecessor in eius præinsertis literis voluit non obstare, ceterísq; contrarijs quibuscunque.

Datum Romæ apud S. Petrum, die decimatertia Februarij, anno Incarnationis Dominicæ Millesimo sexcentesimo sexto, Pontificatus nostri anno primo.

Constit. X.

Ex Transumpto impresso Panormi 1617. quod asseruatur Romæ in Archiuo Ordinis: Originale autem in Conuentu Centurbij custoditur.

Summarium.

Ordinationes Cõgregationis Reformatorum Siciliæ, aliàs Centurbij, Ordinis nostri.

PAVLVS PAPA QVINTVS. *1617.*

Ad perpetuam rei memoriam.

§. 1. EXponi Nobis nuper fecerunt dilecti filij Antonius de Castroioanne, & Paulus de Sancto Philippo Eremitæ Congregationis Siciliæ Ordinis Fratrũ Eremitarum Sancti Augustini, quòd aliàs quondam Thadæus Perusinus tunc Ordinis Fratrum Eremitarum S. Augustini huiusmodi Vicarius Generalis Apostolicus eandem Cõgregationem prædicto Ordini vniuit, & incorporauit, prout in patentibus literis dicti Thadæi sub die prima Aprilis anni 1581. desuper expeditis pleniùs dicitur contineri. Subinde verò Eremitæ prædicti prospero eiusdem Congregationis regimini, & felici statui consulere cupientes, infrascriptas ordinationes in prædicta Congregatione hactenus obseruatas, & quas de cetero obseruare intendunt, fecerunt, tenoris subsequentis, videlicet.

Congregationis vnio cũ Ordine.

§. 2. Congregatio ipsa, & Fratres

Obseruāt constitutiones totius Ordinis. in illa professi, omnibus legibus, ordinationibus, & constitutionibus, quæ in vniuerso Ordine obseruātur, subiecti sint, & inuiolabiliter obseruent.

Fruuntur priuilegijs Ordini cōcessis. §. 3. Quòd Fratres Congregationis omnibus priuilegijs, immunitatibus, indulgentijs, & gratijs tàm spiritualibus, quàm tēporalibus Ordini Eremitarum S. Augustini concessis, & inposterum concedendis, fruantur, & potiantur, dummodò sint in vsu, neque sacris Canonibus, aut Concilij Tridentini decretis repugnent.

Possunt recipere loca noua. §. 4. Quòd possint noua loca recipere, & Conuentus fundare tàm in Regno Siciliæ, quàm per totam Italiam, seruatis tamen decretis, & constitutionibus Apostolicis, & de licentia Prioris Generalis, & Ordinariorum locorum.

Vicari⁹ Generalis ex Congregatione eligendus, qui tantùm Generali subdantur. §. 5. Quòd Congregatio gubernetur per Vicarium generalem in Capitulo Congregationis ab ijsdem Fratribus eligendum, qui nullius Superioris regularis iurisdictioni subiaceat, sed tantùm Priori Generali sit immediatè subiectus.

Vicari⁹ hēt eandem auctoritatē quam ceteri Vicarij, & Prouinciales habent. §. 6. Quòd Vicarius electus habeat eandem auctoritatem, & iurisdictionem super totam Congregationem, quam habent singuli Prouinciales in sua Prouincia.

Electus Vicari⁹ debet cōfirmari, eligēdus est corpore Congregat. §. 7. Quòd Vicarius generalis electus legitimè, & canonicè absque repulsa à Priore Generali confirmari debet, & Vicarius eligi semper debet vnus ex Congregatione, qui eius vitæ asperitatem profiteatur.

Nihil innouandum in Capitulo Generali, in consulta Sede Apostolica. §. 8. Quòd Prior Generalis, facultatem, quam habet Congregatio eligendi Vicarium, inuiolatam conseruet; neque in Capitulo generali aliquid innouetur, quod ad substantiam dictæ facultatis eligendi pertineat, nisi priùs consulta Sede Apostolica, ad quam Fratres, vbi se grauatos senserint, recursum habere poterunt.

Corporalibus exercitijs incūbant. §. 9. Quòd horis, quibus vacant ab exercitijs spiritualibus, corporalibus exercitijs incumbant, intra tamen Monasterij septa, & prout decet viros religiosos pro vitæ sustentatione. Quæ sunt arte elaborata, vendantur ab aliquo Conuerso, seù laico, cui Prior iniunxerit, & pretium in commune redigatur.

Arte elaborata à Cōuerso, vel laico vendantur.

Sine licentia Prioris Generalis null⁹ Frater transire pōt ad alias Cōgreg. §. 10. Quòd nullus Frater Congregationis possit ad alias Congregationes eiusdem Ordinis transire, sinè licentia Prioris Generalis; & quòd in Congregatione nullus Frater Ordinis recipiatur, qui eandem vitæ asperitatem profiteri nolit, per Capitulū Conuentus approbandus.

In Congregat. Fratres Ordinis nō recipiantur eandem vitæ asperitatē profiteri nolentes.

Prior Generalis potest visitare Congregationē. §. 11. Quòd Prior Generalis pro tempore existens, Congregationē, & eius Conuentus per se, vel per aliam personam visitare possit.

Quarta & sexta feria ieiunium seruandum. §. 12. Quòd Fratres Congregationis præter dies ab Ecclesia ordinatos, ieiunent quarta, & sexta feria, exceptis diebus festis Paschatis, Pentecostes, & Natiuitatis Domini, S. P. Augustini, & Omnium Sanctorum.

§. 13. Quòd si quis ob aliquam causam ieiunare non poterit, à carnibus, ouis, & lacticinijs abstineat, nisi Superiori Conuentus de consilio Medicinæ aliter videatur.

Loca nō recipiātur, nisi distātia vno milliario. §. 14. Quòd loca Eremitoria, in quibus Fratres habitant, sint ad minus per vnum milliare distantia à Ciuitatibus, Oppidis, vel alijs locis habitatis.

§. 15.

§. 15. In veſtibus tàm intraneis, quàm extraneis ſeruetur omnimoda vniformitas, ita tamen, vt ſemper fiant ex vilioribus, quæ in locis, vbi fuerint Monaſteria, reperiuntur &c.

Pro collecta datur Generali tareni ducdecim.

§. 16. Quòd Prior Generalis, ſiuè Viſitator ab eo miſſus, præter victum quotidianum, nihil vltra petere, vel recipere poſſit, exceptis tarenis duodecim, qui Priori Generali ſingulo quoque anno exhibentur pro ſua collecta, &c.

§. 17. Cum autem (ſicut eadem expoſitio ſubiũgebat) Eremitæ præſenti plurimum cupiant, tàm vnionẽ, quàm ordinationes huiuſmodi pro maiori eorum validitate, & ſubſiſtẽtia, Apoſtolicæ confirmationis robore communiri: nobis propterea humiliter ſupplicari fecerunt, vt ſuper præmiſſis oportunè prouidere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos Eremitas prædictos ſpecialibus fauoribus, & gratijs proſequi volentes, & eorum ſingulares perſonas à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, alijsq; eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris, & pœnis, à iure, vel ab homine, quauis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectum præſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſoluentes, & abſolutos fore cenſentes huiuſmodi ſupplicationibus inclinati. De Venerabilium fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium negotijs Regularium præpoſitorum conſilio, vnionem, & ordinationes huiuſmodi, ita tamen vt Eremitæ præſenti noua loca extra Regnum Siciliæ abſque expreſſa Sedis Apoſtolicæ licentia fundare, vel accipere nullatenus poſſint, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium perpetuò approbamus, & confirmamus, illìsq; inuiolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adijcimus, ac omnes, & ſingulos tàm iuris, quàm facti defectus, ſiqui deſuper quomodolibet interuenerint, ſupplemus. Decernentes, præſentes literas ſemper, & perpetuò validas, firmas, & efficaces exiſtere, & fore, ac ab omnibus, & ſingulis præfatæ Congregationis Eremitis, & alijs, ad quos ſpectat inuiolabiliter obſeruari debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quocunque quauis auctoritate, ſciẽter, vel ignoranter contingerit attentari.

Confirmantur omnia.

§. 18. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon dicti Ordinis, & iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, ceteriſque contrarijs quibuſcunque.

Datum Romæ apud Sanctã Mariam maiorem, ſub anulo Piſcatoris, die vigeſimaquinta Ianuarij, Milleſimo ſexcẽteſimo decimo ſeptimo, Põtificatus noſtri anno duodecimo.

PII SECVNDI.
Conſtit. Vnica.

Ex Bulla originali, quæ cum ſigillo plumbeo aſſeruatur Romæ in Archiuo Ordinis. num. 1.

Summarium.

Exemptio à Collectis, & impoſitionibus (non tamen pro toto Ordine impoſitis) conceſſa Congregationi Iliceranæ extenditur ad Congregationem S. Ioannis de Carbonaria.

PIVS

1463. *PIVS EPISCOPVS*
Seruus Seruorum Dei.

Dilectis filijs S. Ioannis de Carbonaria Neapolitani, ac quarumlibet aliarum Congregationis eiusdem S. Ioannis domorum Prioribus, & Fratribus Ordinis Fratrum Eremitarum S. Augustini Salutem, & Apostolicam benedictionem.

§. 1. SAcræ Religionis syncerıtas, sub qua mundanis abdicatis illecebris in humilitatis spiritu deuotum, & sedulum exhibetis Altissimo famulatum, promeretur, vt petitiones vestras, in ijs præsertim, per quæ sublatis quibusuis dispendijs, vestris commodo, & vtilitati consulitur, ad exauditionis gratiam fauorabiliter admittamus.

§. 2. Dudum siquidem fel. recor. Eugenius Papa Quartus prædecessor noster Sancti Saluatoris Siluæ lacus, & Sancti Leonardi, ac Sanctæ Mariæ Montis speculi, necnon Sancti Antonij supra balneum Petrioli Senensis, & Grossetanensis Diœcesis Ordinis Fratrum Eremitarum S. Augustini domos, necnon quascunque alias quarumcunque Societatum Fratrum dicti Ordinis domos, quas forsan inposterum Societati huiusmodi aggregari contingeret, illarumq; Priores, & pro tempore in eis degentes Fratres sub Regulari obseruantia viuentes, ab omnibus, & singulis impositionibus, subsidijs etiam charitatiuis, alijsq; oneribus, & exactionibus, ac contributionibus quibuscunque nominibus nuncupentur, per Generalem Priorem dicti Ordinis pro tempore existentem, etiam de ipsius Ordinis generalis Capituli cõsensu, aut aliàs quomodolibet ex quibusuis causis impositis tunc, & inposterum imponendis, necnon ab illorum, & cuiuslibet ipsorum pro solutionibus impositione (certa pecuniarum summa, quæ per Fratres domorum singularum Prouinciarum eiusdem Ordinis pro subsidio dicti Generalis Prioris annis singulis solui consueuerat, ad eius solutionem eos, & alios Fratres prædictos magis, & minus pro rata eos, & illos contingente, teneri voluit, duntaxat excepta,) quandiu in præfatis domibus obseruantia huiusmodi vigeret, exemit, & totaliter liberauit, prout in literis Apostolicis superinde confectis dicitur contineri.

§. 3. Cum autem sicut exhibita Nobis nuper pro parte vestra petitio continebat, vos sub vitæ castimonia, & Regulari obseruantia eiusdẽ Ordinis in domo S. Ioannis de Carbonaria Neapolitani Ordinis Eremitarum S. Augustini, & alijs Congregationis eiusdem domibus diuina inibi continuando officia hactenus laudabiliter permansistis, & permanetis de præsenti, gratum reddentes inibi Altissimo famulatum, pro parte vestra Nobis fuit humiliter supplicatum, vt vos, domòsq; vestras huiusmodi ab exactionibus, & impositionibus prædictis absoluere, & liberare, aliàsq; in præmissis vobis, & statui vestro oportunè prouidere de benignitate Apostolica dignaremur.

§. 4. Nos attẽto, quòd sicut Nobis assertum fuit aliæ domus eiusdẽ Ordinis vbilibet per Italiam consistentes, in quibus huiusmodi Regularis obseruantia viget; (domibus in Prouincia Terræ laboris; ac alijs, in quibus quandoque Cõuentuales degerunt, licèt postmodum ad obseruantiam reductæ fuerint, duntaxat excep-

exceptis,) ab impoſitionibus, & exactionibus prædictis exemptæ exiſtunt, huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, Sancti Ioannis, ac reliquas dictæ Congregationis, necnon quaſcunque alias eiuſdem Ordinis domos, quæ huic veſtræ Congregationi pro tempore aggregari contigerit, illarùmq; Priores, & pro tempore in eis degentes Fratres, ab omnibus, & ſingulis exactionibus, contributionibus, & alijs oneribus prædictis, præterquàm ab onere Collectæ dicti Generalis Prioris per ſingulas Prouincias (vt præmittitur) fieri conſuetæ, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium perpetuò eximimus, ac prorſus, & omninò liberamus.

§. 5. Decernentes vos, domòsq; veſtras, ac in eis pro tempore degentes Priores, & Fratres ad exactiones iuxta literas Eugenij Quarti prædictas, præterquàm ad illam pro Generali Priore (vt præmittitur) pro rata vos contingente faciendam, minimè teneri; nec ad illarum ſolutionem, ſiuè contributionem per quempiam quauis auctoritate cōpelli poſſe inuitos: omnèsq; propterea, & ſingulos proceſſus, necnon excommunicationum, ſuſpenſionum, & interdicti, ac alias eccleſiaſticas ſententias, cenſuras, & pœnas, quas haberi, vel promulgari, necnon totum id, & quidquid fieri contigerit quauis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contra exemptionem, & liberationem huiuſmodi, nullius exiſtere roboris, vel firmitatis.

§. 6. Non obſtantibus præmiſſis, ac quibuſuis conſtitutionibus, ac literis Apoſtolicis, quorunque tenorum exiſtant, etiamſi de illis, earùmq; tenoribus, præſentibus ſpecialis, & expreſſa, ac de verbo ad verbū mentio foret habenda; necnon dicti Ordinis iuramento, cōfirmatione Apoſtolica, vel quacunque firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, ceterìſque contrarijs quibuſcunque.

§. 7. Nulli ergo omninò hominū liceat hanc paginam noſtræ exemptionis, liberationis, & conſtitutionis infringere, vel ei auſu temerario contraire: Siquis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum.

Datum Senis, anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo quadringētesimo ſexageſimo tertio, vndecimo Calendas Aprilis, Pontificatus noſtri anno ſexto.

PII QVARTI.

Conſtit. Vnica.

Ex Breue originali aſſeruato Romæ in Archiuo Ordinis. num. 2.

Summarium.

Mendicantes non tenentur ſoluere niſi medietatem Decimarum tàm in Dominio Venetorum, quàm in ceteris partibus Italiæ.

A tergo.

Dilectis filijs vniuerſis, & ſingulis quorumuis Ordinum Mendicantiū Prælatis, Superioribus, & profeſſoribus.

PIVS

1560. PIVS PAPA QVARTVS.

Dilecti filij Salutem, & Apostolicam benedictionem

§. 1. CVm Nos nuper vrgentibus temporum conditionibus, diuersas super redditibus ecclesiasticis decimas à quibuscunque, etiam Ordinum Mundicantium professoribus, bona stabilia ex priuilegio Apostolico habentibus, persoluendas in Dominio Venetorũ, & diuersis Italiæ partibus imposuerimus. Nos ad vberes fructus, quos vos in agro militantis Ecclesiæ continuè producitis, debitum respectum habere, ac indemnitatibus vestris quantum incumbentia Nobis onera patiuntur, consulere volentes, vestris in hac parte supplicationibus inclinati; Vobis, quòd de cetero ratione cuiuslibet decimæ tàm in Dominio Venetorum, quàm alijs partibus Italiæ per Nos hactenus impositæ, & inposterum ex quibusuis causis imponendæ, vltra vnam decimam, & sic de ceteris, soluere non teneamini; nec ad id per ipsarum decimarum Collectores, & Subcollectores pro tempore deputatos, seù quoscunque alios quauis auctoritate fungentes cogi, seù coarctari, aut propterea aliquibus censuris, vel pœnis ecclesiasticis innodari possitis, auctoritate Apostolica tenore præsentium concedimus, & indulgemus.

§. 2. Mandãtes dilectis filijs modernis, & pro tempore existentibus Camerario nostro, & Clericis, ac Præsidentibus Cameræ Apostolicæ, necnon quibusuis alijs decimarum huiusmodi hactenus deputatis, & inposterum deputandis Collectoribus, & Subcollectoribus quauis auctoritate, dignitate, seù prærogatiua præfulgeant; quatenus de cetero vos occasione singularum decimarum, hactenus (vt præfertur) impositarũ, & imponendarum ratione domorũ vestri Ordinis, & illarum fructuum, vltra illius medietatem, quouis modo, directè, vel indirectè, quouis quæsito colore, vel ingenio, grauare non audeant, nec præsumant, sed exactione medietatis decimarum huiusmodi contenti, vos ab illis omninò quietent, liberent, & penitùs absoluant in omnibus, & per omnia perinde, ac si decimas huiusmodi integrè persoluissetis: non permittentes vos per eosdem Collectores, & Subcollectores, seù quoscunque alios, quauis facultate munitos, quouis prætextu contra præsentium literarum tenorem molestari, vel perturbari. *Medietatẽ decimarũ tantum soluere tenemur*

§. 3. Non obstantibus præmissis, ac quibusuis literis, & facultatibus super impositionibus decimarũ huiusmodi pro tempore emanatis, etiã si per illas præsentibus de verbo ad verbum derogari videretur; quas aduersus præsentes nullatenus suffragari posse volumus, ceterisq; contrarijs quibuscunque.

§. 4. Decernentes, quòd præsentium literarum transumptis, manu Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius Curiæ ecclesiasticæ, seù personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides in iudicio, & extra adhibeatur, quæ eisdem præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Petrũ, sub anulo Piscatoris, die vigesimatertia Iulij, Millesimo quingentesimo sexagesimo, Pontif. nostri anno primo.

PII

PII QVINTI.

Constit. Vnica.

Ex Transumpto impresso Perusiæ 1570. asseruato Romæ in Archiuo Ordinis.

Summarium.

Continet Bullam, pro reformatione Ordinis Eremitarum S. Augustini editã.

1570. *PIVS EPISCOPVS Seruus Seruorum Dei.*

Ad perpetuam rei memoriam.

§. 1. QVoniam in reparanda sacrarum Religionum disciplina pro nostro officio versamur de venerabili familia Fratrum Eremitarum S. Augustini rationem habere, deq; ea quosdam qui in ea irrepserunt abusus, incommoda tollere decreuimus, vt ea repurgata, fructus emittat in agro Domini ampliores.

§. 2. Cùm itaque huiusmodi Religio priuatæ proprietatis vsu labefactetur, & corruat; Nos ad illam ex dicta familia exterminandam, ac simul emendandos eos, qui de officijs, & muneribus ambitiosè obtinendis iampridem inoleuerunt, & alios nocentes eius mores, nouòsq; inducendos ante omnia intenti, de Nobis attributæ potestatis plenitudine reuocamus, & abolemus omnia, & quæcunque priuilegia, dispẽsationes, literas, permissiones, & indulta habendi, & retinendi priuatim dominium, vsum, vsufructum, possessionem, & proprietatem quorumcunque bonorum, immobilium, mobilium, & semouentium: necnon domorum, cellarum, hortorum, pecuniarum, & aliarum rerum, Generalibus, Prouincialibus, Conuentualibus Prioribus, ac alijs Fratribus, etiam causa senij, infirmitatis, vel cuiuscunque pij operis prætextu, vel intuitu per quoscunque Romanos Põtifices prædecessores nostros, necnon & Sedem Apostolicam, eiusvè Legatos, vel etiam dicti Ordinis Superiores, etiam motu proprio, & ex certa scientia concessa, confirmata, & innouata, quibuscunque contenta formulis, ac clausulis, & decretis suffulta, quorum omnium tenores habemus præsentibus pro expressis; volumùsq; illa omnia, & singula, vires, & effectum de ceterò non habere.

§. 3. Quin etiam Fratres prædictos, quicunque sint, priuatos & bonorum, & rerum omnium prædictorum quomodocunque acquisitorũ, & ad eos obuentorum dominio, vsu, vsufructu, proprietate, titulo, & possessione priuamus, dictàq; possessione amouemus, & amotos nunciamus; resque, & bona ipsa omnia in communes suarum cuiusque domorum, & prædicti Ordinis vsu conuertenda concedimus: Mandantes in virtute sanctæ obedientiæ Generali, Prouincialibus, & Conuentualibus Prioribus supradictis, vt rerum, & bonorum omnium prædictorũ possessionem nomine domorum, & locorum suorum capiant, vt illa, illorùmq; fructus in communes Conuentuum vsus conuertantur.

§. 4. Ceterum præcipimus, atque interdicimus, ne deinceps vllus omninò Fratrum prædictorum, siuè priuatus, siuè Prioris Conuentualis, siuè Prouincialis, aut Generalis officio fun-

fungens, etiam prætextu huiusmodi priuilegiorum, dispensationum, permissionum, & indultorum, seù inueteratæ consuetudinis, aut quacunque alia causa, proprium quidquam, aut priuatum, neque ædes, siuè in claustro, siuè alibi, separatas habeat; sed omnia vbique communia sint, & quisque vnica Cella, eadèmq; cum ceteris aliorum Fratrum coniuncta, nudis omninò parietibus, ac lectulo, & mensa humilibus, quemadmodũ pauperes Religiosos decet, contentus esse debeat.

§. 5. Proinde Cameræ, siuè ædiculæ, quæ extra Dormitorium separatim sunt, ad Officinas, aut aliàs ad communem vsum, & commoditatẽ cuiusque Conuentus redigantur: vel si cellæ communis Dormitorij pro Fratrum numero non sufficerent, & illæ cameræ, vel ædiculæ ad formam cõmunis Dormitorij aptari possint, in Dormitorium commune redigantur; sin minùs destruantur, ac materia, & cæmenta ad fabricam Conuentus (si opus fuerit) conuertantur, vel vendantur; & pretium ad communem vsum Cõuentus conferatur.

§. 6. Sed nec vlli omninò ambitus fiant, aut pecuniæ etiam pro confirmationibus, sigillo, vel scriptura, aut quacunque alia re, vel causa soluantur, aliævè pactiones, seù promissiones intercedant, seù munera, aut xenia quocunque modo mittantur; neuè quisquam etiam in officio existens pecunias, aut quidquam aliud de Prouincia, seù domo sibi commissa, vel aliunde Priori Generali, seù alij cuicunque conferat, vel remittat. Quicunque secus fecerint, in pœnam priuationis prioratuum, & officiorum omnium incidant; & ad futurum inhabiles habeantur, & pro culpis etiam tanquàm fures puniantur, prout Nos illos priuatos, & inhabiles declaramus eo ipso: Procurationibus tamen Generali ex vniuerso Ordine, ac Prouincialibus Prioribus ex sua cuique Prouincia, & Visitatoribus ex domibus, & locis visitandis, debitis, nequaquam per præsentes sublatis.

§. 7. Ad reformandos autẽ alios dicti Ordinis mores vlteriùs progrediendo ex ijs, quæ pro salubri huius Religionis statu, & felici directione aliòqui instituta hucusque reperiuntur, quæ nec præsentibus contraria sint, nec illorum effectum impedire possint nihil omninò detrahere; sed illa immota custodiri volentes, de simili potestatis plenitudine statuimus, & ordinamus, vt Fratres omnes, etiam Superiores, & quicunque priuilegiati, nisi sint tempore Quadragesimæ, & Aduentus Domini prædicantes, omnibus diuinis Officijs diurnis, & nocturnis intersint, Alijs verò temporibus, cũ ipsis Prædicatoribus, & Lectoribus ijs diebus, quibus prædicant, & legunt; Superiores pro arbitrio dispẽsare possint. Ipsis etiam Superioribus, & alijs Officialibus eo tantùm tempore, quo actu in negotijs Conuentus, & Ordinis occupati sunt, aliquid remittatur.

§. 8. Missæ, Matutinæ, & aliæ horarum Canonicarum preces; processiones item, Anniuersaria, & Defunctorum memoriæ integræ suo debito tempore attentè, cum cantu solemni in diebus, quibus conuenit iuxta Regularia dictorum Fratrum instituta, celebrentur.

§. 9. Nec satis habeat quæque

domus

domus Miſſas, ſiuè fundatione, ſiuè ſtatuto, ſiuè conſuetudine debitas, vel præſcripto Superioris Cõuentus deſignatas, duntaxat celebraſſe; ſed Fratres omnes ſacerdotes, etiam non aſtricti, Miſſam frequentiſſimè celebrent.

§. 10. Clerici, & Conuerſi ſemel in hebdomada peccata ſua confiteantur, & ſingulis ſaltem menſibus ſacram Euchariſtiam ſumant.

§. 11. Ieiunia iuxta ſuam Regulam, & Conſtitutiones omninò ſeruent.

§. 12. In quaque domo pauciores Fratres non ſint duodecim. Si quæ autem domus hunc familiæ numerum alere non poteſt, Fratres cũ bonis ex ea domo in aliam transferantur, prouiſione adhibita ne eccleſiæ deſtruantur, ſed ad eius populi commoditatem conſeruentur. Permittimus tamen, vt in domibus, quæ iter facientibus Fratribus commodæ ſunt, quatuor Fratres non minores quinquaginta annis, conſtanti, & probata vita, maneant, ſi plures ea domus alere non poteſt. Nullæ porrò domus ſupra vires onerentur.

§. 13. In ſingulis domibus omnibus Dominicis, & feſtis diebus, prædicationes verbi Dei habeantur.

§. 14. In maioribus ſtudijs Regentes duas lectiones Theologicas interpretentur, alteram practicam, veluti de Sacramentis, vel de vita ſanctè, rectèq; inſtituenda, ex Sancto Thoma Aquinate, vel Ægidio Romano, vel alio Catholico, & approbato Doctore, Superioris arbitrio ſtatuendo; Alteram ſpeculatiuam, ex eo item Doctore, (vt præfertur) eligendo. In minoribus verò vna lectione ex Theologia practica contenti ſint. Ceterùm curent Superiores, vt in ſingulis Conuentibus Fratres maximè in conſcientiæ caſibus, & reliquis, quæ ad audiendas cõfeſſiones pertinent, ob rei grauitatem, & neceſſitatem, ſummo ſtudio, ac diligentia exerceantur. Singulis item diebus feſtis Romanus Cathechiſmus ad Parochos editus, in ſingulis Conuentibus legatur.

§. 15. Si qui Regentes, & Lectores, aut alij Fratres libros prohibitos habere ſinè ſpeciali Sedis Apoſtolicæ licentia, fuerint deprehenſi, vltra pœnas iuris communis, & quæ à ſancto officio Inquiſitionis hæreticæ prauitatis talibus imponuntur; perpetuò munere legendi, & prædicandi, & confeſſiones audiendi priuati exiſtant. Ad omnia item officia inhabiles, actiua voce careant, & paſſiua.

§. 16. Nullus ad aliquem gradũ promoueatur, niſi ætate, vita, probitate, & literatura præſtans, & in eis probatus per examen diligens, à Priore Generali, ſeù ab alijs, qui per eum huic muneri ordinabuntur, faciendum, deinde in Capitulo generali iterandum. Aetas autem, & tempus ſtudij, ac curſus exprimatur; & præterea probetur, quòd promouendus nulla vnquam infamia, ſeù ſiniſtra opinione fuerit maculatus.

§. 17. A promouendis verò ad gradus huiuſmodi, nihil omninò exigatur, nec etiam ſpontè oblatum accipiatur. Verumtamen ſi promotione facta, Conuentus promotorum aliquid Religioni donare voluerit, id (quidquid ſit) Procuratori Generali Ordinis tribuatur, vt ad leuationem

onerum, & communium ſumptuum Religionis conferatur; eodem Procuratore acceptorum, & expenſorũ rationem Priori Generali, & Diffinitoribus redditurο.

§. 18. Ceterùm omnes à decem annis promoti, rurſus per probos, & idoneos viros, à Priore Generali in quaque Prouincia conſtituendos, examinentur, & qui ſaltim mediocri ſcientia in Theologia præditi reperti non fuerint; vſu, & exercitio gradus ſuſpendantur, nec debeant priuilegio gradus huiuſmodi gaudere.

§. 19. Caueant præterea Superiores licentiam vlli Fratri concedere, vt ad aliquos Ordines ſacros, ſiuè maiores, ſiuè minores, promoueri poſſit, niſi ille in ætate legitima conſtitutus, & literatura, ad eos requiſita præditus ſit, habeàtq; omnia, quæ à ſacris Canonibus, regularibùsque inſtitutis requiruntur. Aliter promotus ab ſuorum Ordinum executione ſuſpendatur, & licentiam concedens officio deponatur, & per ſexennium inhabilis ad omnia officia habeatur.

§. 20. Sed & noſtra Conſtitutio, qua cauetur, ne quis Regularis ante emiſſam à ſe expreſſam profeſſionem regularem, ad ſacros Ordines promoueri poſſit, inuiolabiliter obſeruetur. Sacerdotes ad audiendas peccatorum confeſſiones, ordinandi, vita, moribus, & literatura probati, & quoad mulieres, ætatis prouectæ habeantur.

§. 21. In omni domo huiuſmodi, Sacerdotes ex prædicto Ordine, cõſtituantur, quibus & non alijs, Fratres omnes peccata ſua debeãt confiteri.

§. 22. Priores omnes nunquam vltra biennium durent; ſed biennio finito, ipſorum officium vacet; nec ad illudmet in eodem Conuentu ſequens protinus biennium rurſus conſtitui poſſint.

§. 23. Nulli item Fratri in eodem Conuentu plus biennio manere liceat, exceptis ſexagenario maioribus, quibus aliquid ex cauſa Superioris arbitrio poterit condonari.

§. 24. Ad hæc, nullus omninò Priorum adminiſtrationem bonorũ, & aliarum rerum temporalium, diſpenſationèmq; pecuniarum, & redditunm ſuæ domus, etiam nomine Conuentus per ſeipſum habere, ſiuè exercere, vel ſeſe in eis interponere poſſit: ſed vniuerſum id onus tribus Religioſis à Priore Generali ita demandetur, vt primus rerum, & bonorum, inferendorùmq; in eum redituum curam habeat: Alter tanquam Depoſitarius, pecunias, ac cetera, ab illo importata fideliter aſſeruet: Reliquus de pecunijs, & rebus, à Depoſitario captis, Priori, & Fratribus, ac domui vniuerſæ de neceſſarijs, veluti Diſpenſator prouideat; mandante tamen ipſo Priore, qui vnicuique non ſecundùm proprium affectum: ſed charitatis regulam prouideri curabit; officiorum huiuſmodi inuicem confuſione penitùs interdicta.

§. 25. Ceterum ij tres, tàm impenſi, quàm accepti ſingulis menſibus ſuo Priori, adhibitis etiam duobus, vel tribus Fratribus eiuſdem domus probatioribus, rerùmq; vſu peritis: Deinde ipſemet rurſus præſentibus Priore, & peritis prædictis, Priori Generali, vel Prouinciali, vel Viſitatoribus quotieſcunque viſitationis

nis officium fecerint: Deinde ipse Prior Generalis in proximo sequenti Capitulo Generali saltèm coram tribus Iudicibus ab ipso Capitulo constitutis, illorum omnium, & etiā vniuersæ administrationis suæ, tàm publicæ, quàm priuatæ rationem reddere teneatur.

§. 26. Pecuniæ omnes, & quæcunque aliæ res, quæ cuique, priuato etiam intuitu, personæ vndecunque donatæ, siuè relictæ fuerint, Superiori horarum vigintiquatuor interuallo exhibeantur, qui illas statim Depositario committat, & inde tantum exhibitori ministrari iubeat, quantum rei conuenientis præsens necessitas videtur.

§. 27. Fratres omnes, etiam Superiores, & quomodocunque priuilegiati (ægrotis tantùm exceptis) in Refectorio cibum capiant, & communi mensa vtentes, communibus epulis vescantur.

§. 28. In primis autem, senum, & ægrotorum, necnon Prædicatorum, & Lectorum cura habeatur, ita vt nihil eorum necessitati, & commoditati desit.

§. 29. Omnes prædicti quocunque gradu, & honore sint, Camisijs laneis, & reliquo vestitu vniusmodi, eodèmq; honesto, & professioni cōuenienti; omni præterea supellectile, & instrumento pauperi, atque humili vtantur.

§. 30. Nullus priuatum hortum habeat; sed omnes omnibus domus sint communes; præterquam quoad Infirmariam, & Nouitios, qui hortum, siuè viridarium seiunctum habere possint, in quo ceteri nullatenus ingrediantur.

§. 31. Nouitij (etiam Oblati) ante decimum octauum ætatis suæ annum completum, non recipiantur, nec ante decimum nonum completum ad professionem admittantur. Qui hactenus recepti (etiam Oblati) decimumquintum annum nō compleuerint, dimisso habitu Religionis, domum ad parentes, & necessarios, etiam inuiti, remittantur, vel aliàs omninò emittantur; nec postea in ædibus, vnde exierint, aut in alijs eiusdem Ordinis domibus vllo modo debeant conuersari.

§. 32. Laici, qui vigesimumquintum annum non attigerunt, ad seruiendum non recipiantur, & qui recepti etiam nunc ea ætate iuniores sunt, eijciantur.

§. 33. Nouitij non admittantur, aut educentur, nisi in Conuentibus insignioribus, in quibus Dormitorium, & Capitulum habeant omninò separatum; cuius ingressus alijs Fratribus sit penitùs interdictus. In eisdem domibus sit vnus Magister ætatis prouectioris, moribus, & doctrina præditus, qui diligentem habeat prædictorum Nouitiorū curam, & illis præsit. Ipsi autem in Grammatica, cantu, cæremonijs, & ijs, quæ ad Christianam disciplinam faciunt, instruantur: Nec è loco Nouitiatus, nisi ad Ecclesiam, Refectorium, & ad publicas processiones, & interdiù ad aliquam honestam recreationem cum fida custodia exire debeant.

§. 34. In quaque domo sit vnum vestiarium commune, in quo omnia Fratrum omnium vestimenta conferantur, quæ vniusmodi sint, eadèmq; nulla exquisita arte laborata; sed simplicia, & honesta, ita vt nec vnum ab altero distinguatur. Cui

veſtiario, Cuſtos præficiatur, qui munditiæ, refectionis, & diſtributionis eorundem veſtimentorum curam gerat.

§. 35. In omni domo locus tutus cum armarijs, ſeù capſis habeatur, in quibus ſcripturæ, priuilegia, contractus, & omnia iura, ad domum pertinentia: itèmq; res pretioſæ eccleſiarum, etiam ſacræ, cum ſuo Inuentario, ſeù Repertorio authentico aſſeruentur: præter eas, quæ quotidiano ſunt eccleſiæ vſui neceſſariæ, quæ in Sacriſtia, & per Sacriſtam cuſtodiantur; ita tamen, vt res ſacræ à profanis diſtinguantur. Huius autem tres ſint claues, quarum vnam Prior, alteram Depoſitarius, tertiam Procurator Domus habeat. Simili quoque modo Inuentarium bonorum mobilium cuiuſque eccleſiæ, & domus, necnon immobilium, & quorumcunque iurium, ad Conuentum pertinentium, in forma probanti conſcribatur, deq; eo exemplum authenticum fiat duplicatum; vt alterum in propria domo remaneat, alterum verò in Archiuo inſignioris, ſeù Principalis domus eius Prouinciæ reponatur.

§. 36. In omni domo Infirmaria commodo loco conſtituatur pro Fratribus infirmis, cui ordinetur Infirmarius, per quem domus ipſa de illis omnibus, quæ ad animæ, & corporis Infirmorum ſalutem, commoda, & neceſſaria ſunt charitatiuè prouideatur.

§. 37. Poſtremò Prior cuiuſque domus præcipuam curam gerat, vt eccleſiæ in ſuis ſtructuris conſeruenuentur, & reparentur; mundæ præterea, & expurgatæ (vti decet) contineantur: vtq; illis de libris, vaſis, ornamentis, & alijs ad Altaris miniſterium, & diuinum cultum pertinentibus prouideatur, quæ pariter munda, & nitida conſeruentur.

§. 38. Res verò Sacriſtiæ cuiuſcuis generis ſint, nullo modo alienentur, nec pignori opponantur, nec vllo modo alicui accommodentur, ſed ſolùm propriæ eccleſiæ ſeruiant. Decernentes irritum, & inane quidquid ſecus per quoſcunque, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 39. Quocirca Priori Generali, ac omnibus Fratribus prædictis per Apoſtolica ſcripta mandamus, vt quiſque per ſe præſentes literas humiliter recipiant, & quæcunque in eis expreſſa, ac per eas ſtatuta, decreta, & mandata ſunt, alia deſuper à Nobis non expectata iuſſione, aut mentis noſtræ declaratione, firmiter cuſtodiant, & in omnibus ſtudiosè obedire procurent.

§. 40. Quin etiam eidem Priori Generali committimus, vt ipſe eaſdem præſentes in proximo, & deinceps in futuris Generalibus, & Prouincialibus, & frequenter in omnibus domibus publicè legere, ac eas, & quidquid pro earum executione, & obſeruatione in ipſo Capitulo generali, vel etiam extra illud ab ipſo, adhibitis (ſi ei videbitur) etiam aliquot ex alijs Prioribus, vel Diffinitoribus prædictis, quos duxerit eligendos, ſtatuetur, ordinabitur, & decernetur in omnibus Prioratibus, ac ab omnibus, & ſingulis Prioribus, Fratribus, & perſonis prædictis inuiolatè faciat per ſe, vel alium, ſeù alios obſeruari. Cõtradictores quoſlibet, ac etiã rebelles, & proteſtantes, & reclamantes, eiſq; auxilium, conſilium,

silium, vel fauorem publicè, vel occultè, directè, vel indirectè, quouis quæsito colore, vel ingenio præstantes, tàm ecclesiasticos, quàm laicos cuiuscunque dignitatis, gradus, ordinis, vel cõditionis fuerint, per sententias, censuras, & pœnas ecclesiasticas, ac etiam Prioratuum, dignitatum, & administrationum priuatorias, ceteràsq; iuris, & facti remedia oportuna (appellatione postposita) compescendo. Quin etiam contendentes prædictos in censuras, & pœnas suprascriptas incidisse declarando; inuocato etiam ad hoc (si opus fuerit) auxilio brachij secularis.

§.41. Non obstantibus nostris de non tollendo iure quæsito, & de annuali, ac triennali possessione, alijsq; constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon Ordinis prædicti iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, priuilegijs quoque, exemptionibus, & indultis Apostolicis, illi, eiùsq; Superioribus, & personis, & eorum singulis per quoscunque Romanos Pontifices prædecessores nostros, ac Nos, & Sedem Apostolicam, etiam per modum statuti perpetui initi, ac initi, & stipulati contractus, ac aliàs sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis clausulis, & decretis, in genere, & in specie concessis, confirmatis, ac etiam alijs reformationibus quotiescunque, ac quocunque tempore factis, & promulgatis, ac quibuslibet alijs indulgentijs, & literis Apostolicis specialibus, & generalibus quorumcunque tenorum existant, per quæ præsentibus non expressa, vel totaliter non inserta effectus earum, seù dictorum, Ordinariorum iurisdictio, seù executio impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus, quorùmq; totis tenoribus habenda sit in nostris literis mentio specialis. Quæ omnia contra earundem præsentium tenorem, nolumus cuiquam in aliquo suffragari.

§.42. Denique etiam volumus, quod ipsarum præsentium exempla, etiam impressa, & Capituli, vel Prioris Generalis, seù alterius personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ, aut eius Curiæ sigillo, & Secretarij cuiusuis eorum, vel Notarij publici manu obsignata, eandem illam prorsus fidem vbìque locorum in iudicio, & extra illud faciant, quàm ipsæ præsentes facerent, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

§.43. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ reuocationis, abolitionis, voluntatis, priuationis, amotionis, nunciationis, concessionis, mandati, præcepti, interdicti, declarationis, statuti, ordinationis, permissionis, decreti, & cõmissionis infringere, vel ei ausu temerario contraire: Siquis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorũ Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ Millesimo quingentesimo septuagesimo, tertio Calendas Maij, Pontificatus nostri anno quinto.

SIXTI QVARTI.

Constit. I.

Ex Bulla originali cum plumbeo sigillo, quæ asseruatur Romæ in Archiuo Ordinis. num. 1.

Summarium.

Constitutio de Quarta soluenda Callisti Tertij, reuocans priuilegium Bonifacij Octaui, & aliorum Pontificum, ad statum pristinum reducit, in quo erat antequam emanasset.

1471. *SIXTVS EPISCOPVS Seruus Seruorum Dei.*

Ad perpetuam rei memoriam.

§. 1. QVIA in futurorum euentibus sic humani fallitur incertitudo iudicij, vt quod coniectura probabili, & interdum attenta consideratione vtile, & ad pacem, & quietem tendere videbatur, reperiri damnosum, ac iurgijs, & dissensionibus plenum quādoque contingat, non debet irreprehensibile iudicari, si Romanus Pontifex, quæ à Prædecessoribus suis ex causis verisimiliter probabilibus sunt statuta, cognito quòd ex eis, dissensiones, & iurgia inter personas quaslibet, præsertim ecclesiasticas oriantur, ne noxæ grauiores, exitùsq; peiores inde prodeant, reuocat, & annullat, ac in statum pristinum reducit, prout in Domino conspicit salubriter expedire.

§. 2. Dudum siquidem postquàm fel. record. Bonifacius Papa Octauus prædecessor noster, nōnullis discordijs, quæ inter Prælatos, & parochialium ecclesiarum Rectores, & Ordinum Mendicantium Fratres, per diuersas mundi Prouincias cōstitutos, exortæ erant, sua, quæ incipit (Super cathedram) constitutione, finem imponere curauerat; fueràtq; constitutio prædicta per piæ memoriæ Clementem Papam Quintum etiam prædecessorem nostrum in Concilio Viennensi innouata, ac per piæ memoriæ Ioannem Papam Vigesimum secundum similiter prædecessorem nostrum, ad Eremitarum S. Augustini, & Beatæ Mariæ de Monte Carmelo Ordinum professores extensa. Nonnulli alij Romani Pontifices, etiam prædecessores nostri, vt omnem inter Fratres, & Prælatos, ac Rectores præfatos contentionis occasionem de medio submouerent, dictorum Mendicantium Ordinum professoribus tàm in genere, quàm in specie ex diuersis rationabilibus causis, varia priuilegia aduersus constitutionis prædictæ tenorem, & super illius declaratione, & interpretatione concesserunt.

§. 3. Et deinde piæ mem. Callisto Papa Tertio etiam prædecessore nostro, per nonnullos Episcopos, aliòsq; Superiores, Prælatos, necnon paro- *Callist. Tertius priuilegia reuocauit Mendicantium ad Parochorum instātiā*

parochialium ecclesiarum Rectores exposito, quòd aliqui dictorum Fratrum se specialiter, quæ ab ipsa Sede in eorum fauorem aduersus constitutionem eandem emanasse asserebant, priuilegiorum, concessionum, indultorum prætextu, ne ad dictæ constitutionis obseruationem compelli posse tuebantur, in eorundem conquerentium, & parochialium ecclesiarum præiudicium, & grauamẽ, variaq; propterea inter eosdem Prælatos, Rectores, & Sacerdotes, ac Fratres iurgia, contentiones, & scandala exorta erant, & oriebantur in dies, quibus obuiaretur, si cõstitutio prædicta obseruaretur.

§. 4. Et per eundem Callistum prædecessorem, accepto, quòd à nonnullis ex ipsis Prælatis, Rectoribus, Curatis, & Sacerdotibus contra tenorem præfatæ cõstitutionis dictis Fratribus graues iniuriæ, ac molestiæ inferebantur, idem Callistus prædecessor cupiens huiusmodi iurgijs, cõtentionibus, & scandalis obuiare, constitutionem, & illius innouationem, & extensionem prædictas iuxta illarum seriem, & continentiam in omnibus, & per omnia seruari debere statuit, & ordinauit: ac quæcũque priuilegia, concessiones, & indulta, si qua à quibusuis Romanis Pontificibus prædecessoribus suis aduersus constitutionem, & innouationem, ac declarationem prædictas, sub quacunque verborum forma, & cũ quibusuis irritantibus decretis, & talibus, quòd eis per quasuis alias literas Apostolicas, etiam facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de illorũ totali tenore mentionem, aut alijs similis effectus, vel maioris cautelæ derogatorijs clausulis qualitercunque derogari nequiret, siuè motu proprio, siuè quouis respectu pro quibusuis Ordinibus, seù eorum domibus, & locis in genere, vel in specie emanassent, illorũ vsus quantumcunque continuata possessione nullatenus obsistente, cassauit, reuocauit, & annullauit, ac decreuit, nullius esse roboris, vel momenti, prout in eisdem priuilegijs, & quibusdam literis ipsius Callisti prædecessoris super statuto, & reuocatione huiusmodi confectis, & libris Cancellariæ Apostolicæ, de illius mandato descriptis, pleniùs continetur.

§. 5. Cum autem sicut experientia efficax rerum magistra postmodùm monstrauit, & Nos ipsi tunc temporis in minoribus constituti dũ Generalatus Ordinis Fratrum Minorum fungebamur officio, vidimus, ex ipsius Callisti Prædecessoris literis, & priuilegiorum reuocatione, præter ipsius Callisti prædecessoris intentũ, quamplurima iurgia, lites, dissensiones, & scandala exorta, variæq; appellationes pro eorundem Fratrum parte ad Sedem Apostolicam interpositæ, & querelæ delatæ fuerint: ac propterea idem Prædecessor S. R. E. Vicecancellario, & in literarũ Apostolicarum expeditione sibi assistentibus Abbreuiatoribus, ne dictarum literarum copiam cuiquam traderẽt, inhibuerit: dubitetùrq; verisimiliter, quòd nisi literæ prædictæ Callisti prædecessoris præfati reuocentur, exinde in dies maiora sint scandala prouentura. *Callist° prohibuit dari copiã dictarũ literarũ*

§. 6. Nos quarumcunque causarum præmissorum occasione, & dependentium ab eisdem tàm in Romana Curia, quàm extra eam pendentium *Reuocatio const. Callisti, & reductio ad terminos iuris*

dentium coram quibuscunque Iudicibus tàm ordinarijs, quàm à Sede Apostolica, vel aliàs delegatis, in quacunque instantia, etiam appellationis, status, Iudicum, & colligantium nomina, & cognomina, dignitates, præsentibus pro expressis habentes, illàsq; ad Nos harum serie aduocantes, & litem penitùs extinguentes, ac volentes huiusmodi contentionibus, discordijs, & scandalis (quantum possumus) obuiare; Motu proprio, non ad ipsorum Fratrum, vel alterius pro eis Nobis super hoc oblatæ petitionis instantiã, sed de nostra mera liberalitate, eiusdẽ Callisti prædecessoris literas prædictas, & in eis contenta, priuilegiorum, concessionum, & indultorum huiusmodi reuocationem, & si quæ desuper ab alijs Prædecessoribus nostris, eiusdèmq; Callisti successoribus Romanis Pontificibus approbationes emanarunt, auctoritate Apostolica, præsentium tenore, & certa nostra scientia reuocamus, cassamus, irritamus, & annullamus, & de libris, ac Regestis quibuslibet deleri mandamus, ac priuilegia, concessiones, & indulta prædicta, illa omnia qualiacunque sint, ac si de verbo ad verbum insererẽtur præsentibus pro expressis habentes, in suos plenum, & pristinum robur, necnon præfatos Fratres Mendicantes, quibus concessa sunt in genere, & in specie, quoad illorum totalem in præteritis, præsentibus, & futuris negotijs consequendum effectum, in pristinum eum statum, in quo videlicet erant antequàm literæ Callisti, & reuocatio huiusmodi quomodolibet emanarent, plenariè restituimus, reponimus, & reintegramus. Decernentes ea omnia in suis prioribus viribus & efficacia fore, & effectum, etiã quoad præterita, etiam pro appellatione pẽdentia negotia, sortiri debere in omnibus, & per omnia perinde, ac si præfatæ literæ Callisti prædecessoris, & in illis contenta reuocatio prædicta nullatenus emanassent: Necnon irritum, & inane si secus super his à quoquam, quauis auctoritate, scienter, vel ignoranter contra illa attentatum forsan est hactenus, vel inposterum contigerit attentari.

Priuilegia Mẽdicãtiũ confirmãtur, & reducuntur ad statũ, ĩ quo erãt ante cõstit. Callisti.

§. 7. Et nihilominus Venerabilibus Fratribus nostris Bessarioni Sabinensi Minorum, & Guilelmo Ostiẽsi Eremitarum S. Augustini, & Beatæ Mariæ de Monte Carmelo, ac Alano Prænestiñ Prædicatorum Episcopis, Ordinum prædictorum nunc, & pro tempore existentibus Protectoribus in Romana Curia S. R. E. Cardinalibus per Apostolica scripta mandamus; quatenus quilibet eorum per se, vel per alium, seù alios, præmissa vbi, & quando opus fuerit, ipsique desuper fuerint requisiti, solemniter publicans, & Ordini suæ protectioni commisso, ac illius professoribus in præmissis efficacis defensionis præsidio assistens, faciat, eos pacifica possessione, vel quasi exemptionum, & priuilegiorum prædictorum gaudere: non permittens, eos contra illorum, aut cuiuslibet eorum tenorem per locorũ Ordinarios, & parochialium ecclesiarum Rectores, ac quoscunque alios indebitè molestari. Contradictores per censuram ecclesiasticam (appellatione postposita) compescendo, ac legitimis super his habendis seruatis processibus, eos (quoties opus fuerit) iteratis vicibus aggrauare procuret; inuocato ad hoc

hoc (si opus fuerit) auxilio brachij secularis.

§. 8. Non obstantibus piæ mem. Bonifacij Papæ Octaui, etiam prædecessoris nostri, ac alijs Apostolicis constitutionibus, quibus cauetur, ne quis extra suam Ciuitatem, & Diœcesim, nisi in certis exceptis casibus, & in illis vltra vnam dietam ad iudicium euocetur, seù ne Iudices à Sede Apostolica deputati fuerint contra quoscunque procedere, aut alij, vel alijs vices suas committere præsumant, & duabus dietis in Concilio generali; ac alijs Apostolicis constitutionibus contrarijs quibuscunque: seù si locorum Ordinarijs, & parochialium ecclesiarum Rectoribus, vel quibuscunque alijs cōmuniter, vel diuisim à Sede præfata indultum existat, quòd interdici, suspendi, vel excommunicari, aut vltra, vel extra certa loca ad iudiciū euocari non possint per literas Apostolicas, non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem; & qualibet alia dictæ Sedis indulgentia generali, vel speciali cuiuscunque tenoris existant, per quam præsentibus non expressam, vel totaliter non insertam, huiusmodi dictis Protectoribus factæ commissionis explicatio impediri possit quomodolibet, vel differri; & de qua, cuiusque toto tenore habenda sit in nostris literis mentio specialis.

§. 9. Nulli ergo omninò hominū liceat hanc paginam nostræ aduocationis, extenuationis, voluntatis, reuocationis, cassationis, irritationis, annullationis, mandati, restitutionis, repositionis, reintegrationis, & decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire: Siquis autem hoc attentare præsumpserit, indignationē Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum.

Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ, Millesimo quadringentesimo septuagesimo primo, septimo Idus Decembris, Pontificatus nostri anno primo.

Constit. II.

Ex Transumpto publico Illustrissimi, & Reuerendissimi D. Cardinalis Cornelij S.R.E. Camerarij Romæ asseruato in Archiuo Ordinis. num. 2.

Summarium.

Prohibentur altercationes inter Canonicos Regulares, & Fratres Eremitas super habitum, & imaginem Sancti Augustini.

SIXTVS EPISCOPVS 1484.
Seruus Seruorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. 1. QVi Apostolis præcepit, vt se inuicem diligerēt, sine dilectione mutua bonū aliquod perfectum esse non posse demonstrauit; in illa enim consistit omnis benè viuendi ratio, & operatio, si odia transeunt in dilectionem, si inimicitiæ conuertantur in pacem, si tranquillitas extinguat iram, si mansuetudo remittat vincendi cupiditatem; sed hostis antiqui versutia, vbi maioris charitatis feruorem esse cōspicit, ibi sagaciùs vires suas intendit, vt fidelibus Christi famulis per diuerticula, & superfluas contentiones abstractis, de sua sagacitate lætetur: Cuius conatibus obuiare, &

mutuam

mutuam charitatem, & pacis dulcedinem inter fideles quosque, præsertim sub eadem vocatione, & suaui Religionis iugo Deo militantes enutritæ, ac discordiarum fomenta, & inanes contentiones, quæ nihil ad rem pertinent, nec ædificant, sed destruunt, falce vigilantiæ pastoralis ad radicem posita euellere, & extirpare totis conatibus insudamus, ne debile simplicitatis initium, per longam altercationem ad inextricabiles prorumpat errores, qui postmodum difficiliùs valeant emendari.

§. 2. Sanè non sinè mentis nostræ displicentia singulari pluries iãdudum ad nostrum peruenit auditum, quòd inter dilectos filios Canonicos Regulares Ordinis S. Augustini Congregationis Lateranensis, & Fratres Ordinis Eremitarum eiusdem Beati Augustini quædam minùs necessaria, minùsq; laudabilis controuersia pullulare cœpit de ipsius præclarissimi Ecclesiæ Doctoris Augustini habitu, ac de pictura, & Ordinum huiusmodi institutione, parte qualibet diuersimodè sentiente, ac prædicante, nec veriti sunt libros super huiusmodi leuitatibus cõponere, eosq; legere, & alijs legendos tradere non sinè scandalo, & perturbatione mentium legentium, & aliorum Christifidelium, & per ineptias huiusmodi, quos Deo lucrifacere deberent, perdere festinant.

Controuersia de habitu, & pictura imaginis S. Augustini.

§. 3. Nos attendentes, quòd clarissimum Ecclesiæ lumen Augustinum, præter Episcopalis dignitatis habitum, alium gestasse, aut professioni alienæ se subiecisse, aut affirmare, aut negare ad rem non pertinet, nisi quantum contentio superuacanea aucupari nititur, ac tam enorme facinus, & periculosas contentiones de medio tollere penitus, & extirpare volentes; Motu proprio, non ad alicuius Nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed de nostra scientia, & mera liberalitate, à voluntate tàm Canonicis Regularibus dictæ Congregationis, quàm omnibus, & singulis Fratribus Ordinis Eremitarum S. Augustini quibuscũque nominibus censeantur, & quacunque præfulgeant dignitate in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, quam in singulas tàm Fratrum Eremitarum, quàm Canonicorum prædictorum personas contrafacientes ferimus in his scriptis, à qua absolui nequeant, & quilibet ipsorum absolui nequeat nisi à Nobis, vel successoribus Romanis Pontificibus canonicè intrantibus, seù in mortis articulo constituti, auctoritate Apostolica tenore præsentium inhibemus, atque districtè præcipiendo mandamus, quatenus à contentionibus, ac de Beati Augustini assertionum huiusmodi periclitationum disputationibus, iurgijs, & controuersijs penitùs abstineant, nec eis de cetero mẽtionem faciant, & se mutua charitate in Christo Iesu Domino Nostro diligant, & mutuò venerantes, & ea, quæ decorem, & venustatem ambarum partium concernunt alternatim asserentium, & ea, quæ ædificãt, & instruunt, & ad salutem animarũ Christifideliũ prosunt populis prædicanda, omissis, & penitùs reiectis vanis assertionibus, & altercationibus, vt Ordo à Beato Augustino datus, qui idem est in omnibus, licèt instituta particularia aliqualiter differant, non diuisus, non fatiosus, nõ conta-

An præter habitũ Episcopalem D. Augustinus aliũ gestauerit, vel non gestauerit disputatio prohibetur sub pœna excommunicationis.

Excommunicatio reseruata Papæ.

contaminatus; ſed vnicus, pacificus, integer, & immaculatus, prout eſt, & eſſe debet, etiam ab omnibus cenſeatur.

§. 4. Propterea vt cenſura eccleſiaſtica ab omnibus formidetur, præter Canonicos Regulares, & Fratres Eremitarũ huiuſmodi, eos inſuper, qui eiſdem Canonicis, & Fratribus dederint in præmiſſis auxilium, conſilium, & fauorem publicè, vel occultè, directè, vel indirectè, quouis quæſito colore, ſententias, cenſuras, & pœnas ſupradictas incurrere volumus eo ipſo, niſi poſtquàm de præſentibus notitiam habuerint, à præſtatione auxilij, conſilij, & fauoris deſtiterint.

§. 5. Et nihilominus eorundem Canonicorum Regularium, & Fratrum Eremitarum modernis, & pro tempore exiſtentibus Rectori, & Generali, & eorum Capitulo generali, ſub ſimilibus pœnis iniungimus, vt præſentes literas in eorum monaſterijs, clauſtris, & Capitulis, dum maior Canonicorum, & Fratrũ Eremitarum prædictorum multitudo conuenerit, ſemel, bis, ter, & pluries ſolemniter publicent, & interpretẽtur, ita quod ab omnibus, etiam Grammaticæ ignaris planè intelligi valeant; & harum literarum tranſumptum, ſeù copiã ad vnumquodque monaſterium Canonicorum, & Fratrum Eremitarũ huiuſmodi tranſmittant. Quod ſi ſecus egerint, & mandatis Apoſtolicis non paruerint (quod abſit,) ex nunc, prout ex tunc, & ex tunc, prout ex nunc excommunicationis latæ ſentẽtiæ anathematis, & maledictionis æternæ pœnas prædictas eos, & ſingulares perſonas ex eis incurriſſe, illìsq; irritos etiam motu, auctoritate, & ſciẽtia prædictis decernimus, & declaramus, & pro talibus ab omnibus reputari volumus, & mandamus, donec, & quouſque Sedes Apoſtolica ſuper contentione huiuſmodi aliud duxerit determinandum.

§. 6. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon priuilegijs, indultis, & literis Apoſtolicis, tàm Canonicis Regularibus, quàm Fratribus Eremitarum S. Auguſtini in genere, vel in ſpecie ſub quibuſuis formis, & verborum expreſſione conceſſis; etſi in eis caueatur expreſsè, quòd Canonici, & Fratres prædicti, ac ſingulares perſonæ ex eis, aut eorum loca interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint; niſi de eis, eorùmq; totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, & expreſſa, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio fiat; & aliàs per literas Apoſtolicas, non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de priuilegijs, & indultis huiuſmodi mentionem. Quibus omnibus, illorum tenores, ac ſi de verbo ad verbum insererẽtur præſentibus, pro expreſſis, & ſpecificatis habentes, quoad hoc, vt præſentes literæ ſortiantur effectum, (illis tamen aliàs in ſuo robore permanſuris) motu, auctoritate, & ſcientia prædictis ſpecialiter, & expreſsè derogamus, & pro nullis, & infectis (quoad hoc tantùm) haberi volumus; necnon Ordinis, & inſtitutorum prædictorum ſtatutis, & conſuetudinibus, etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quacunque firmitate alia roboratis, ceterìsq; contrarijs quibuſcunque.

§. 7. Nulli ergo omninò hominum

num liceat hanc paginam nostræ inhibitionis, voluntatis, iniunctionis, constitutionis, declarationis, mandati, & derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire: Siquis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ Millesimo quadringentesimo octuagesimoquarto, quinto Idus Maij, Pontificatus nostri anno decimotertio.

Constit. III.

Ex literis originalibus Raphaelis Cardinalis S. Georgij Ordinis nostri Protectoris, quæ asseruantur Romæ in Archiuo Ordinis. num. 3.

Summarium.

Viuæ vocis oraculum, quo declaratur Bulla secunda Sixti Quarti.

148. *RAPHAEL MISERATIONE DIVINA S. Georgij ad Velum aureum S. R. E. Diaconus Cardinalis, Domini Papæ Camerarius, Ordinis Fratrum Eremitarum S. Augustini Protector, omnibus, ad quos præsentes literæ peruenerint Salutem in Domino.*

§. 1. Cura, & officium nostræ protectionis exposcit, vt his, quæ bonum statum, promotionem, & augmentum dicti Ordinis concernunt, & præcipuè quæ ad cōscientiarum securitatem pertinere videntur, pro posse inuigilemus.

§. 2. Quapropter cum omni humilitate, & deuotione instātia à R.P. Magistro Anselmo de Montefalco Sacræ Theologiæ Doctore, eiusdémque Ordinis prædicti Priore Generali requisiti, vt à S. D. N. gratiā super quibusdam, ipsi Ordini opportunis, obtineremus; videlicet super moderatione, declaratione, ac dispensatione, & suspensione quarundam literarum Apostolicarū fel. rec. Domini Sixti Papæ Quarti, contra, seù inter prædictum Ordinem Fratrum Eremitarum S. Augustini, & Canonicos Regulares Cōgregationis Lateranensis. Item super concessione plenariæ, seù Generalatus officij auctoritatis, & liberè super omnes Fratres Ordinis prædicti Eremitarum, non obstantibus quibuscunque exemptionibus, indultis, & priuilegijs Apostolicis. Item super dispensatione ætatis Fratrum prædictorum, qui promouendi fuerint ad sacros Ordines, & præcipuè ad Sacerdotium ab ipso inquā Generali. Super quibus viuæ vocis oraculo, vt secundùm nostram conscientiam, & voluntatem prouideremus, dispensaremus, suspenderemus, declararemus, concerneremus, & concederemus, habuimus, & obtinuimus. Harum igitur serie literarum prædicta facultate Nobis concessa, sic omnia prædicta determinamus.

§. 3. Et primò circa Bullam fel. rec. Sixti Papæ Quarti inter Canonicos Congregationis Lateranensis, & Fratres Ordinis Eremitarum S. Augustini; absoluimus omnes, quicunque, & quomodocunque occasione dictarum Bullarum censuram aliquā incurrerint, & absolutos esse declaramus, ac dispensamus super omni irregularitate, & pœna incursa per eosdem Fratres prædicta occasione, & reintegramus eos, ac denuò instituimus (quatenus opus sit) tàm Præ-

Absoluuntur tàm Canonici, quàm Fratres Eremitani pro transgressione Bullæ Sixti Quarti.

Prælatos, quàm subditos, etiam Vicarium, Rectorem, & Priorem Generalem in omnem integritatẽ sui officij, & statum, & omnium per ipsum, & per eos gestorum; & concedimus omnibus, & singulis supradictis ad maiorem conscientiæ securitatem, facultatem sibi eligendi Confessorẽ idoneum, à quo possit absolui, dispensari, & redintegrari, & de nouo institui.

§. 4. Declarantes tamen auctoritate prædicta, quòd prohibitio in præfatis Apostolicis literis contenta, solùm se extendat ad negantes, seù contradicentes de institutione Religionis, seù de habitu Canonicorum Regularium prædictorum, ac contra eos publicè disputantes, & prædicãtes; non autem ad asserentes, & affirmãtes de institutione habitus prædictorum Fratrum Eremitarum; nec de eiusdem habitus eisdem, & Ordini prædicto per eundem Beatum Augustinum concessione; ac quòd eodem habitu Eremitarum prædictorũ ipse Beatus Augustinus indutus, & vsus fuerit, & quòd cum ipso eodem habitu per eosdem Fratres Ordinis Eremitarum depingi fiat, aut depingatur. Nec contra mentionem facientes ex eisdem Fratribus, seù loquentes, aut disputantes, seù priuatè prædicantes in locis, & Conuentibus eiusdem Ordinis Eremitarum, & inter seipsos ratiocinantes, & conferẽtes quibuscunque alijs personis, cum quibus colloqui, & ratiocinari, ac etiã disputare, aut respondere non publicè, sed priuatè contigerit: & quòd possint publicè, & priuatè respondere, & se defendere in iudicio, & extra iudicium: & quòd libri, ac tractatus per eosdem Fratres Ordinis Eremitarum, & pro eorum parte, & defensione contra eosdem Canonicos Regulares, & eorũ libros, & tractatus, & quorumcunque aliorum pro eis hactenus super hac materia confecti, & publicati, in suo etiã robore permaneant, ac liberè scribi, vendi, retineri, & vti, ac largiri per eosdẽ Fratres Ordinis Eremitarum possint.

§. 5. Et insuper dispẽsamus, quòd dictus Prior Generalis non teneatur legere, nec declarare dictas literas apostolicas in omnibus monasterijs, nec in Capitulis, sed ad suum beneplacitum, & commodum, quando, & quoties, & vbi commodè poterit, & sibi placuerit, & quòd possit totum facere per alium, vel alios; & quòd sufficiat mittere simplices copias, non transumpta authentica.

§. 6. Et nihilominus si, ipse Generalis omiserit seruare præceptũ dictæ Bullæ de lectione, & interpretatione dictarum Bullarum, nulla censura teneatur; nisi fortè (quod absit) expresè in contemptum, & per malignitatem seruare contempserit. Et generaliter ipse Prior Generalis nulla censura dictæ Bullæ ligetur, nisi (vt dictum est) expresè per contemptũ, & malignitatem fuerit præuaricatus: & quòd absolutio omnium delinquentium contra dictam Bullam, & similiter dispensatio quæcunque facienda emerserit, per ipsum Generalẽ, vel per Deputatos per ipsum Generalem, seù eius Cõmissarios valeat exhiberi, nec vlla excommunicatio dictæ Bullæ sit reseruata Pontifici.

§. 7. Præterea, vt securitati conscientiarum, & libertati officij Generalatus prouideamus; volumus, quòd in omnes, & singulos Fratres dicti Ordinis Fratrum Eremitarum, & in

omnes Prouincias, & Congregationes, & Vicariatus, siuè fuerint de obseruantia, siuè non, & quibuscunque nominibus censeantur, volumus inquam, quòd ipse Generalis Frater Anselmus, qui nunc est, non autem eius successores, in omnibus, & per omnia liberam, & plenariam exercere valeat ordinariã sui officij auctoritatem, & facultatem. Non obstantibus quibuscunque priuilegijs, & exẽptionibus apostolicis, aut consuetudinibus, aut conuentionibus . . . . Protectorum, vel Generalium dicti . . . . . non obstantibus quibuscunque in contrarium facientibus. Quibus omnibus per præsentes derogatum esse volumus per supradictam auctoritatem Nobis à Pontifice concessam.

§. 8. ..... prædicto Generali pro se . . . . Generalatus officio permanserit, vt possit cum eisdem Fratribus sui Ordinis ad Sacerdotalem Ordinem postquàm vigesimũ & secundum annum attigerint ætatis suscipiendi, & ad . . . seù citrà debitum ætatis tempus per ... secundũ eius discretionem, suam conscientiam onerantes, dispensare liceat.

§. 9. Non obstantibus Domini Sixti Papæ Quarti apostolicis literis prædictis, alijsq; priuilegijs, ordinationibus, exemptionibus, cõcessionibus, derogationibus, & indultis apostolicis, sub quibusuis formis, censuris, & pœnis; ac tenoribus, Prouincijs, seù Congregationibus, aut Fratribus prædicti Ordinis Eremitarum S. Augustini quomodolibet in genere, vel in specie, quæ ac si de verbo ad verbum exprimi deberent, reseruatis, & concessis pro expressis habeantur; iuribus, ac legibus in contrarium facientibus quibuscunque, auctoritate prædicta concedimus.

In quorum omnium, & singulorũ fidem, & testimonium præmissorum, præsentes nostras literas fieri, & per infrascriptum Secretarium nostrum subscribi, nostrìq; sigilli fecimus appensione muniri; & ad maiorem roboris firmitatem, nostra propria manu subscribere voluimus.

Datum Romæ in ædibus nostris apud S. Laurentium in Damaso, die penultima Martij, Millesimo quadringentesimo octuagesimo tertio, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, & D.N. D. Innocentij diuina prouidentia Papæ Octaui, anno . .

R. Card. S. Georgij D.N. Papæ Camerarius.

Gispertus Senilis de Montefalco.

Constit. IV.

Ex Bulla originali Romæ asseruata in Cancellaria S. Augustini de Vrbe, cum sigillo plumbeo.

Summarium.

Prioratus ecclesiæ S. Matthæi in Merulana, Fratri Paulo minori Pœnitentiario concessus, Sacristiæ S. Augustini de Vrbe perpetuò vnitur.

SIXTVS EPISCOPVS 1477.
Seruus Seruorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. 1. ETsi Romanus Pontifex vt in singulis ecclesijs, & pijs locis cultus diuinus honorificè exerceatur, attendere consueuerit, ecclesijs tamen, & locis ecclesiasticis, vbi viget obseruantia regularis, & ad quas Christifidelium multi-

multitudo dietim pro diuinis audiédis confluit, per amplius intuitum, vt cum laudũ præconijs, & decentibus ornatibus inibi maiestas Altissimi veneretur, & personæ inibi Deo dedicatæ congruam vitæ, & necessariorum sustentationem suscipere valeat, conuertere debet.

§. 2. Cum itaque hodie dilectus filius Paulus de Vrbe Ordinis Fratrũ Eremitarum S. Augustini, & Theologiæ professor, ac in Basilica Principis Apostolorum de Vrbe vnus ex minoribus Pœnitentiarijs Capellanus noster, qui Prioratum Sancti Matthæi etiã de Vrbe Ordinis Cruciferorum ex concessione Apostolica in commendam obtinebat, eidem commendæ in manibus nostris spõtè cesserit, Nósq; cessionem ipsam duxerimus admittendam; & cessante commenda huiusmodi, Prioratus ipse adhuc eo, quo vltimo ante commendam huiusmodi vacauerat, modo vacare noscatur; & sicut exhibita Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Prioris, & Fratrum domus S. Augustini etiam de Vrbe petitio continebat, si Prioratus huiusmodi Sacristiæ dictæ domus perpetuò vniretur, annecteretur, & incorporaretur, profectò cultus diuinus in ecclesijs domus, & Prioratus huiusmodi cum luminaribus, paramentis, & alijs ad ipsum cultum pertinentibus decenter exerceretur, & Fratres domus prædictæ in eorum sustentatione aliquod reciperent releuamen. Quare pro parte dilectorum Prioris, & Fratrum asserentium, quòd fructus, redditus, & prouentus dicti Prioratus vigintiquinque florenorũ auri de Camera secundùm communẽ æstimationem valorem annuum non excedunt, Nobis fuit humiliter supplicatum, vt Prioratum prædictum Ordine Cruciferorum, & Prioratus nomine inibi suppressis, & penitùs extinctis, dictæ Sacristiæ perpetuò vnire, annectere, & incorporare, & aliàs eisdem Priori, & Fratribus in præmissis oportunè prouidere de benignitate Apostolica dignaremur.

Vnio Priorat. S. Matthæi in Merulana Cõuẽtui S. Augustini de Vrbe.

§. 3. Nos, qui dudum inter alia voluimus, quòd petentes beneficiã ecclesiastica alijs vniri, tenerentur exprimere verum valorẽ beneficij, cui aliud vniri peteretur, & semper in vnionibus commissio fieret ad partes, vocatis quorũ interest, prædictũ Ordinem Cruciferorum, & Prioratum inibi penitùs supprimentes, & extinguentes, eundem Prioratum S. Matthæi, qui Conuentualis, aut dignitas non est, & cui cura non imminet animarum quouis modo, aut ex cuiuscunque persona, seù per liberã resignationem alicuius de illo extra Romanam Curiam, etiam corã Notario publico, & testibus spontè factam vacet, etiamsi tanto tempore vacauerit, quòd eius collatio iuxta Lateranensis statuta Concilij ad Sedem Apostolicam legitimè deuoluta, ipsèq; Prioratus S. Matthæi dispositioni Apostolicæ specialiter reseruatus existat; & super eo inter aliquos lis, cuius statum præsentibus haberi volumus pro expresso, pendeat indecisa, dummodò tempore Dat. præsentium non sit in eo alicui specialiter ius quæsitum, cum omnibus iuribus, & pertinentijs suis dictæ Sacristiæ auctoritate Apostolica tenore præsentium perpetuò vnimus, annectimus, & incorporamus. Ita quòd ex nunc liceat eisdem Priori, & Fratribus per se, vel alium, seù alios

possessionem dicti Prioratus S. Matthæi apprehendere, & perpetuò retinere, ipsiúsq; fructus, redditus, & prouentus in suos, ac dictorum Sacristiæ domus, & Prioratus vsus, & vtilitatem conuertere, & perpetuò retinere; Diœcesani loci, & cuiusuis alterius licentia super hoc minimè requisita.

§. 4. Non obstantibus piæ mem. Bonifacij Papæ Octaui prædecessoris nostri, & alijs constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac statutis, & consuetudinibus domus, Prioratus, & Ordinum prædictorum, etiã iuramento, confirmatione Apostolica, vel quacunque alia firmitate roboratis contrarijs quibuscunque. Aut si aliqui super prouisionibus sibi faciendis de Prioratus huiusmodi speciales, vel alijs beneficijs ecclesiasticis generales dictæ Sedis, vel Legatorum eius literas impetrarint, etiam si per eas ad inhibitionem, reseruationem, & decretum, vel aliàs quomodolibet sit processum. Quas quidem literas, & processus, habitos per easdem, & inde secuta quæcunque ad huiusmodi Prioratum S. Matthæi volumus non extendi; sed nullũ per hoc eis quoad assecutionem beneficiorum aliorum, præiudicium generari, & quibuslibet alijs priuilegijs, indulgẽtijs, & literis Apostolicis generalibus, vel specialibus, quorumcunque tenorum existant, per quæ præsentibus non expressa, vel totaliter non inserta, effectus earum impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus, quorùmq; totis tenoribus de verbo ad verbum habenda sit in nostris literis mentio specialis.

§. 5. Volumus autem, quòd propter vnionem, annexionem, & incorporationem prædictas dictus Prioratus S. Matthæi debitis propterea nõ fraudetur obsequijs, sed illius cõgruè supportentur onera consueta. Et insuper ex nunc irritum decernimus, & inane si secus super ijs à quoquã, quauis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 6. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ vnionis, annexionis, incorporationis, & decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire: Siquis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ Millesimo quadringẽtesimo septuagesimoseptimo, Pridie Idus Augusti, Pontificatus nostri anno sexto.

Constit. V.

Ex Transumpto authentico, quod asseruatur Romæ in Archiuo S. Mariæ de Populo, & habetur in libro Compendij Priuilegiorum Ordinis. pag. 26.

Summarium.

Diploma Maris Magni Innocentij Quarti, & aliorum Pontificum priuilegia ampliata, & confirmata.

SIXTVS EPISCOPVS 1474.
Seruus Seruorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. 1. DVm fructus vberes, quos sacer Ordo Eremitarũ S. Augustini in agro militantis Ecclesiæ in propagatione Religionis, & fidei orthodoxæ hactenus produxit vtili-

vtiliter, & producit, ac in futurum productum fore indubitanter speramus, diligenter attendimus: dignum censemus, & debitum, Nos ad illa nostros debere dirigere cogitatus, per quæ ea, quæ pro diuini cultus, & dicti Ordinis incremento, animarùmq; salute à Romanis Pōtificibus prædecessoribus nostris sublatis ambiguitatibus, quæ exinde emersisse noscuntur, in sua integritate persistant, & tanto firmiùs obseruentur, quanto erunt sæpiùs Sedis Apostolicæ munimine stabilita.

§. 2. Dudum siquidem à fel. rec. Nicolao Papa Quinto prædecessore nostro emanarunt literæ tenoris subsequentis. Nicolaus Episcopus Seruus Seruorū Dei. Dilectis filijs Generali, Prouincialibusq; Prioribus, & Fratribus Ordinis Eremitarū S. Augustini Salutem, & Apostolicam benedictionem. Syncerae deuotionis affectus, quem ad Nos, & Romanam geritis Ecclesiam promeretur, vt petitionibus vestris (in ijs præsertim, quæ commodum, & vtilitatem Ordinis vestri concernunt) quantum cum Deo possumus fauorabiliter annuamus. Nuper siquidem pro parte vestra fuit humiliter supplicatum, vt quasdam literas per fel. rec. Bonifacium Octauum, Vrbanum Sextum, Alexandrum Quartum, Martinum Quintum, & Eugenium Quartum Romanos Pontifices prædecessores nostros, vobis, & Ordini vestro concessas, quæ incipiunt vetustate consumi, & quas singulas difficile esset ad diuersa loca (pro diuersis incumbentibus vobis negotijs) destinare, confirmare ex certa scientia, & cum illorum insertione approbare, & innouare de benignitate Apostolica dignaremur. Quarum quidem literarum tenores sunt tales.

§. 3. Bonifacius Episcopus Seruus Seruorum Dei. Dilectis filijs Generali, & Prouincialibus Prioribus Fratrum Eremitarum Ordinis S. Augustini præsentibus, & futuris salutem, & Apostolicam benedictionē. Inter solicitudines nostras illa debet esse, vt super Dominicum gregem commissum Nobis obseruemus vigilias, indefessam exerceamus curā, & exactam diligentiam apponamus, ne illum lupus rapax inuadat, & eius sanguis (secundùm Prophetā) quod absit, de nostris manibus requiratur. Hoc autem benè fit, si oleo dulcedinis verbi Dei foueantur subditi, increpationis vino peccatorum suorū mordeantur vulnera, & pœnitentiæ acrimonia purgata tegantur. Ad id verò exequendum scientia diuinæ legis exposcitur, desideratur ordo, & vitæ integritas flagitatur. Scriptum est enim, Tu scientiā repulisti, & ego te repellam, ne Sacerdotio fungaris mihi, quia labia Sacerdotis custodiūt scientiam, & legem requirunt ex ore eius. Aliàs, prout ad eum pertinet, inter lepram, & lepram non posset discernere, nec peccator existens, Dei deberet narrare iustitias, & testamentum illius assumere per os suū; nam cuius vita despicitur, consequēs est, vt eius prædicatio contemnatur. Quapropter, vt ipsi gregi eadem cura vestra eo plenior impendatur, quo plures operarij in agro Domini fuerint constituti; vesterq; Ordo, qui Sacerdotibus abundat, & in suis Fratribus viget scientia, & vitæ synceritate per Dei gratiam pollet, in eodem agro fructus vberes ferat.

Hęc eadē const. habetur supra Bonif. viij. const. 9.

§. 4. Tibi fili Prior Generalis per

te, vobis verò Prouinciales Priores in Prouincialibus vestris Capitulis cũ Diffinitoribus ipsorum Capitulorũ Fratribus eiusdem vestri Ordinis sacerdotibus, in sacra pagina eruditis, examinatis, & approbatis à vobis, prædicationis, & tàm ipsis, quàm alijs Fratribus dicti Ordinis ad id idoneis, audiendi confessiones, absoluendi pœnitentes, iniungendi eis pœnitentias salutares, officia, auctoritate Apostolica committendi: Eisdem quoque Fratribus, quibus dicta officia per vos taliter commissa fuerint, quòd illa liberè valeant exercere, plenam tenore præsentium damus, & concedimus facultatem. Districtius inhibentes, ne quis Fratres ipsius Ordinis, quibus dicta officia taliter committenda duxeritis, in executione officiorum ipsorum audeat quomodolibet impedire.

Approbatio Cõfessorũ, & Prædicatorum.

§. 5. Ad hæc, sepulturam in ecclesijs, & locis vestris liberam esse censemus, vt eorum deuotioni, & extremæ voluntati, qui se illic sepeliri deliberauerint (nisi excommunicati, vel interdicti, aut etiam publicè vsurarij fuerint) nullus obsistat. Statuentes, vt nulli Religiosi, vel seculares (vobis inuitis) aliquorum corpora Defunctorum in vestris cœmeterijs sepelire, aut in ecclesijs vestris Missarum solemnia, vel pro animabus eorum, qui ad loca vestra tumulandi ferentur, ibìdem exequias celebrare, sine vestro assensu, & voluntate, præsumant.

Sepultura libera.

§. 6. Ceterùm Constitutionem nostram, quam super prædicationibus faciendis, confessionibus audiẽdis, iniungendis pœnitentijs, absolutionibus impendendis, sepultura, & quarta portione obuentionum, tàm funeralium, quàm relictorum, datorum, & donatorum, in personis Fratrum Prædicatorum, & Minorũ Ordinum olim edidimus, in vobis, & vestri Ordinis Fratribus per omnia volumus integraliter, & inconcussè seruari. Ita quòd considerata personarum, quas ad id habueritis idoneas, & Cleri, & populi quantitate, eorum, quos ad huiusmodi audiẽdarum confessionum officium eligetis, metiamini numerum, vos infra modum congruum continentes, & nunquam in aliquo excedentes, vt sic moderatione seruata, nec alios, quibus hoc per eandem Constitutionẽ nostram concessimus, ad inuidiam, vel scandalum; nec locorũ Episcopos, quibus à vobis electos præsentare debetis, ad repulsam prouocetis ipsorum. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ dationis, concessionis, inhibitionis, cõstitutionis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire: Siquis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Laterani, decimoseptimo Calendas Februarij, Pontificatus nostri anno octauo.

Cõmunicatio priuilegiorũ Prædicatorum, & Minorum.

Numerus congruus cõfessorũ.

§. 7. Vrbanus Episcopus Seruus Seruorum Dei. Dilectis filijs Priori Generali, & Fratribus Ordinis Eremitarum S. Augustini Salutem, & Apostolicam benedictionem. Solet annuere Sedes Apostolica pijs votis, & honestis iuxta petentium desiderijs fauorem beniuolum impertiri. Eapropter dilecti in Domino filij vestris iustis postulationibus grato cõcurrentes assensu, omnes libertates, & immunitates, à prædecessoribus nostris

Hæc cõstit. habetur infra Vrbani vj. vnica.

nostris Romanis Pontificibus, siuè per priuilegia, vel per alias indulgentias, vobis, & Ordini vestro concessas; necnon libertates, & exemptiones secularium exactionum, à Regibus, & Principibus, seù alijs Christifidelibus rationabiliter vobis, & Ordini prædicto indultas; sicut ea iustè, & pacificè obtinetis, vobis, & per vos eidem Ordini auctoritate Apostolica confirmamus, ac præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis, & communitionis infringere, vel ei ausu temerario contraire: Siquis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Perusij, Pridie Calẽdas Maij, Pontificatus nostri anno vndecimo.

Hæc cõstitutio habetur sup. Alexan. iv. const. 1.

§. 8. Alexander Episcopus Seruus Seruorũ Dei. Dilectis filijs Generali, & vniuersis Prioribus, & Fratribus Eremitarum S. Augustini Salutem, & Apostolicam benedictionem. Quanto studiosiùs diuinæ cõtemplationi vacatis, Domino famulando, tanto quieti vestræ libentiùs prouidemus. Cum igitur sicut pro parte vestra fuit propositum coram Nobis, nonnulli vestri grauaminis auidi, frequenter super pensionibus, ac exactionibus indebitis, vos, & mansiones vestras multipliciter inquietent. Nos deuotionis vestræ precibus inclinati, auctoritate Apostolica, vobis tenore præsentium indulgemus, vt ad receptionem, vel prouisionem alicuius in pẽsionibus, vel beneficijs ecclesiasticis, aut ad solutionem collectarũ, seù exactionum quarumlibet, vel vicesimæ, cogi à nemine valeatis per literas Apostolicas impetratas, vel etiam impetrandas, absque mandato Sedis Apostolicæ speciali, faciente plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de vobis, vestro Ordine, & hac indulgentia mentionem. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire: Siquis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Neapoli, decimotertio Calendas Aprilis, Pontificatus nostri anno primo.

Habentur inter constit. Martini v. cõst. 3.

§. 9. Martinus Episcopus Seruus Seruorum Dei. Dilectis filijs Generali, & Prouincialibus Prioribus, ac vniuersis Fratribus Ordinis Eremitarum S. Augustini Salutem, & Apostolicam benedictionem. Syncerę deuotionis affectus, quem ad Nos, & Romanam geritis Ecclesiam, non indignè meretur, vt petitionibus vestris (illis præsertim, per quas iura vestri Ordinis vtiliùs conseruentur) fauorabiliter annuamus. Sanè pro parte vestra Nobis fuit humiliter supplicatum, vt priuilegium concessum vobis per literas fel. rec. Alexandri Papæ Quarti prædecessoris nostri, quas in Cancellaria nostra diligenter inspici, quarùmq; tenorem de verbo ad verbũ præsentibus inseri fecimus, cum incipiant vetustate consumi, innouare de benignitate Apostolica dignaremur. Quarum quidem literarum tenor talis est. Alexander Episcopus Seruus Seruorum Dei. Dilectis filijs Generali, & Prouincialibus Prioribus, ac vniuersis Fratribus Ordinis Fratrum Eremitarum

Sancti

Sancti Augustini Salutẽ, & Apostolicam benedictionem. Oblata Nobis ex parte vestra petitio continebat, quod Apostolica Sedes nonnullas domos Ordinis vestri antequàm essetis in vnius Religionis corpus de mandato nostro redacti, diuersis priuilegijs, & indulgentijs per speciales literas decorauit. Vt igitur vobis per diuinam, & nostram dispositionem in vna obseruantia, vno professionis fœdere cõiunctis, omninò proficiat, quod diuisim aliquibus domibus vestris, ante vnionem huiusmodi fuerat ab eadem Sede Apostolica concessum; Nos vestris precibus inclinati, priuilegia, & indulgentias huiusmodi, eisdem domibus singulariter olim indulta, ad omnes, & singulas extendentes; vtendi eis quoties opus erit liberã vobis omnibus concedimus facultatem. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginã nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire: Siquis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorũ eius se nouerit incursurum. Datum Laterani, duodecimo Calẽdas Maij, Pontificatus nostri anno tertio. Nos igitur huiusmodi supplicationibus inclinati, præfatas literas auctoritate Apostolica innouamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Per hoc autem nullum ius de nouo vobis acquiri volumus, sed antiquum (si quod habetis) tantummodò conseruari. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ innouationis, communitionis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire: Siquis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, quarto Calendas Maij, Pontificatus nostri anno sexto.

§. 10. Eugenius Episcopus Seruus Seruorum Dei. Ad futuram rei memoriam. Ex clementi prouisione Sedis Apostolicæ, necnon Religiosarum personarum, præsertim sub regulari obseruantia Altissimo famulantium, studio piæ vitæ, deuotione, & meritis dignoscitur prouenire, vt Romanus Pontifex quandòque prædecessorum suorum Romanorum Pontificum gesta corroboret, & indulta confirmet. Sanè pro parte dilectorum filiorum Prioris Generalis, & Fratrum Eremitarũ Ordinis S. Augustini, Nobis nuper exhibita petitio continebat; quòd olim fel. rec. Martino Papæ Quinto prædecessori nostro exposito, qualiter quondam Bonifacius in sua tunc obedientia Nonus nuncupatus, vel propagatione, & augmento dicti Ordinis quasdam suas literas Apostolicas, nonnullas concessiones, ordinationes, & statuta, immunitates, & gratias continẽtes super receptione quarumcunque mulierum, aliàs ad hoc idonearum, quæ habitum regularẽ prædicti Ordinis ad instar Mantellatarum, seù Pinzocherarum Fratrum Minorum; & Prædicatorum Ordinum recipere vellent, & gestare indulserat; ac demùm eidem Prædecessori supplicato, vt præfatas concessiones, & indulta de speciali gratia confirmare auctoritate Apostolica dignaretur; præfatus Prædecessor huiusmodi supplicationibus inclinatus, Venerabili fratri nostro Ioanni Episcopo Briocensi, tunc in Romana Curia residenti,

denti, eius proprio nomine non expreſſo, per ſuas certi tenoris literas mandauit, vt ſuper eiſdem expoſitis informaret. Et ſi conceſſa,& indulta prouidè facta fuiſſe reperiret, ea auctoritate Apoſtolica confirmaret: prout in eiſdem Prædeceſſoris literis, in quibus de verbo ad verbum literæ præfati Bonifacij inſertæ ſunt, pleniùs continetur. Idèmq; Epiſcopus ad huiuſmodi literarum Prædeceſſoris executionem procedẽs, poſt habitam ſuper indulto huiuſmodi plenariam informationem,& fidelẽ; conceſſiones, & indulta præfata auctoritate Apoſtolica confirmauit, prout in Inſtrumento deſuper confecto, & ipſius Epiſcopi ſigillo munito, cuius tenorem haberi volumus præſentibus pro expreſſo, dicitur pleniùs contineri. Quare pro parte Prioris,& Fratrum prædictorum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, vt literas prædictas,& proceſſus deſuper confectos, ac contenta in eis (pro eorum ſubſiſtentia firmiori) robur Apoſtolicæ confirmationis adijcere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos itaque, qui Religionis,& Ordinis huiuſmodi proſperum incrementum (quantum cum Deo poſſumus) fauorabiliter procuramus, huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, literas, & proceſſus huiuſmodi, ac omnia inde ſecuta, prout prouidè facta ſunt, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium confirmamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus. Tenorem verò literarum Prædeceſſoris cum inſertione præfata præſentibus de verbo ad verbum inſeri fecimus, & eſt talis.

§. II. Martinus Epiſcopus Seruus Seruorum Dei. Venerabili fratri Guilelmo Epiſcopo Biocenſi in Romana Curia reſidenti Salutem, & Apoſtolicam benedictionem. Dum fructus vberes, quos ſacer Ordo dilectorum filiorum Fratrum Eremitarum S. Auguſtini in agro Eccleſiæ militantis in propagatione Religionis,& fidei orthodoxæ hactenus produxit vtiliter, & producit, ac in poſterum producturum ſpe firma ſperamus, diligenter attendimus, dignũ cenſemus, & congruum, vt circa ea, quæ ipſius Ordinis incrementum cõcernere poterunt, benignis fauoribu intendamus. Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte filiorum Prioris Generalis eiuſdem Ordinis, & Fratrum prædictorum petitio continebat, quòd dudum quondam Bonifacius in ipſius obedientia Nonus nuncupatus, præmiſſa prouida conſideratione recenſens, quaſdam literas Apoſtolicas, nonnulla ſtatuta, cõceſſiones, & ordinationes, ac alias immunitates, & gratias continentes, eis conceſſit, prout in ipſis literis (quarum tenorem de verbo ad verbum præſentibus inſeri fecimus) pleniùs continetur. Quare pro parte Prioris,& Fratrum prædictorum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, vt literas prædictas, & contenta in eis (pro ipſorum ſubſiſtentia firmiori) auctoritate Apoſtolica confirmare de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos itaque huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, ac de præmiſſis certam notitiam non habentes, fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta committimus,& mandamus; quatenus de literis, & contentis huiuſmodi auctoritate noſtra, te diligenter informes; & ſi per eandem informationem ea prouidè ſtatuta, & ordinata,

nata, ac cōcessa repereris (super quo tuam conscientiam oneramus) literas, & contenta huiusmodi, auctoritate præfata, approbes, & cōfirmes. Tenor autem dictarum literarum talis est.

§. 12. Bonifacius Episcopus Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. In sinu Sedis Apostolicæ sacer Ordo Fratrum Eremitarum S. Augustini consistens, sic splendet per incrementa virtutum, quòd dignè meretur præcipuis attolli fauoribus, ac specialibus gratijs confoueri. Et Nos equidem Ordinē ipsum libenter prosequimur prærogatiua fauoris, & augmenta suorum successorum, in ijs præsertim, quæ diuini cultus augmentum, & sacræ Religionis propagationē conspiciunt, paternis affectibus promouemus. Hinc est, quòd Nos dilectorum filiorum Prioris Generalis, & Fratrum dicti Ordinis precibus annuentes, ac cupientes, vt Ordo prædictus eo proficiat felicioribus incrementis, quò maioribus fuerit gratijs à Sede Apostolica cōmunitus; Apostolica auctoritate tenore præsentiū statuimus, concedimus, volumus, & ordinamus, quòd de cetero perpetuis futuris temporibus tàm Generali, quàm cuilibet Officiali, Prioribus dicti Ordinis secundùm morem, & instituta dicti Ordinis, in quibuscunque Prouincijs constitutis, tàm præsentibus, quàm futuris, sit licitum, ac permissum, quascunque mulieres, si aliàs sint idoneæ, & aliud Canonicū non obsistat, quæ habitum regularē prædicti Ordinis (ad instar Mantellatarum, seù Pinzocherarum Ordinum Fratrum Minorum, & Prædicatorum) habere voluerint, & gestare, tàm virgines, ac matronas, quàm viduas in Mantellatas, seù Pinzocheras dicti Ordinis Eremitarum recipere, & admittere, ac earum singulis habitum regularem, ac regulā eiusdem Ordinis Eremitarum, ad instar huiusmodi Mantellatarum, seù Pinzocherarum Ordinum Fratrum Minorum, & Prædicatorum præfatorū, prout secundùm Deum saluti animarum earundem salubriùs visum fuerit expedire, etiam exhibere. Quæ sic recipiendæ auctoritate præfata gaudeant, & gaudere possint, & debeant tàm exemptionis priuilegio, quàm omnibus immunitatibus, libertatibus, indulgentijs, & alijs priuilegijs quibuscunque præfato Ordini Eremitarum, eiùsq; Fratribus, ac personis per Sedem Apostolicam iam concessis, & quæ in posterum concedentur, quatenus huiusmodi exemptionis priuilegium, immunitates, libertates, indulgentiæ, ac quæcūque alia priuilegia ipsis Prioribus, & Fratribus Ordinis Eremitarum cōpetunt, vel competere possunt, seù poterunt, & Priores, & Fratres, ac loca ipsa esse capacia eorundem. Volentes insuper, & auctoritate prædicta decernentes, quòd exemptionis præfatæ priuilegium, immunitates, libertates, & alia supradicta, etiam ad iam per ipsa, & Fratres Ordinis Eremitarum receptas, & Mantellatas, seù Pinzocheras huiusmodi, plenariè se extendant; ipsæq; illis gaudere possint, & debeant, prout de recipiendis Mantellatis, & Pinzocheratis huiusmodi superiùs est expressum. Constitutionibus Apostolicis, ac statutis, & consuetudinibus tàm vestri, quàm aliorum Ordinum quorumcunque, & alijs contrarijs non obstan-

Habetur inter const. Bonif. IX. n. 1.

obstantibus quibuscunque. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis, decreti, statuti, voluntatis, & constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire: Siquis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei,& Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romæ apud S. Petrum, septimo Idus Nouembris, Pontificatus nostri anno vndecimo. Datum Romæ apud Sanctos Apostolos, quarto Idus Iulij, Pontificatus nostri anno nono. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis, & communitionis infringere,vel ei ausu temerario contraire: Siquis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotētis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Florentiæ anno Incarnationis Dominicæ, Millesimo quadringentesimo trigesimoquarto, decimotertio Calendas Augusti, Pontificatus nostri anno quarto.

§. 13. Eugenius Episcopus Seruus Seruorum Dei. Ad futuram rei memoriam. Ex Apostolicæ prouisione Sedis, & humilium deuotione personarum prouenire dignoscitur, vt Romanus Pontifex quandòque Prædecessorum suorum gesta innouet, & innouatione restauret, ac auctoritate apostolica fulciat innouata. Hinc est, quòd Nos ad instantiam dilectorum filiorum Generalis, & aliorum Priorum, necnon Fratrum Ordinis Eremitarum S. Augustini, quasdam fel.rec. Innocentij Quarti, Alexandri Quarti,& Bonifacij Octaui, necnon Clementis Sexti Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorū literas, in Cancellaria apostolica inspici, & examinari diligenter, & earum (cum incipiant vetustate consumi) tenores, subscriptionibus, & characteribus omissis, de verbo ad verbum præsentibus inseri fecimus, quæ tales sunt.

§. 14. Innocētius Episcopus Seruus Seruorum Dei. Dilectis filijs Priori Generali Ordinis Eremitarū, ac alijs Prouincialibus, & Conuentualibus Prioribus,Cōuentibus quoque, ac alijs Fratribus vniuersis sibi subiectis, tàm præsentibus,quàm futuris Eremiticam vitam professis In perpetuum, salutem, & Apostolicā benedictionem. Religiosam vitam eligentibus Apostolicum conuenit adesse præsidium, ne fortè cuiuslibet temeritatis incursus, aut eos à proposito reuocet, aut robur (quod absit) sacræ Religionis infringat. Eapropter dilecti in Domino filij, vestris iustis postulationibus clementer annuimus, & domos vestras, in quibus diuino mācipati estis obsequio, sub Beati Petri,& nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti priuilegio communimus. *Hæc Bulla habetur sup. inter const. Innocentij IV in nu. 16.*

§. 15. In primis siquidem statuimus, vt Ordo Canonicus, qui secundùm Deum, & Beati Augustini Regulā in domibus ipsis institutus esse dignoscitur, perpetuis ibìdem temporibus inuiolabiliter obseruetur.

§. 16. Præterea quoscunque hortos, & siluas, ac quæcunque bona prædictæ domus iustè, ac canonicè possidetis in præsentiarum,aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum, vel Principū, oblatione fidelium, seù alijs iustis modis præstante Domino poteritis adipisci, firma

firma vobis, vestrisq; successoribus, & illibata permaneant. In quibus hæc proprijs duximus exprimenda vocabulis. Loca ipsa, in quibus præfatæ domus sitæ sunt cum pertinentijs suis, videlicèt cum ecclesijs, hortis, pratis, nemoribus, vsuagijs, pascuis in bosco, & plano, in aquis, & molendinis, in vijs, & semitis, ac omnibus alijs libertatibus, & immunitatibus suis.

§. 17. Sanè noualium vestrorum, quæ proprijs manibus, aut sumptibus colitis, de quibus aliquis hactenus non percepit, siuè de hortis, virgultis, & piscationibus vestris, nullus à vobis Decimas exigere, vel extorquere præsumat.

§. 18. Liceat quoque vobis Clericos, vel laicos liberos, & absolutos, à seculo fugientes, ad conuersionem recipere, & eos absque contradictione aliqua retinere.

§. 19. Prohibemus insuper, vt nulli Fratrum vestrorum post factã in domibus vestris professionem fas sit sine Prioris sui licentia de eisdem locis discedere. Discedentem verò absque communium literarum vestrarum cautione, nullus audeat retinere. Quòd siquis retinere forsan præsumpserit, licitum sit vobis in ipsos Fratres clericos, vel laicos, regularem sententiam promulgare.

§. 20. Insuper auctoritate Apostolica prohibemus, vt nullus Episcopus, vel quælibet alia persona ad Synodos, vel Conuentus forenses vos ire, vel in iudicio seculari de vestra propria substantia, vel de possessionibus vestris subiacere compellat. Nec ad domos vestras causa Ordines celebrandi, causas tractandi, vel aliquos Conuentus publicos cõuocandi venire præsumat. Nec regularem Prioris vestri electionem impediat, aut de instituendo, vel remouendo eos, qui pro tempore fuerint, contra statuta Ordinis vestri se aliquatenus intromittat. Illud adijcientes, vt scilicet Priores ipsi, Episcopo (saluo ordine suo) obedire debeant, & contra statuta sui Ordinis auctoritate Sedis Apostolicæ confirmata, nullam obedientiam facere compellantur.

§. 21. Pro consecrationibus verò Altarium, seù Ecclesiarum, pro Oleo sancto, & quolibet Ecclesiastico Sacramento, nullus à vobis sub obtentu cõsuetudinis, vel alio modo, quidquam audeat extorquere; sed hæc omnia gratis vobis Episcopi Diœcesani impendant. Aliòquin liceat vobis quoscunque malueritis catholicos adire Antistites, gratiam, & communionem Apostolicæ Sedis habentes, qui nostra freti auctoritate, vobis quod postulatis impendant. Quod si sedes Diœcesanorum Episcoporũ fortè vacauerint, interim omnia Ecclesiastica Sacramenta à vicinis Episcopis accipere liberè, & absque contradictione possitis: sic tamen, vt ex hoc in posterum proprijs Episcopis nullum præiudiciũ generetur. Quia verò interdum propriorum Episcoporum copiam non habetis; si quos Episcopos Romanæ Sedis (vt diximus) gratiam, & communionẽ habentes, & de quibus plenam notitiã habeatis, per vos transire contigerit, ab eis benedictiones vasorum, & vestium, & consecrationem altarium, auctoritate apostolicæ Sedis recipere valeatis.

§. 22. Cum autem generale Interdictum Terræ fuerit, liceat vobis

clausis

cláusis ianuis, exclusis excommunicatis, & interdictis, non pulsatis cāpanis (dummodò causam non dederitis interdicto) suppressa voce diuina officia celebrare.

§. 23. Chrisma verò, Oleum sanctum, consecrationem Altarium, seù Basilicarum, ordinationes Clericorum, qui ad Ordines fuerint promouendi, à Diœcesanis suscipiatis Episcopis, siquidem Catholicis, & ritè gratiam, & communionem sacrosanctæ Romanæ Sedis habuerint, & ea vobis voluerint sinè prauitate aliqua exhibere.

§. 24. Prohibemus insuper, quòd infra fines locorum vestrorum, nullus sinè assensu Diœcesani Episcopi, & vestro, Capellam, seù Oratorium de nouo construere audeat; saluis priuilegijs Pontificum Romanorum.

§. 25. Ad hæc, nouas, & indebitas exactiones ab Archiepiscopis, Episcopis, Archidiaconis, seù Decanis, alijsq; omnibus ecclesiasticis, secularibusvè personis, à vobis omninò fieri prohibemus.

§. 26. Sepulturam quoque in ecclesijs vestris liberam esse duximus, vt eorum deuotioni, & extremæ voluntati, qui se illic sepeliri deliberauerint, nisi fortè excommunicati, vel interdicti sint, aut etiam publicè vsurarij, nullus obsistat. Salua tamen iustitia illarum ecclesiarum, quibus mortuorum corpora assumuntur.

§. 27. Præterea hortos, & siluas, ad ius ecclesiarum vestrarum spectātes, quæ à laicis detinentur, redimendi, & legitimè liberandi de manibus eorum, & ad ecclesias, ad quas pertinent, reuocandi, libera sit vobis de nostra auctoritate facultas.

§. 28. Obeunte verò Generali Priore vestro, vel suorum quolibet successorum, nullus ibìdem qualibet subreptionis astutia, seù violentia præponatur; nisi quem Fratres communi consensu, vel eorum maior pars consilij sanioris, secundùm Deum, & Beati Augustini Regulam, prouiderint eligendum.

§. 29. Paci quoque, & tranquillitati vestræ paterna inposterum solicitudine prouidere volentes, auctoritate Apostolica prohibemus, vt infra clausuras locorum vestrorum, nullus rapinam, seù furtum facere, ignem apponere, sanguinem fundere, hominem tenere, capere, & interficere, seù violentiam audeat exercere.

§. 30. Præterea omnes libertates, immunitatèsque à prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus, locis vestris concessas; necnon omnes libertates, & exemptiones secularium exactionum à Regibus, & Principibus, vel alijs fidelibus rationabiliter vobis indultas, auctoritate Apostolica confirmamus, & præsentis scripti priuilegio communimus. Decernimus ergo, quòd nulli omninò hominum liceat, præfatas domos temerè perturbare, aut eis possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seù quibuslibet vexationibus fatigare; sed omnia integrè conseruentur, eorum, pro quorum gubernatione, ac sustentatione concessa sunt, vsibus omnimodis profutura: salua Sedis Apostolicæ auctoritate, & Diœcesanorum Episcoporum canonica iustitia.

§. 31. Si qua igitur in futurum

ecclesiastica, secularisvè persona hanc nostræ concessionis paginam scienter contra eam temerè venire tentauerit, secundò, tertiòvè commonita (nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit) potestatis, honorìsq; sui careat dignitate, reũque se diuino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat: à sacratissimo Corpore, & Sanguine Domini Redemptoris Nostri Iesu Christi aliena fiat, atque in districto examine districtæ subiaceat vltioni. Cunctis autem eisdem domibus sua iura seruantibus, sit pax Domini Nostri Iesu Christi, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiat, & apud districtum Iudicem præmia æternæ pacis inueniat. Amen. Datum Anagniæ per manum Guilelmi Magistri Scholarum Parmensis S. R. E. Vicecancellarij, septimo Idus Septembris, Indictione duodecima, Incarnationis Dominicæ anno Millesimo ducentesimo quinquagesimoquarto, Pontificatus verò Domini Innocentij Papæ Quarti, anno duodecimo.

§. 32. Alexander Episcopus Seruus Seruorum Dei. Dilectis filijs Generali, & Prouincialibus Prioribus, ac vniuersis Fratribus Ordinis Eremitarum Sancti Augustini Salutem, & Apostolicam benedictionem. Vt eò fortiùs diuinis insistatis obsequijs, quo à Nobis potiorem gratiam vos noueritis assecutos; deuotionis vestræ precibus inclinati, auctoritate præsentium districtiùs inhibemus; ne quis de virgultis, & hortis vestris, aut vestrorum animalium nutrimentis, necnon de terris, vineis, & possessionibus, nuper quibusdam domibus vestris de mandato Apostolico reseruatis, quas proprijs manibus, aut sumptibus colitis, Decimas à vobis exigere, aut extorquere præsumat. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ inhibitionis infringere, vel ei ausu temerario contraire: Siquis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Laterani, Pridie Idus Aprilis, Pontificatus nostri anno secundo.

Constit. hæc habetur inter cōst. Alexādri iv. in n. 20.

§. 33. Bonifacius Episcopus Seruus Seruorum Dei. Dilectis filijs Priori Generali, & vniuersis Prioribus, & Fratribus Ordinis Eremitarum Sancti Augustini, tàm præsentibus, quàm futuris Religiosam vitam professis Salutem, & Apostolicam benedictionem. Sacer Ordo vester, in agro Dominico diuina dispositione plantatus, Apostolicis gratijs dignè meretur attolli, cuius professores mundanis à se relegatis illecebris, cælestium contemplationi vacantes, insistunt iugiter profectibus animarum. Nos autem ad dictum Ordinem, quem in statu firmo, solido, & stabili decreuimus, & volumus permanere Apostolicæ considerationis intuitũ dirigentes, ad ea libenter intendimus, per quæ professores iam dicti nullum internæ pacis patiantur excidium, nullùmque Religionis status perferant detrimentum; sed eo deuotiùs diuino cultui, ac salutis insistant operibus, quo quietior status fuerit eorundem, ipsiq; ampliori fuerint libertate dotati.

Hæc cõst. habetur inter cõst. Bonifacij viij. in ordine 3.

§. 34. Eapropter dilecti in Domino

no filij deuotionis veſtræ precibus fauorabiliter annuentes; vos, & prædictum Ordinem, perſonas, & Eccleſias, Oratoria, domos, & res alias, & loca veſtra, ac ſpectantia ad eadem, in quibus inhabitatis ad præſens, vel inhabitabitis in futurum, cum omnibus iuribus, & pertinentijs ſuis, ac perſonis degentibus in eiſdem, in ius, & proprietatem Beati Petri, & Apoſtolicæ Sedis aſſumimus. Illàsq; à cuiuſcunque Diœceſani, & cuiuſlibet alterius poteſtate, iuriſdictione, & dominio, omnimodè, & in perpetuum prorſus eximimus de gratia ſpeciali. Decernentes ex nunc vos, & Ordinem veſtrũ, ac perſonas, Eccleſias, & Oratoria, domos, & loca præfata, ac pertinentia ad eadem, ſoli Romano Pontifici, & dictæ Sedi tàm in ſpiritualibus, quàm in temporalibus abſque vllo medio ſubiacere. Ita quòd nec locorum Ordinarij, nec alia quæuis perſona eccleſiaſtica, in vos, & Ordinem, perſonas, Eccleſias, & Oratoria, domos, & loca prædicta, vtpotè prorſus exempta, poſſint excommunicationis, ſuſpenſionis, aut interdicti promulgare ſententias, vel aliàs poteſtatem, ſeù iuriſdictionem aliquam audeat exercere. Quòd ſi forſan quidquam in contrarium à quoquam fuerit attentatum, illud omninò ſit irritum, & inane. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ aſſumptionis, exéptionis, & conſtitutionis infringere, vel ei auſu temerario cõtraire: Siquis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Datum Laterani, duodecimo Calendas Februarij, Pontificatus noſtri anno quarto.

§. 35. Clemens Epiſcopus Seruus Seruorum Dei. Dilectis filijs Generali, ac alijs Prioribus, & Fratribus Ordinis Eremitarum S. Auguſtini Salutem, & Apoſtolicam benedictionem. Ad fructus vberes, quos ſacer Ordo veſter in agro militantis Eccleſiæ cœleſtis Agricolæ diſpoſitione plantatus indeſinenter producit, conſiderationis noſtræ aciẽ conuertentes, & conſiderantes attentè, quòd vos voluntariam eligentes pro Chriſti nomine paupertatem ſub arctæ Religionis iugo, deuotum Deo inceſſanter obſequium exhibetis; dignum ducimus, vt vos, & Ordinem veſtrum ſpeciali Sedis Apoſtolicæ libertate*, ac muniamus. Sanè petitio veſtra Nobis nuper exhibita continebat, quòd licèt fel. rec. Bonifacius Papa Octauus prædeceſſor noſter tunc in humanis agens, vos, & Ordinem veſtrum, ac perſonas, Eccleſias, Oratoria, domos, res alias, & loca veſtra, ac ſpectantia ad eadem, in quibus inhabitabatis tunc, vel inhabitaretis inpoſterum, cum omnibus iuribus, & pertinentijs ſuis, ac perſonis degẽtibus in eiſdem, in ius, & proprietatem Beati Petri Apoſtolorum Principis, ac Sedis Apoſtolicæ aſſumpſiſſet: illàque, à cuiuſcunque Diœceſani, & cuiuſlibet alterius poteſtate, iuriſdictione, & dominio in perpetuum exemiſſet, omninò decernens, ex tunc vos, & Ordinem ipſum, ac perſonas, Eccleſias, Oratoria, domos, & loca præfata; necnon & pertinentia ad eadem, ſoli Romano Pontifici, & eidem Sedi in ſpiritualibus, & tẽporalibus abſque vllo medio ſubiacere. Ita quòd nec

Hæc conſtit. habetur ſupra in Clem. vj. vnica.

locorum Ordinarij, nec alia quæuis persona ecclesiastica in vos, & Ordinem, personas, & Ecclesias, Oratoria, domos, & loca prædicta, vtpotè prorsus exempta, possent excommunicationis, suspensionis, aut interdicti, promulgare sententias, vel aliàs potestatem, seù iurisdictionem aliquam exercere; ac omninò irritum, & inane, siquid foret in cōtrarium attentatum. Tamen quia indulto exemptionis huiusmodi nō cauetur, quòd vos ratione delicti, seù contractus, aut rei, de qua ageretur, conueniri minimè valeatis; vos timentes super hoc forsitan inposterum molestari, Nobis humiliter supplicastis, vt prouidere vobis super hoc de oportuno remedio dignaremus.

§. 36. Nos igitur, qui vos, & Ordinem ipsum speciali prosequimur in Domino charitate, cupientes, attentè, vt eò quietior sit status vester, quo ampliori dictæ Sedis dotati fueritis libertate, vestris supplicationibus inclinati, vobis, & successoribus vestris in perpetuum auctoritate apostolica tenore præsentium indulgemus, vt (huiusmodi eiusdem indulto in suo robore permanente) coram quibusuis Diœcesanis, & locorum Ordinarijs, ac Iudicibus alijs quibuscunque ratione delicti, contractus, siuè rei, de qua agitur, conueniri, vel impeti nullatenus valeatis: fel. rec. Innocentij Papæ Quarti prædecessoris nostri, & alijs constitutionibus apostolicis contrarijs nō obstantibus quibuscunque. Decernentes ex nunc irritum, & inane, si secùs super his à quoquam, quauis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis, & constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire: Siquis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Auinione decimoquarto Calendas Augusti, Pontificatus nostri anno sexto.

§. 37. Nos igitur Priorum, & Fratrum ipsorum in hac parte supplicationibus inclinati, literas, ac tenores huiusmodi auctoritate prædicta innouamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Per hoc autem nullum ius cuiquam de nouo volumus acquiri, sed antiquum, (si quod sit) tantùmodò conseruari. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ innouationis, communitionis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire: Siquis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Florentiæ, anno Incarnationis Dominicæ, Millesimo quadringentesimo trigesimonono, tertio Calendas Aprilis, Pontificatus nostri annò nono.

§. 38. Nos igitur huiusmodi supplicationibus inclinati, prædictas literas, quas in Cancellaria nostra diligenter inspici fecimus, ex certa scientia, auctoritate Apostolica ratificamus, approbamus, confirmamus, & innouamus, ac præsentis scripti patrocinio communimus, supplentes omnes defectus (si qui forsan interuenerint) in eisdem.

Nulli

Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ ratificationis, approbationis, confirmationis, innouationis, & communitionis infringere, vel ei ausu temerario contraire: Siquis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ, Millesimo quadringentesimo quinquagesimo, Pridie Calendas Maij, Pontificatus nostri anno quarto.

§. 39. Nos igitur attendentes, quòd dictus Ordo multa refulget gloria meritorum, & gratia redolet sanctitatis; ac propterea illius statum prosperum, & tranquillum intensis zelantes affectibus, Innocentij, Bonifacij, Alexandri, Vrbani, Clementis, Martini, Eugenij, & Nicolai prædictorũ, aliorùmq; diuersorũ Romanorũ Pontificum prædecessorum nostrorũ, qui Ordinem prædictũ varijs priuilegijs non immeritò decorarũt, inhærentes vestigijs; Motu proprio, non ad eorundẽ dicti Ordinis Fratrũ Eremitarum S. Augustini, vel alterius pro eis, Nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed de nostra mera voluntate, ac deliberatione, ac ex certa scientia prædictas Innocentij, Bonifacij, Alexandri, & Clementis, necnon Martini, Eugenij, Nicolai, & aliorum Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum literas, etiam indulgentiarum, & aliarũ gratiarum quarumlibet spiritualium, & temporalium, dicto Ordini, & illius domibus, aut Fratribus in genere, vel in specie quomodolibet concessas, quas ac si de verbo ad verbũ vnà cũ præfatis literis Nicolai prædecessoris præfati insertæ forẽt, præsentibus haberi volumus pro expressis, ac omnia, & singula in eis contenta, auctoritate apostolica tenore præsentium innouamus, & approbamus, ac robur perpetuæ firmitatis obtineri debere decernimus.

Confirmatio omnium Priuilegiorum.

§. 40. Proque potiori cautela, omnia, & singula per Innocentium, Bonifacium, Alexandrum, Clementem, Martinum, Eugenium, & Nicolaum, aliòsq; Prædecessores nostros, & Nonum nuncupatum Bonifacium prædictos, in eisdem literis prò, & in fauore dicti Ordinis, & illius domorum, & personarum etiam oblatarum, commissarum, & mantellatarum, ac aliarum quarumlibet ecclesias, domorum huiusmodi visitantium, & illis pias eleemosynas erogantium, quomodolibet ordinata, statuta, & decreta, concessa, & indulta, vim, vigorem, & efficaciam habere, ac fieri, & obseruari debere, motu, scientia, & auctoritate prædictis de nouo ordinamus, statuimus, atque decernimus, dictòq; Ordini, & illius domibus, & professoribus, concedimus, atque indulgemus.

§. 41. Et quia (sicut accepimus, Nòsq; ipsi in minoribus constituti experientia didicimus) circa literas, & priuilegia huiusmodi nonnulla dubia postmodum sunt exorta; habita super illis consideratione decẽti, motu, scientia, & auctoritate similibus, primodictas, & in præfati Eugenij insertas literas, alias Alexandri, per quas dicti Ordinis professoribus conceditur, quòd ad solutionem collectarum, seù exactiònum quarumlibet, vel vicesimæ cogià nemine valeant. Et in præfatis

Eugenij prædecessoris, præfati etiam insertas Innocentij prædecessorum prædictorum literas prædictas in ea parte, in qua idem Innocentius prædecessor concedit dictis Fratribus, vt de noualibus eorum, quæ proprijs manibus, aut sumptibus colunt; ac de hortis, virgultis, & piscationibus eorum, nullus ab eis Decimas exigere præsumat. Ad quæcunque bona dictorum Fratrum, & quæcunque onera, quæ etiam sub cuiusuis alterius quotæ, vel subsidij, etiam charitatiui, aut datij, pedatij, vel gabellæ, seù alio quouis nomine indicerētur: & per Apostolicæ Sedis Legatos, locorum Ordinarios, vel Clerum, aut populum, vel seculares Principes, & Dominos temporales, ac alios quoscunque exigerentur: quauis etiam Apostolica auctoritate, necnon ad quascunque Decimas, etiam quas vulgus Papales appellat, & Apostolica Sedes pro Christianæ fidei defensione, aut alijs imminentibus ei persæpè necessitatibus indicit, extēdimus. Ac decernimus dicti Ordinis professores, (etiamsi Decimæ, & onera huiusmodi per quoscūque exemptos, etiam Mendicantium Ordinum professores solui mandarentur, cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatorijs, ac fortioribus, & efficacioribus clausulis) ad Decimarum, & onerum huiusmodi solutionē non teneri; & in illorum solutione cessando, censuras, & pœnas aliquas non incurrere, nisi præsentibus non per generales, aut alias clausulas specialem mentionem importantes, sed aliàs sit derogatum specificè earum de verbo ad verbum inserto tenore.

§. 42. Et vt virgines, viduæ, & coniugatæ personæ Mantellatæ, seù Pinzocheræ dicti Ordinis nuncupatæ prædictæ, tantò feruentiùs iuxta earum viuendi ritum, & morem sub cura, & secundùm instituta dicti Ordinis, ac ordinata per præfatum Bonifacium Nonum nuncupatum in dictis suis literis, & (vt præfertur) auctoritate Martini, & Eugenij prædecessorum prædictorum confirmata, diuinis studeant vacare beneplacitis, quanto maioribus priuilegijs, & fauoribus præfatæ Sedis propter ea cognouerint se fore refectas; motu, scientia, & auctoritate præfatis volumus, & eisdem personis concedimus, quòd omnibus, & singulis priuilegijs, immunitatibus, fauoribus, gratijs, & indultis spiritualibus, & temporalibus, Ordini, & Fratribus prædictis concessis, & concedendis; & quibus illi in genere quomodolibet potiuntur, & gaudent tàm in vita, quàm in mortis articulo, etiam circa peccatorum remissionem, & iniunctarum pœnitentiarum relaxationem, vti, potiri, & gaudere, ac participes esse possint, & debeant. *Mātellatæ, & Pinzocheræ fruūtur Priuilegijs Ordinis.* Liceàtq; Fratribus prædictis eisdē Pinzocheris, & Mantellatis personis, & in earum etiam domibus, quoties opus fuerit, Eucharistiæ, & Extremæ vnctionis sacramenta ministrare, & dum eas decedere cōtigerit, illarum cadauera ad eorundem Fratrum ecclesias tumulanda deferre, etiam parochialium ecclesiarum, personarum eorundem Rectorum licentia desuper minimè requisita, & contradictione qualibet non obstante. *Mātellatis in proprijs Domibus possunt Sacramenta administrare.* *Mantellatarum cadauera in nostris ecclesijs tumulāda.* Et ne Oblati eiusdem Ordinis, quorū Bonifacius Octauus prædecessor præfatus in dictis suis literis meritò considerationem habuisse videtur, eorum puræ deuotionis ad Ordinem ipsum fru-

frustrentur effectu: omnia, & singula circa Fratres, & Sorores de pœnitentia, & Mantellatas, & Pinzocheras nuncupatas prædictas, in prædictis literis statuta, concessa, & ordinata, aut illis, & Fratribus prædictis in earum commodum, & fauorem indulta, ad easdem dicto Ordini nunc, & pro tempore Oblatas, & Commissas vtriusque sexus personas, eisdem scientia, & motu, & auctoritate extendimus, & ampliamus; ac in eis locum habere debere perinde, ac si pro eisdem oblatis personis, & circa illas emanassent, decernimus, volumus, & ordinamus.

Officia celebrare possumus tempore Interdicti generalis.

§. 43. Et quia ex concessione dicti Innocentij prædecessoris, quòd liceat eis cum Interdictum generale Terræ fuerit, dummodò causam non dederint Interdicto, clausis ianuis, excommunicatis & interdictis exclusis, submissa voce, Missas, & alia diuina Officia celebrare, eorundem Fratrum deuotioni non plenè consulitur; concessionem eandem extẽdendo eisdem Fratribus, vt liceat eis habere Altare portatile cum debita reuerentia, & honore, super quo in locis ad hoc conuenientibus, & honestis (præterquàm in ecclesijs ab Ordinarij obedientia non exemptis) quoties id eis contigerit interdici, possint Missas, & alia diuina Officia in quorumcũque præsentia celebrare, & interdicti tempore ad diuina huiusmodi cum eis Mantellatas, & Pinzocheras, ac Oblatas, Commissasque personas, & ipsorum Fratrum, ac monasteriorum Monialium Ordinis prædicti Procuratores, Syndicos, & negotia gerentes vtriusque sexus admittere, præfatis scientia, motu, & auctoritate indulgemus.

Declaratio iustitiæ parochialis

§. 44. Præterea cum persæpè reuocetur in dubium qualiter intelligatur pars illa dictarum literarũ eorundem Bonifacij Octaui, & Innocentij prædecessorum, in qua sepulturam in ecclesijs Fratrum dicti Ordinis liberam esse voluerunt, salua iustitia ecclesiarum, à quibus mortuorum corpora sumuntur. Vt litibus, quæ exinde oriuntur, obuiemus; motu, scientia, & auctoritate prædictis declaramus, libertatem huiusmodi intelligi debere etiam quoad hoc, vt Fratres ipsi (nullius super hoc petita licentia) Parochias, in quibus corpora prædicta forent, cum Cruce processionaliter ingredi, ac corpora ipsa leuare, & ad eorum ecclesias sepelienda deferre possint, vbi hoc cõsuetum foret, vel presbyteri de leuatione requisiti id facere recusarent: nec cogantur inuiti, etiam prætextu cuiusuis consuetudinis ipsi, vel Defunctorum consanguinei illa ad parochiales ecclesias, aut alia loca deferre, & cum illis, vel sinè, inibi celebrare, vel celebrari facere pro eisdem Defunctis aliqua diuina Officia ante, vel post sepulturam eorundem.

Iustitia parochię salua quãdo cadauera ad Fratrũ ecclesias sepeliuntur.

§. 45. Iustitiam autem ecclesiarum, à quibus corpora ipsa sumuntur, iuxta eorundem Bonifacij Octaui, & Innocentij prædecessorum voluntatem saluam esse debere decernimus, eo casu, quo duntaxat apud loca ipsorum Fratrum corpora ipsa sepeliuntur. Si verò non apud eos, sed alios etiam Mendicantium Ordinum professores corpora ipsa contingeret sepeliri, ex his, quæ ad Fratres prædictos, apud quos tunc corpora ipsa non sepelirentur ex bonis Defunctorum quomodolibet obueniret, quouis particulari, vel vniuer-

sali

fali titulo, directè, vel per obliquum, nullam canonicam, vel parochialem portionem dare teneantur. Nec similiter aliqua portio debeatur de his, quæ ad certos determinatos vsus eisdem Fratribus, vel eorum domibus in genere, aut in specie, etiam de bonis eorum, quorum cadauera apud eos contingeret sepeliri; nec etiam in casibus, in quibus per eorundem Bonifacij Octaui, & Innocentij, ac aliorum prædecessorum nostrorum specialia priuilegia Fratres ipsi ab huiusmodi solutione Quartæ sunt exempti, nec aliquo casu, de candelis, quæ dantur ad manus Fratribus, Quarta aliqua quomodolibet detrahatur. In reliquis verò casibus, quàm in præmissis, in quibus Quarta ipsa soluenda veniret, conuentiones (si quæ sunt inter Fratres prædictos, & locorum Ordinarios, ac ecclesiarum Rectores) initæ laudabiles, & honestæ inposterùm obseruentur. Et si fortè per Nos, vel Sedem Apostolicam de piè legatis, dispositis, & relictis in genere, vel in specie, Decima, vel alia portio, seù Quarta alteri piæ, vel non piæ causæ, ex quauis causa hactenus concessa foret, aut inposterùm concedi, & solui, aut dari, vel mandari contingeret, Fratres prædictos, & illorum domos, ac eis legata, & relicta, aut aliàs in eorum fauorem disposita, in concessione, & mādatis huiusmodi decernimus, & volumus non includi, nisi de ipsis Fratribus, & præsenti decreto, & voluntate nostra non per generales clausulas, quæ etiam specialem mentionem importare viderentur, sed vera, & specificata mentio fiat in eisdem.

De relictis nihil datur parochianis.

§. 46. Exemptiones quoque Ordinis, domorum, Fratrum, & bonorum prædictorum per Innocentij, & Bonifacij prædecessorum eorundem literas prædictas concessam, & illius approbationem, & exemptionem in Clementis præfati literis prædictis contentam, vtpotè notorias, allegatione, & probatione non indigere, ac quaslibet excōmunicationis, suspensionis, & interdicti sententias, & quoscunque processus, quasuis pœnas, & sententias generales, vel speciales continentes, quos, & quas promulgari, vel haberi, & omnia, quæ contra Fratres, domos, & loca, ac personas Oblatas, & Mantellatas dicti Ordinis, & in illius exemptione huiusmodi quomodolibet comprehensas, etiam ratione cuiuscunque contractus, vel delicti, seù rei, de qua ageretur, vbicunque iniatur contractus, committatur delictum, & res ipsa consistat, fieri, vel haberi contigerit, etiam exemptione huiusmodi aliter non allegata, vtpotè notoria, nullius roboris, vel momenti esse, etiam pro infectis haberi debere, pari motu, scientia, & auctoritate decernimus.

Exemptiones nostræ vti notoriæ non indigēt probatione.

§. 47. Literas verò fel. rec. Benedicti Papæ Vndecimi, etiam prædecessoris nostri, per quas dicti Ordinis Generali Priori facultatem concessit, vt illius professores ab excessibus, & delictis per eos commissis, nisi talia forent, propter quæ meritò essent ad Sedem Apostolicam destinandi, ac etiam à censuris, & pœnis, quas illorum occasione incurrissent, absoluere, & super irregularitate, per eos contracta dispensare, & Prioribus Prouincialibus dicti Ordinis facultatem huiusmodi communicare valeret. Cum persæpè reuocetur in dubium,

dubium, quæ sint illa, propter quæ Fratres ipsi sint ad Sedem prædictam destinandi, vt absoluentium, & absoluendorum, dispensantium, & dispensandorum pro tempore puritati conscientiæ consulamus: hæreticos relapsos, schismaticos, & qui literas Apostolicas falsificassent, aut ad Infideles prohibita detulissent, duntaxat esse ad Sedem Apostolicam meritò destinandos. Reliquis verò omnibus, etiam simoniæ prauitate qualitercunque irretitis, posse per illos, quibus inibi conceditur, absolutionis beneficium, & gratiam iuxta casuum exigentiam impartiri.

Casus, propter quos Fratres sũt destinãdi ad Sedem Apost.

§. 48. Et nihilominus, vt dicti Ordinis professoribus omnis vagãdi tollatur occasio, & ad Sedem Apostolicam recurrendi subtrahatur pro posse necessitas, Generali, & Prouincialibus Prioribus dicti Ordinis pro tempore existentibus, & illorum Vicarijs, dispensandi cum dicti Ordinis Eremitarum S. Augustini professoribus, defectum natalium ex adulterio, sacrilegio, incestu, & quouis alio nefario, & illicito coitu proueniente patientibus; necnon cum his, qui ex quauis causa, præterquàm homicidij voluntarij, bigamiæ, & mutilationis membrorum, irregulares forent, postquàm Ordinem ipsum professi fuerint, vt defectu, & irregularitate huiusmodi non obstante, irregulares ipsi ad quoscunque etiam sacros Ordines promoueri, & in illis etiam in Altaris ministerio ministrare: & tàm ipsi irregulares, quàm defectum natalium patientes prædicti ad quæcunque administrationes, & officia dicti Ordinis eligi, recipi, & assumi; illãq; gerere, & exercere liberè, & licitè valeant, motu, scientia, & auctoritate prædictis concedimus, per præsentes.

Superiores possunt dispensare super defectũ natalium.

§. 49. Et quoniam parochialium ecclesiarum Rectores præfati erga illos, qui dictis Fratribus Eremitarũ S. Augustini eorum peccata confitentur, persæpè se reddunt in exhibitione Eucharistiæ, & Extremæ vnctionis difficiles, concedimus ipsis Fratribus Eremitanis, vt eisdem personis, eis confessis, quibus Rectores præfati sinè rationabili causa denegauerint, seù malitiosè distulerint, Eucharistiæ, seù Extremæ vnctionis Sacramẽta ministrare, super quo eorundem Confessorum assertioni stari debeat, illa petentibus possint impunè exhibere.

Cõfessis Fratribus, possumus administrare sacramẽta Eucharistiæ, et Extremæ vnctionis, si parochi ex malitia dare distulerĩt.

§. 50. Et cum aliquando contingat monasteria Monialium dicti Ordinis Monialibus destitui, adeò vt de eorum reformatione spes nulla supersit: conuenientiùsq; sit, quòd illorum sic destitutorum bona ad ipsos Fratres deueniant, quorum erant curæ commissa, quàm ad alios: illaq; sic destituta existunt, & destitui contingeret in futurum, cum eorum bonis omnibus, perpetuis vsibus Fratrum domus dicti Ordinis eisdem destitutis monasterijs propinquorum applicamus, itaut Fratres ipsi possint de illis, & de eorundem monasteriorum structuris, & ædificijs pro eorum voluntate disponere prouisè: & illorum Ecclesiæ, & Oratoria ad profanos vsus non redigantur, sed in illis diuina celebrentur officia.

Monasteria Monialium sub cura Fratrum si destitui contingat deuoluuntur ad Ordinẽ.

§. 51. Insuper cum nonnulli ad Ordinem prædictum Eremitarum S. Augustini specialem gerentes deuotionis affectum ordinent eorum cadauera cum habitu Fratrum dicti Ordinis Eremitarum, aut Sororum, seù

Seculares, qui cũ habitu nostro sepeliri volũt, in ecclesijs nostris sunt sepeliendi etiamsi alibi sepulturã elegerit, nisi de licentia Fratrũ.

seù Mantellatarum prædictarum sepeliri; ne ex illorum corporum delatione ad alia loca, Ordini, & Fratribus prædictis iniuria irrogetur; decernimus tales apud Fratres ipsos esse sepeliendos, etiamsi alibi suam elegissent sepulturam, nec posse etiã in loco per eos electo cum habitu prædicto quomodolibet sepeliri, aut ad sepeliendum portari, absque Fratrum domus loci, in quo tales decesserint, expressa licentia, & assensu.

§. 52. Ceterum, ne si ratione parochialium ecclesiarum, apud quas domus Fratrum eorundem constructæ fuere, aut construentur inposterum, locorum Ordinarij in eosdem Fratres aliquam superioritatem vendicare tentarent, Fratrum eorundem quies in aliquo perturbaretur: concedimus ipsis Fratribus, vt in sic cõcessis, & quasi eis concedi contigerit Curatis ecclesijs, possint per capellanum per eos pro eorum nutu ponẽdum, & amouendum, curam huiusmodi exercere; qui quandiu capellanatus huiusmodi fungetur officio, ac si dicti Ordinis Eremitarum professor existeret, dictorum Fratrum Eremitarum libertate, & exemptione fruatur. Ecclesiæ verò prædictæ, & illarum bona, illaq; domus Fratrum dicti Ordinis prærogatiua lætentur.

Capellani pro cura animarũ in ecclesijs nostris, priuilegijs Ordinis fruũtur.

§. 53. Illi præterea particulæ literarum prædictarũ Innocentij prædecessoris præfati, in qua Fratribus prædictis eligendi Generalem Priorem dicti Ordinis facultatem concedit, adijcimus motu, scientia, & auctoritate prædictis, quòd idem Generalis Prior sic electus postquàm electionis sibi præsentato decreto consenserit, intelligatur auctoritate Apostolica confirmatus eo ipso, & liberè administret, & exerceat quæ ad suum Prioratus generalis pertinet officium, reiecta quauis professorum dicti Ordinis, & aliorum sibi ratione dicti officij subditorum appellatione, quæ ab eius præceptis, monitionibus, ordinationibus, mandatis, & decretis regulari disciplina eorundẽ quomodolibet interponi continget.

Generalis electꝰ statim post suũ officium exercere.

§. 54. Rursus, quia intelleximus, quòd etsi bonæ memoriæ Ioannes Papa Vigesimussecundus prædecessor noster, illorum opinionem, qui asserebant, quòd confessi Fratribus prædictis, & aliorum Ordinum Mendicantium ad audiendas cõfessiones iuxta iuris dispositionem deputatorũ pro tempore, tenebantur eadẽ peccata Rectori eorum parochialis ecclesiæ iterum confiteri, reprobauerit: & deinde præfatus Eugenius reprobationem huiusmodi approbando contra talia asserentes tanquam de hæresi suspectos, per locorum Ordinarios inquiri, & procedi mandauerit: ac successiuè Nicolaus prædecessor prædictus gesta in præmissis ab eisdem Ioanne, & Eugenio prædecessoribus, robur perpetuæ firmitatis obtinere debere decreuerit. Nihilominus adhuc nõnulli eorum inhærentes proteruiæ opinionem prædictam, & desuper Fratres damnatos, & malè sonantes, ac reprobos articulos, veros esse affirmare non verentur, vt talium præsumptuosa temeritas tanto minus inualescat, quanto plurium erit Superiorũ correctioni subiecta: concessam contra tales, per eiusdem Eugenij prædecessoris literas locorum Ordinarijs facultatem, ad Inquisitores hæreticæ prauitatis extendimus, ac volumus, quòd Inquisitores ipsi quicunque

Confessi Fratribus non tenentur iterum confiteri

Aliter tenentes censuras incurrũt

que

que fuerint, eadem, qua Ordinarij contra tales auctoritate fungantur. Quòd si per quoscunque processus, lites,& controuersias quomodolibet inter ipsos Fratres prænominatos,& ecclesiarum Rectores, ac Ordinarios emergentes, Ordinarij ipsi, seù quicunque alij inhibitionem eleemosynarum per Christifideles Fratribus ipsis faciendarum, quocunque modo fuerint prolapsi: volumus,& præsentium patrocinio decernimus,omnes, & singuli tales inhibentes ipsos excommunicationis incurrant sententiam: & contra tales ipsi Inquisitores hæreticæ prauitatis ad prædictorum Fratrum requisitionem possint, & debeant sicut contra hæreticos procedere.

§. 55. Postremò, cum prædictorum,sicut & Prædicatorum,& Minorum Fratrum Ordinum professores, pro fidei catholicæ dilatatione continuè indefessè laborent, fructùsq; afferant in Dei Ecclesia salutares, & propterea fuerint varijs per Sedem prædictam priuilegijs decorati, vt quos par labor, pariàq; merita coniungunt, paria coniungant priuilegia, & fauores; eisdem Fratrũ Eremitarum professoribus, vt concessis eisdem Fratribus Prædicatoribus, & Minoribus priuilegijs, indulgentijs, gratijs, & fauoribus, ac indultis tàm spiritualibus, quàm temporalibus, à prædictis, & alijs Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris,aut alijs auctoritatem habentibus, quæ omnia, ac si nominatim exprimerentur, haberi hìc volumus pro expressis; & nostræ approbationis munimine solidamus, ac decernimus robur perpetuæ firmitatis obtinere, potiri,gaudere possint, & debeant perpetuis futuris temporibus, in omnibus, & per omnia prorsus, & sinè vlla differentia, perinde ac si quæ eisdẽ Prædicatorum, & Minorũ Fratrum Ordinibus prædictis sunt concessa,præfato Ordini Eremitarum S. Augustini nominatim concessa fuissent, aut concederentur in futurum. Et quæ de Magistro Prædicatorum, & Ministro Generali Minorum, & Prouincialibus Prioribus Prædicatorum, & Ministris Minorum Fratrum, necnõ monasterijs Monialium sub eorundem Prædicatorum, & Minorũ Fratrum cura, & secundùm ipsorum Prædicatorum,& Minorum Fratrum Ordinum instituta viuentium, sunt statuta; in Generali, & Prouincialibus Prioribus, & Vicarij dicti Ordinis Eremitarum, & monasteriorum Monialium dicti Ordinis S. Augustini, sub eorum cura, & secundùm ipsius Ordinis Eremitarum instituta viuentium, viceuersa statuta sint,& esse censeantur.

Cõmunicãtur Priuilegia Prædicatorum, & Minorum.

§. 56. Districtiùs inhibentes eisdem locorum Ordinarijs sub interdicti ingressus ecclesiæ,& suspensionis à regimine, & administratione suarũ ecclesiarum, ac parochialium ecclesiarum Rectoribus, & alijs quibuscunque sub excommunicationis latæ sententiæ, & priuationis earundem ecclesiarum parochialium, ac omniũ aliorum beneficiorum ecclesiasticorum, quæ obtinent, necnon inhabilitatis ad illa, & alia inposterum obtinenda, pœnis eo ipso per eos, qui contrafecerint, incurrendis; ne Ordinis prædicti Fratrum Eremitarum domos, & professores, præter, aut contra prædictarum Innocentij, Bonifacij, Alexandri, Martini, Eugenij, Nicolai, & Benedicti prædictorum, & alio-

Episcopi cõtrauenĩetes Priuilegijs ab ingressu ecclesiæ sunt interdicti. Parochi & alij Rectores excõmunicati sunt.

& aliorum quorumcunque Prædecessorum nostrorum, & præsentium nostrarum literarum tenorē inquietare, seù molestare, & eos aut testamentorum, vltimarùmq; voluntatū executores, & hæredes prædictos, seù quoscunque alios directè, vel indirectè ad solutionem alicuius Quartæ parochialis, seù canonicæ, vel alterius portionis, seù oneris; & ad faciendum celebrari aliquod officium in eorum ecclesijs, vel alibi, dum ad ipsos Fratres decedentium cadauera tumulantur, ante vel post eorum sepulturam cogere: nec confessis dictis Fratribus Eremitarum pro tempore Eucharistiæ, seù Extremæ vnctionis sacramenta sine rationabili causa denegare, vel illorum exhibitionē maliciosè differre, aut eorum Parochianis, ne dictis Fratribus confiteantur prohibere, vel persuadere: nec etiā ad præmissa, seù aliquod præmissorum auxilium, consilium, vel fauorē dare directè, vel indirectè quoquo modo præsumant.

Parochi non possunt cogere ad faciĕdū celebrare officiū in suis ecclesijs pro illis quorum cadauera in nostris ecclesijs tumulantur. Cōfessis Fratribus non possunt Parochi denegare Sacramenta.

§. 57. Et nihilominus cuilibet in dignitate ecclesiastica constituto, & Metropolitanæ, vel alterius Cathedralis ecclesiæ Canonico, qui desuper dicti Ordinis Eremitarum Priores, & Fratres, ac illorum, seù ad cōmodum eorum Romanæ Ecclesiæ Syndicos, desuper requisitus fuerit, per Apostolica scripta insolidū mandamus, quatenus per se, vel alium, seù alios, præmissa vbi, & quando opus fuerit, solemniter publicantes, ac eidem Fratrum Eremitarum Ordini, illorùmq; domibus, ac professoribus in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant eos pacifica possessione, vel quasi priuilegiorum, & concessionū huiusmodi gaudere. Non permittentes eos, seù testamentorum executores, & hæredes prædictos, aut quoscunque alios indebitè molestari, aut eis grauamina, iniurias, atque damna inferri, seù quomodolibet irrogari, ac etiā summariè, & de plano sinè strepitu, & figura iudicij, sola facti veritate inspecta, contra quoscunque cuiuscūque qualitatis, vel conditionis existant, & quacunque ecclesiastica, etiam Patriarchali, Archiepiscopali, & Episcopali, aut mundana forent dignitate, & exemptione muniti, in quibuscunque causis per eos mouendis, quacunque ratione, vel causa, quæ excogitari possit, eis ministrent iustitiæ complementum, exequentes quod per eos fuerit ordinatum: & illos, quos censuras, & pœnas prædictas incurrisse constiterit, illis irretitos esse declarent; ac faciant, & mandent interdictos, suspensos, & excommunicatos publicè nunciari, & ab omnibus arctiùs euitari, ac legitimis super his habēdis seruatis processibus, illos (quoties opus fuerit) iteratis vicibus aggrauare procurēt. Contradictores auctoritate, appellatione postposita, compescendo, inuocato ad hoc (si opus fuerit) auxilio brachij secularis.

§. 58. Non obstantibus præfati Bonifacij Octaui, quibus cauetur, ne quis extra suam Ciuitatem, & Diœcesim, nisi in certis exceptis casibus, & in illis vltra vnam dietam à fine suæ diœcesis ad iudicium euocetur, seù ne Iudices à Sede Apostolica deputati extra Ciuitatem, & Diœcesim, in quibus deputati fuerint, contra quoscunque procedere, aut alij, vel alijs vices suas committere præsumant: & de duabus dietis in Concilio

cilio generali, necnon quæ incipiunt (Super cathedralem) Bonifacij præfati, & dudum Viennensis Concilij, ac recolendæ memoriæ Callisti Papæ Tertij, etiam prædecessoris nostri literis, alijsq; Apostolicis, ac etiam in Prouincialibus, & Synodalibus Cōcilijs editis specialibus, vel generalibus: necnon Othonis, & Othoboni olim in Regno Angliæ Apostolicæ Sedis Legatorum constitutionibus; ecclesiarum quoque, ac locorū quorumlibet statutis, & cōsuetudinibus; & inter quoscunque dicti Ordinis Fratrum Eremitarum professores, ac locorum Ordinarios, seù Rectores prædictos initis, & conclusis, ac hactenus obseruatis pactis, & conuentionibus, etiam iuramento confirmatione Apostolica, vel quauis alia firmitate roboratis: necnon omnibus illis, quæ Innocentius, Bonifacius, Alexander, Clemens, Martinus, Eugenius, & Nicolaus, ac alij Prædecessores præfati in prædictis eorum literis voluerunt non obstare, contrarijs quibuscunque. Quibus omnibus illa, ac si de verbo ad verbum insererentur, & derogatoriarum derogatorias clausulas in se continerent pro expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, quoad præmissa, specialiter, & expresse derogamus. Aut si Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & Rectoribus præfatis, seù quibusuis alijs communiter, vel diuisim à Sede Apostolica indultum existat, quòd interdici, suspendi, vel excommunicari, aut extra, vel vltra certa loca ad iudicium euocari non possint per literas Apostolicas, non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem: & qualibet alia dictæ Sedis indulgentia generali, vel speciali, cuiuscunque tenoris existat, per quam præsentibus non expressam, vel totaliter non insertam, effectus earum, & concessæ in eis iurisdictionis executio impediri posset quomodolibet, vel differri, & de quà, cuiusque toto tenore habenda sit in nostris literis mentio specialis. Nos enim ex tunc illa, & quæcunque alia, quæ in futurum per Nos, vel Sedem Apostolicam quomodolibet concedi, statui, vel ordinari contigerit cōtra Innocentij, Bonifacij, Alexandri, Clementis, Martini, Eugenij, & Nicolai, ac aliorum prædecessorum prædictorum, & præsentium literarum huiusmodi tenorem, necnon secus super his à quoquam, quauis auctoritate, scienter, vel ignoranter attentari contigerit, irrita, & inania, nulliùsq; robori, vel momenti esse decernimus.

§. 59. Et quia difficile foret præsentes literas ad singulas Prouincias originaliter destinare; volumus, & dicta auctoritate decernimus, quòd transumptis earum, manu Notarij publici, & Curiæ causarum Cameræ Apostolicæ, vel Protectoris, qui est, & qui pro tempore erit, aut alicuius Episcopalis, vel Archiepiscopalis sigillo, seù dicti Ordinis Prioris Generalis munitis, ea prorsus in iudicio, & extra, vbicunque exhibita, vel ostensa fuerint, fides adhibeatur indubia, ac si ipsæ originales literæ forent exhibitæ, vel ostensæ.

§. 60. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ innouationis, approbationis, constitutio-

tutionis, ordinationis, applicationis, statuti, concessionis, indulti, extensionis, voluntatis, ampliationis, declarationis, confirmationis, suppletionis, mandati, derogationis, & decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire: Siquis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum.

Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ Millesimo quadringentesimo septuagesimoquarto, septimo Idus Februarij, Pontificatus nostri anno quarto.

Constit. VI.

Ex Transumpto authentico Romæ asseruato in Conuentu Sanctæ Mariæ de Populo, & ex libello antiquo priuilegiorum Ordinis. pag. 63.

Summarium.

In omnibus festiuitatibus Beatæ Mariæ Virginis plenariam Indulgentiam cōsequuntur, qui ecclesiam Sanctæ Mariæ de Populo in Vrbe visitauerint.

1474. *SIXTVS EPISCOPVS Seruus Seruorum Dei.*

Ad perpetuam rei memoriam.

§. 1. INeffabilia gloriosæ Virginis Dei Genitricis Mariæ meritorum insignia deuotæ considerationis indagine perscrutantes, & intra nostræ mentis arcana reuoluentes, quòd ipsa castissimo eius vtero, prout nostri status exigebat necessitas, humanæ salutis auctorem pertulit, & apud eum, quem maternis lactauit vberibus sedulas pro nostræ fragilitatis expiatione preces effundit; dignum, quin potiùs debitum reputamus, vt in honorem sui nominis dedicatas ecclesias, præsertim in locis, vbi miraculorum claritate coruscat, gratiosis remissionum prosequamur impendijs, & indulgentiarum muneribus decoremus.

§. 2. Cupientes igitur, vt ecclesia domus Beatæ Mariæ de Populo iuxta portam Flamineam de Vrbe Ordinis Fratrum Eremitarum Sancti Augustini, (ad quam Romanus Populus, & etiam Curiales, ac alij Christifideles diuersarum nationum, tùm propter diuersa miracula, quæ Omnipotens Deus meritis, & intercessionibus prælibatæ Virginis gloriosæ retroactis temporibus, & præcipuè dum pestis mirum in modum Vrbem ipsam inuaderet, & varijs ægritudinibus fideles Christi obirent, hactenus operata est, & operatur in dies, magnus Populi concursus habeatur. Nosq; hodie considerantes quamplures Christifideles in eadem Vrbe febribus, & alijs ægritudinibus præter consuetudinem magis grauari, & ex illis infra paucos dies decedere, ad præfatam ecclesiam personaliter accessimus, & ibìdem in nostra præsentia orando Dominum, vt aërē salubrem, & infirmis sanitatem ex sui pietate, & misericordia elargiri dignaretur, Missam celebrari fecimus) congruis honoribus frequentetur, ac Christifideles eo libentiùs deuotionis causa ad illam confluant, quò tandem precibus, & meritis præfatæ Virginis adiuti, & per alia bona opera, quæ fecerint, animarum suarum salutem sperauerint adipisci; De Omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum

Indulgentiæ pro ecclesia Sāctæ Mariæ de Populo.

stolorum

stolorum eius auctoritate confisi, omnibus, & singulis Christifidelibus vtriusque sexus verè pœnitentibus, & confessis, qui præfatam ecclesiam in Natiuitatis, Conceptionis, Purificationis, Annuntiationis, Visitationis, & Assumptionis, eiusdem Virginis festiuitatibus, à primis Vesperis vsque ad secundas Vesperas deuotè visitauerint, annuatim singulis earundem festiuitatum diebus, plenariam omnium peccatorum suorum remissionem, & veniam auctoritate Apostolica tenore præsentium in Domino concedimus: præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ Millesimo quadringentesimo septuagesimosecundo, septimo Idus Septembris, Pontificatus nostri anno secundo.

Constit. VII.

Ex Transumpto authentico, asseruato Romæ in Conuentu S. Mariæ de Populo, & in compendio priuilegiorum Ordinis. pag. 63.

Summarium.

Confessores in ecclesia S. Mariæ de Populo Vrbis certo tempore absoluere possunt non secus ac faciunt Pœnitētiarij Minores deputati in Basilica S. Petri de Vrbe.

1472. *SIXTVS EPISCOPVS Seruus Seruorum Dei.*

Ad perpetuam rei memoriam.

§. 1. A Sede Apostolica sunt illa benigno concedēda fauore, per quæ animarum saluti benigniùs consulatur.

§. 2. Cum autem Nos nuper vniuersis Christifidelibus verè pœnitentibus, & confessis, qui ecclesiā Beatæ Mariæ de Populo de Vrbe Ordinis Fratrum Eremitarum S. Augustini, in singulis eiusdem Beatæ Mariæ Virginis festiuitatibus deuotè visitauerint, annuatim omnium peccatorum suorum Plenariam remissionem concessserimus, prout in alijs nostris inde confectis literis pleniùs continetur. Nos vt Christifideles ipsi eandem ecclesiam (vt præfertur) visitantes, conscientiæ pacem, & animarum salutem Deo propitio cōsequantur, ac vt Indulgentiarum huiusmodi commodiùs participes esse possint, cum eis benigniùs agere volentes, quod Prior domus dictæ ecclesiæ de Populo pro tēpore existens sex Sacerdotes ipsius Ordinis S. Augustini idoneos, & discretos in ipsa ecclesia de Populo deputare, ac vnū ex eis Priorem aliorum constituere possit, qui confessiones quarumcunque personarum, eandem ecclesiam causa huiusmodi Indulgentias consequendi visitantium in festiuitatibus prædictis, necnon à media Quadragesima vsque ad Octauā Paschæ Resurrectionis Domini Nostri Iesu Christi, quando à Populo Romano, & à Curialibus propter deuotionē, quam ferunt Beatæ Mariæ Virgini, tùm etiam propter maximū numerum Indulgentiarum eo tempore à diuersis prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus concessarum frequentissimè visitatur, audire, & earum confessionibus diligenter auditis, eisdem personis à quibuscunque peccatis, quæ confitebuntur, sicut Pœnitentiarij minores in Basilica Principis Apostolorum de Vrbe

Confessores S. Mariæ de Populo absoluere possunt vti minores Pœnitētiarij.

deputati faciunt, & facere poſſunt, iniunctis eis pro commiſſis pœnitentia ſalutari, & alijs, quæ de iure fuerint iniungenda, debitam abſolutionem impendere. Ita tamen, quòd ijdem Confeſſores, de his, de quibus fuerit alteri ſatisfactio impendenda, ea dictis perſonis per eas ſi ſuperuixerint, vel alios ſi fortè tunc tranſierint, faciendam iniungat, quam ipſæ perſonæ, vel illi alij facere teneantur (vt præfertur) auctoritate Apoſtolica tenore præſentiũ de vberiori gratia cõcedimus, & etiam indulgemus. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ceterìsq; contrarijs quibuſcunque.

§. 3. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ conceſſionis, & indulti infringere, vel ei auſu temerario contraire: Siquis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum.

Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo quadringenteſimo ſeptuageſimoſecundo, quarto Idus Octobris, Pontificatus noſtri anno ſecundo.

Conſtit. VIII.

Ex Tranſumpto authentico, quod Romæ aſſeruatur in Conuentu S. Mariæ de Populo, in compẽdio priuilegiorum Ordinis. pag. 64.

Summarium.

Ratificantur, & confirmantur Indulgentiæ conceſſæ eccleſiæ S. Mariæ de Populo: & obligatur Populus Romanus ad oblationem vnius Calicis, & Cereorum; & Indulgentiæ extenduntur ad Congregationem.

SIXTVS EPISCOPVS 1472.
Seruus Seruorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam:

§. 1. INter præcipuas noſtri pectoris curas, quibus ex ſuſceptæ ſeruitutis officio vigilantius Nos intendere conuenit, hanc libenter amplectimur, (vt debemus) per quam in ſingulis monaſterijs, & locis regularibus, præcipuè Almæ Vrbis noſtro conſpectui antepoſitis, Religionis vigeat obſeruantia, morum, & vitæ honeſtas, ac vigor diſciplinæ eccleſiaſticæ nulla ratione lenteſcat: ſicq; diuinus cultus inſtauratione perſonarum vtilium, vel accommoda Reformatorum vnione locorum in eis refloreat, & opitulãte Altiſſimo augeatur: quod odore bonæ famæ ſubſtituendi profeſſores in eis, reliquos fideles imitatione ſua ad deuotionem inducant, & animarum ſalutem non modò documentis inſinuent, verùm operibus comprobent pariter, & exemplis.

§. 2. Attendentes itaque, quòd licèt priſcis temporibus ſacræ Religiones inſpiratione ſuperna à Sãctis Patribus inſtitutæ, quibus tanquàm margaritis ornatà Sacroſancta illuſtratur Eccleſia in magna populorum fidelium deuotione perſtiterint; cauſantibus tamen poſtmodùm ſiniſtris euentibus, populorum eorundem diminutione, & peccatis facientibus, frigeſcente charitate, & fide multorum, exemplaris quoque vitæ Religioſis deficientibus: tùm etiam quia nonnulli eorum paſſim à veteri inſtitutione defluxerunt; & quòd inter alia Cœnobia, & loca religioſa dictæ Vrbis, deuotiſſima eccle-

ſia

ſia Beatæ Mariæ de Populo, in cuius domo Ordinis Fratrum Eremitarum S. Auguſtini profeſſores ſub obſeruantia regulari degentes, numero, & meritis non imparibus degere cõſueuerant, ad diminutionem non modicam deueniſſe. Nos, qui eccleſiæ, & domui antedictis ipſius glorioſæ Virginis meritis præclaris afficimur, horum conſideratione inducti, tum pro reminiſcentia miraculorum, quæ ipſa Dei genitrix vniuerſo Romano populo tam patenter oſtẽdit, ac etiam animarum ſalute credentium; Vniuerſis, & ſingulis vtriuſque ſexus fidelibus verè pœnitentibus, & confeſſis, qui eccleſiam dictæ domus, in Conceptionis, Natiuitatis, Annunciationis, Purificationis, Viſitationis, & Aſſumptionis eiuſdem glorioſiſſimæ Virginis feſtiuitatibus deuotè viſitarent, annuatim plenariam omnium peccatorum ſuorum remiſſionem, & Indulgentiam gratioſè conceſſimus.

Populus Romanus obligatur ad oblationẽ vnius Calicis argẽtei:

§. 3. Et inſuper eccleſiam ipſam amplioribus honoribus decorare cupientes; ſtatuimus, & ordinamus, quòd dilecti filij nobiles viri dictæ Vrbis Senator, Conſeruatores Cameræ, & Capita regionum, qui erunt pro tempore, cum omnibus alijs Officialibus dictæ Vrbis, ſingulis annis in feſto Conceptionis eiuſdem Virginis perpetuis futuris temporibus dictam eccleſiam deuotè viſitarent, & duos cereos magnos, iuxta morẽ ipſorum in viſitatione quarundam aliarum eccleſiarum dictæ Vrbis obſeruari conſuetum, ac etiam vnum Calicem argenteum valoris quindecim ducatorum auri de pecunijs Cameræ dictæ Vrbis emendos, eidem Genitrici puro corde offerre, & largiri teneantur, debeant cum debita reuerentia, & honore.

§. 4. Cupientes itaque, vt quemadmodum eccleſia dictæ domus de Populo, ipſius ſacratiſſimæ Virginis diuino illuſtratur ſplendore, noſtròq; præſidio ob ſingularem deuotionẽ, & reuerentiam, quas ad ipſam Cælorum Reginam ſemper geſſimus, & habemus, pro eius veneratione, gloria, & honore, animarùmq; ſalute, peccatorum Indulgentia, & remiſſione plenaria, in ſingulis eius feſtiuitatibus antedictis, non immeritò ſublimata, & decorata eſt: ita quoque diuino cultu, aſſiduis laudibus, & veneratione præcipua, atque ſpiritualibus ſuffragijs decoretur; & in ea, Deo, ipſiq; eius Genitrici prædictæ excepta plantaria, quæ ſibi gratum exhibeant famulatum, ac die, noctùq; debita cum puritate mentium, laudum exoluant præconia, & ipſius Ordinis inſtitutis regularibus ſe conforment, prouiſionis noſtræ auſpicijs ſurrogentur, diuinorũ cultus, & obſeruantia regularis (prout tota mente appetimus) inſtaurẽtur in ea, & annuente Altiſſimo, vigeant in futurum; Motuproprio, nõ ad cuiuſquam Nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed de noſtra mera deliberatione, ordinatione, & voluntate, eccleſiam, & domum Beatæ Mariæ de Populo antedictas ſub Beati Petri, & noſtra, ac Apoſtolicæ Sedis protectione ſuſcipimus: necnon Congregationem dilectorũ filiorum Fratrum regularis obſeruãtiæ dicti Ordinis Prouinciæ Lombardiæ, omnèſque, & ſingulas ipſorum domos, & loca ſecundùm inſtituta regularia dicti Ordinis reformata, & ſub huiuſmodi obſeruantia regulari

degentia, eidem domui Beatæ Mariæ de Populo, auctoritate Apostolica, tenore præsentium, ex certa scientia incorporamus, annectimus, & vnimus: statuentes, ac etiam decernentes, quòd de cetero perpetuis futuris temporibus ecclesia, & domus de Populo memoratæ cum Congregatione prædicta vnum corpus existāt; & sicut cetera Congregationis loca, quæ per Vicarium, & Fratres Congregationis eiusdem reguntur, & gubernantur, sic & ipsa domus de Populo per eos iuxta ipsorum ritus, mores, & instituta prædicta regi, & gubernari debeat perpetuò in futurum.

§. 5. Quòdq; Fratres, qui absque Vicarij, vel Capituli Congregationis eiusdem speciali licentia super hoc petita, & obtenta ab ipsa Congregatione recesserint, sententiam excommunicationis tàm ipsi, quàm eos recipientes incurrant, etiamsi licentiā huiusmodi obtinerent à Priore Generali dicti Ordinis: cui, ne aliquem ex Fratribus Congregationis prædictæ tàm in ipsa de Populo, quā alijs domibus, & locis dictæ Congregationis per illius Vicarium, & Capitulum deputatos remouere, vel aliū, seù alios, qui de Fratribus ipsius Cōgregationis non sit, in eadem domo de Populo collocare præsumat, sciētia, motu, & auctoritate similibus districtius inhibemus, decernentes ex nunc irritum, & inane si secus super his per ipsum contigerit attentari.

§. 6. Et nihilominus Congregationi prædictæ, eiùsq; professoribus, domibus, & locis vniuersis, auctoritate præsentium concedimus, & pariter indulgemus, quòd literis fel. rec. Pauli Papæ Secundi prædecessoris nostri dictæ Congregationi concessis, quarum tenorem ac si in præsentibus de verbo ad verbum insertus esset, haberi volumus pro expresso, aliàs in sua firmitate manentibus, ipsi omnibus, & singulis priuilegijs, exēptionibus, libertatibus, immunitatibus, indultis, indulgentijs, & gratijs ecclesiæ, & domui de Populo prædictis, earùmq; personis per Sedē Apostolicam hactenus concessis (plenaria tamen Indulgentia, per Nos ipsi ecclesiæ de Populo in festiuitatibus prædictis (vt præfertur) concessa, duntaxat excepta) in omnibus, & per omnia vti valeant, & gaudere.

§. 7. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon statutis, & consuetudinibus domus de Populo, Congregationis, & Ordinis prædictorum, etiam confirmatione Apostolica roboratis; quibus in quantum præmissis in toto, vel in parte obsisterent, etiam si de eis, eorùmq; tenoribus habenda esset mentio specialis, motu, sciētia, & auctoritate similibus derogamus expressè, ipsis aliàs in suo robore permansuris, ceterìsq; contrarijs quibuscunque.

§. 8. Nulli ergo omninò hominū liceat hanc paginam nostræ susceptionis, incorporationis, annexionis, vnionis, statuti, constitutionis, inhibitionis, decreti, concessionis, indulti, voluntatis, & derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire: Siquis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotētis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum.

Datum Romæ apud sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ Mille-

Millesimo quadringētesimo septuagesimosecundo, decimo Calendas Ianuarij, Pontificatus nostri anno secundo.

Constit. IX.

Ex Transumpto authentico Romæ asseruato in Conuentu Sanctæ Mariæ de Populo, & in libro Compendij priuilegiorum Ordinis. pag. 67.

Summarium.

Ratificantur priuilegia: vnitur ecclesia Sanctæ Susannæ ad Sanctam Mariam de Populo: Bonorum temporalium Fratrum dispositio quomodo sit facienda.

SIXTVS EPISCOPVS Seruus Seruorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. 1. Apostolicæ solicitudinis studiū super Nobis dispositione commissum, hanc inter curas multiplices vigilantiam nostris oculis anteponit, vt circa ea, per quæ diuini cultus augmentum proueniat, ecclesiarum verò, & monasteriorū, ac in eis sub regulari obseruātia Altissimo famulātium personarum pacifico, & tranquillo statu consulatur, totis viribus intendamus, ac his, quæ propterea proinde processisse comperimus, vt perpetuò illibata persistant, adijciamus nostri muniminis firmitatem.

§. 2. Olim siquidē in nostri Apostolatus primordijs, inter alia attendentes, quod domus Beatæ Mariæ de Populo almæ Vrbis Ordinis Fratrum Eremitarum S. Augustini, in qua diuina ministeria, magna ex parte neglecta, & regularis obseruantiæ norma depressa manifestè videbantur, in spiritualibus, & temporalibus reformatione non modica indigeret; Nos, qui ab ineunte ætate ipsi deuotissimæ Virgini semper affectissimi, & deuoti extitimus, iacturam, & deformitatem huiusmodi ferræ æquanimiter non valentes; vt diuinus cultus, & regularis obseruantia antedicta iuxta ipsius decentiam, & nostri cordis desiderium in ea florerēt, & continuum susciperent incrementum, ac personarum regularium exēplaris vitæ decenti numero muniretur; domum prædictam Congregationi Fratrum Congregationis Lōbardiæ nuncupatæ Ordinis, & obseruantiæ prædictorū applicauimus, incorporauimus, & concessimus: volentes, ac etiam statuentes, quòd per Vicarium, Visitatores, & Capitulum Congregationis eiusdem, iuxta ipsorum ritus, mores, consuetudines laudabiles, & ipsius Ordinis regularia instituta perpetuis futuris temporibus regeretur. Quòdque in locis, vbi ipsius Cōgregationis domus existerent, ad quindecim milliaria propè, nullus absque Vicarij, Visitatorum, & Fratrū Congregationis eiusdem consensu, domos eiusdem Ordinis sub nomine obseruantiæ Sācti Augustini de nouo exigere quoquo modo præsumeret.

Sixtus Quart. applicauit ecclesiam, & conuentum S. Mariæ de Populo Congregat. Lōbardiæ.

§. 3. Primò, & deinde, ipsius domus de Populo ecclesiam tunc exiguam, humilem, & vetustam, à fundamentis opere sumptuoso de nouo erectam, pro soli capacitate ampliauimus, & etiam decorauimus pro ipsius Virginis gloriosæ veneratione maiori, ac deuotione Romani Populi amplianda.

§. 4. Cupientes itaque, ecclesiā, & do-

& domum prædictas vberibus donis, & gratiarum muneribus decorare: & sicut in illa, ita etiam in ecclesia S. Susannæ, etiam de Vrbe dicti Ordinis, quæ licèt tituli Cardinalis sit; pro eius tamen reformatione faciẽda (vt à nonnullis asseritur) domui Sancti Ioannis de Carbonaria extra muros Neapolitanos dicti Ordinis dudum vnita, & per Nos nuper in suis structuris in seipsos collapsis, & ad ruinam manifestè tendentibus, multipliciter reparata, & instaurata fuit, diuinus cultus debitè peragatur, & vigeat dicti Ordinis obseruãtia regularis, quibus penitus destituta existit; Motuproprio, non ad Vicarij, aut Congregationis prædictorum, vel alterius pro eis Nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam; sed de nostra mera deliberatione, & ex certa scientia, vnionem domus, & ecclesiam Sanctæ Susannæ prædictã, eidẽ domui de Carbonaria (vt præmittitur) factam, si qua sit auctoritate Apostolica, præsentium tenore dissoluimus, ipsasq; domum, & ecclesiam Sanctæ Susannæ in pristinũ, & eum statum, in quo erat antequàm dictæ domui Sancti Ioannis vniretur, & incorporaretur, restituimus, reponimus, & reintegramus, illàmq; sic restitutam Priori, & Fratribus dictæ domus de Populo, per eos iuxta ritus, & mores prædictos perpetuò regendam, & gubernandam, cum omnibus bonis, iuribus, & pertinentijs suis, motu, scientia, & auctoritate prædictis concedimus, eidèmq; domui de Populo perpetuò vnimus, annectimus, & incorporamus.

Ecclesia S. Susannæ olim vnita Cõgregationi S. Ioannis de Carbonaria

§. 5. Et ne inposterum Vicarium, & Congregationem prædictos super illius bonis, quæ Fratribus prædicti Ordinis in prædictis, & alijs domibus ipsius Congregationis per Fratres receptis, seù ex illorum personis Ordini hactenus obuenerunt, & pro tempore obuenient, indebitè molestari, aut inquietari contingat; Motu, scientia, & auctoritate similibus statuimus, & ordinamus, quòd bona quæcunque olim Fratrum dicti Ordinis, qui regularem habitum susceperunt in prædictis de Vrbe, & alijs dictæ Congregationis domibus, ante, vel post factam ipsarum domorũ dictæ Congregationi incorporationem, & inposterum suscipient, obuenerunt, vel obuenient in futurum iure hæreditario, aut aliàs ex eorum industria; ad domos ipsas, in quibus habitum huiusmodi suscepisse noscuntur, pleno iure pertineant, & illis decedentibus, per Priores, & Fratres domorum eorum possint liberè vendicari quacunque Fratrum earũdem professione alibi emissa non obstante.

§. 6. Quòdque prædictæ de Vrbe, & aliæ domus dicti Ordinis Congregationi præfatæ hactenus concessæ, & inposterum concedendæ, omnibus, & singulis prædictis, & alijs ipsi Ordini, & Congregationi, olim in genere, vel in specie concessis priuilegijs, & indultis, ac inposterum concedendis, gaudeant, & vtantur, ac si eis, & singulis ipsorum domibus in specie concessæ fuissent: quibus quidem concessionibus, priuilegijs, & indultis per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de Cõgregatione, & nostra concessione huiusmodi mentionem, nullatenus censeri volumus derogatum.

§. 7. Districtius inhibentes omnibus,

bus, & singulis cuiuscunque dignitatis, gradus, ordinis, vel conditionis existant, & quacunque dignitate,& auctoritate præfulgeant, ne Vicarium, & Congregationem prædictos super prædictis de Vrbe,& alijs dictæ Congregationi, nunc, & pro tempore incorporatis domibus huiusmodi, quouis modo, directè, vel indirectè sub excõmunicationis pœna, quam monitione præmissa, eo ipso incurrant,molestare præsumãt. Mandantes nihilominus nostro in spiritualibus in Alma Vrbe Vicario pro tempore existenti, ac aliorum, in quibus Vicarius,& Fratres prædictæ Congregationis domos habent, locorum Ordinarijs, quatenus ipsi per se, vel eorum Officiales,Vicario, & Fratribus præfatis efficacis defensionis præsidio assistentes, præmissa vbi, & quando expedire cognouerint, fuerìntq; desuper pro parte Vicarij, & Fratrum Congregationis prædictorum legitimè requisiti, solemniter publicantes, non permittant eos super Sanctæ Mariæ, & Sanctæ Susannæ, alijsq; domibus, quas inhabitant, earùmq; bonis, iuribus, & pertinentijs, earundem etiam ex personis Fratrum obuenientibus huiusmodi, per quoscunque, & quauis auctoritate quomodolibet molestari: Contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita compescendo, inuocato ad hoc (si opus fuerit) auxilio brachij secularis.

§. 8. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis; necnon Ordinis,& Congregationis, ac domorum prædictarum iuramento,confirmatione Apostolica, vel quauis alia firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus contrarijs quibuscunque: seù si aliquibus communiter, vel diuisim à Sede prædicta indultum existat,quòd interdici, suspendi, vel excommunicari nõ possint per literas Apostolicas, non facientes plenam, & expressam de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

§. 9. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ dissolutionis,restitutionis,reintegrationis, concessionis, vnionis, annexionis, incorporationis, statuti, ordinationis, mandati, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire: Siquis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctũ Petrum, anno Incarnationis Dominicæ, Millesimo quadringentesimo septuagesimoseptimo, Calendis Decembris, Pontificatus nostri anno septimo.

Constit. X.

Ex Transumpto authentico Romæ asseruato in Conuentu S. Mariæ de Populo, & in libro compendij priuilegiorum Ordinis. pag. 68.

Summarium.

Omnibus Sabbathis Quadragesimæ plenaria Indulgentia peccatorum habetur in ecclesia S. Mariæ de Populo.

SIXTVS EPISCOPVS 1478.
Seruus Seruorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. 1. CVm ineffabilia gloriosæ genitricis Dei Mariæ merita

merita deuotè, & piè consideramus, & intra nostræ mentis penetralia recolimus, quòd ipsa castissimo eius vtero (prout nostri status exigebat necessitas) humanæ salutis gestauit auctorem, & apud eum, quem maternis lactauit vberibus, sedulas pro nostrorum peccatorum, & delictorum remissione preces effundit; dignum, quin potiùs debitum reputamus, vt in honorem sui nominis dedicatas ecclesias, præsertim in Alma Vrbe, gratiosis remissionum prosequamur impendijs, & indulgentiarum muneribus decoremus.

§. 2. Cupientes igitur, vt ecclesia domus Beatæ Mariæ de Populo, iuxta portam Flamineam dictæ Vrbis, Ordinis Fratrum Eremitarum S. Augustini, sub regulari obseruantia, & Congregatione Lombardiæ degentium, quam nuper solo prius æquatam, & in præsentem structurarum formam redactam, regularis obseruantiæ professorum, & Virgini laudes, ac preces assiduè pro vniuerso populo decantantium copioso numero, pro gemmis pretiosissimis, alijsque pro obseruantia necessarijs ornatibus decorauimus: & ad quam ecclesiam, ac plurimùm venerandam dulcissimæ Virginis Dei genitricis imaginem inibi mirificè reconditam, sicut à dilectis filijs Guidone de Arpagionio, Antonio de Sancto Vesano, Ioanne Vicecomite de Ambris, & alijs eorum collegis, charissimi in Christo filij nostri Ludouici Francorũ Regis Illustris Oratoribus, Nos cum pro consuetudine, & deuotione nostra iremus, comitãtibus accepimus: dictus Ludouicus Rex, eiusq; natus Dalfinus, & dilecta in Christo filia Anna eius coniux

Imago S. Mariæ de Populo à S. Luca depicta.

ob celebrem, in Curia maximè, & vbique terrarum huius deuotissimæ Imaginis à Sancto Luca depictæ famam, ac frequentium signorum, gratiarum, & miraculorum coruscationem, singularem gerunt deuotionis affectum, congruis honoribus frequentetur: proq; illorum felici statu conseruando, ac vniuersali Christifidelium pace impetranda, à dilectis filijs Priore, & Fratribus ibidem existentibus Deo, & Beatæ Virgini frequentius exoluantur debitæ gratiarũ actiones, ac Romanus Populus, necnon Curiales, & alij Christifideles eo libentiùs deuotionis causa ad illam confluant, quo ex hoc ibidem dono cælestis gratiæ conspexerint se refectos; Motuproprio, & ex certa nostra scientia, ac mera deuotione, quã ad Imaginem ipsam etiam gerimus, de Omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus, & singulis Christifidelibus vtriusque sexus verè pœnitentibus, & confessis, qui præfatam ecclesiam die Sabbathi singularum hebdomadarum Quadragesimæ deuotè visitauerint, annuatim omnium peccatorum suorum remissionem, & veniam auctoritate Apostolica, tenore præsentium concedimus.

Diebus Sabbathi Quadragesimæ Indulgentia plenaria.

§. 3. Et vt fideles ipsi ad dictam ecclesiam pro Indulgentijs consequendis pro tempore confluentes, illarum capaces faciliùs efficiantur: Priori pro tempore existenti dictæ domus, sex Presbyteros ipsius Ordinis idoneos, qui eorundem fidelium in ecclesia, & diebus prædictis confessiones audire, & eorum confessionibus diligenter auditis, eisdem personis, à quibuscunque peccatis, quæ con-

confitebuntur, sicut Pœnitentiarij minores in Basilica Principis Apostolorum de Vrbe deputati faciunt, & facere possunt, iniunctis eis pro commissis pœnitẽtia salutari, & alijs, quæ de iure fuerint iniungenda, debitam absolutionem impendere: ita tamen, quòd ijdem Confessores, de ijs, de quibus fuerit alteri satisfactio impendenda, eam dictis personis, per eas, si superuixerint, vel alios, si fortè tunc transierint, faciendam iniungant, quam ipsæ personæ, vel aliæ facere teneantur (vt præfertur) deputandi, plenam, & liberam eisdem auctoritate, & tenore licentiam concedimus, & etiam facultatem: Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis contrarijs quibuscunque; præsentibus perpetuis futuris temporibus valituram.

§. 4. Per hæc autem, Indulgentijs, etiam plenarijs concessis, visitãtibus ecclesiam prædictam, & manus inibi porrigentibus adiutrices, tàm à Prædecessoribus nostris, quàm à Nobis, & præsertim in nonnullis eiusdem Virginis Mariæ festiuitatũ diebus, nullatenus intendimus derogare; imò volumus, quòd si contingat festum Annuntiationis eiusdem Virginis Mariæ in aliquo ex prædictis Sabbathi diebus celebrari, tunc visitantes ecclesiam prædictam illo, & etiam sequenti Dominico die Indulgentiam huiusmodi consequantur.

§. 5. Nulli ergo omninò hominũ liceat hanc paginam nostræ concessionis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire: Siquis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurũ.

Datum Romæ apud sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ Millesimo quadringẽtesimo septuagesimooctauo, decimo Calendas Iulij, Pontificatus nostri anno octauo.

Constit. XI.

Ex libello antiquo Priuilegiorum Ordinis. pagina 69.

Summarium.

Religiosi obseruantiæ quorumcunque Ordinum loca professorum Conuentualium recipere non possunt sub pœna excommunicationis latæ sentẽtiæ.

SIXTVS EPISCOPVS *1475.*
Seruus Seruorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. 1. DVm singulos regulares Ordines, & loca sanctimoniæ debita, illorùmq; personas paterno conspicimus intuitu, ad eas præcipuè nostræ dirigimus considerationis affectum, quæ mundanis abdicatis illecebris, spiritum paupertatis assumentes, eleemosynarum eis erogandarum quæstu potiùs, quàm copijs diuitiarum victum quærentes, iugiter præstant Domino famulatũ, suìsq; vitæ sanctimonia, & salubribus prædicationibus populum Dei ad benè, deuotèq; viuendum inducunt, illòsq; prout ex iniuncto Nobis cælitùs seruitutis officio congruit, ab omni conamur vexatione tueri, vt vestri ministerij præsidio eorũ status prosperetur vbilibet, & personæ ipsæ propulsis quibus obrui possint dispẽdijs, felicis status eiusdem suscipiant incrementa.

§. 2.

§. 2. Sanè dudum, cum in minoribus constituti, in Ordine Fratrum Minorum Generalis Ministri fungeremur officio, intelleximus, & post nostram ad summi Apostolatus apicem assumptionem, à dilectorum filiorum Fratrum Prædicatorum, Minorum, & Eremitarum S. Augustini, & Beatæ Mariæ de Monte Carmeli Ordinũ Generalibus Magistris, Ministro, & Prioribus, qui pro tempore fuerunt, & aliorum dictorum Ordinum professorum relatione nõ sine querela accepimus, quòd laici in diuersis mundi partibus constituti proprijs incumbentes affectibus, dũ Magistri, Ministri, & Priores ipsi tàm Generales, quàm Prouinciales, & domorum eorundem Ordinum Custodes, Guardiani, ac Fratres Conuentuales nuncupati dictarum domorum iura prosequuntur, ac pecunias, & bona ad licitos vsus eorundem Fratrum pia Christifideliũ largitione eis, & eorum domibus, & Ordinibus relicta, seù legata, aut aliàs debita, ab eisdem laicis exigere curant, aut ipsarum domorum bona præfatis laicis pro eorum beneplacito, & voluntate concedere, seù ciuiles laicorum eorundem dissensiones particulares, discordias, & factiones sequi, vel aliàs in his, quæ laici ipsi à Magistro, Ministris, Prioribus, Guardianis, & Fratribus memoratis minùs licitè postulant, eisdẽ complacere recusant: ac recusanti, ac aliàs dum laici ipsi Magistrum Ministros, Priores, Guardianos, & Fratres prædictos alijs varijs plerunque occasionibus ea, qua debent affectione non prosequuntur, vt se de eisdem Magistro, Ministris, Prioribus, Custodibus, Guardianis, & Fratribus memoratis Conuentualibus nuncupatis valeant vindicare, aut occupatorum per ipsos laicos bonorum ad domos eorundem Fratrum pertinẽtium restitutionem differre: & si domus ipsæ ad Fratres dictorum Ordinũ de Obseruantia nuncupatos perueniant, bona illorum eis accommoda emere, & pro minori pretio, quàm valeant habere possint, exquisitis medijs curant, quòd domus ipsæ Ordinum eorundem per dictos Fratres Conuentuales longo tempore possessæ, & inhabitatæ, Fratribus de obseruantia, vel alio nomine nuncupatis eorundem Ordinum concedantur, nouas gabellas, & onera, à quibus Fratres ipsi exempti sunt, ab eis exigere, varia grauamina eis inferre, & alias iniurias irrogare præsumunt: ex quo plurima eisdem Fratribus Conuentualibus incommoda proueniunt.

§. 3. Nam metu molestiarum huiusmodi, quas eis inferri formidant in exigendo, & prosequendo domorum suorum iura, timidiores reddũtur, & eosdem laicos vereri vltra quã deceat, & à liberè prædicando (quod illos tangit) abstinere, & illis vltra quàm ipsorum qualitas exigat, & Ordinorum prædictorum vtilitas persuadeat, differre coguntur inuiti, non absque diuinæ Maiestatis offensa, & Ordinum eorundem graui præiudicio, & iactura; adeò, vt propter incommoda prædicta etiam aliqui dictorum Ordinum professores nonnunquam domos deserãt, & ad alios non Mendicantium Ordinũ se transferant, tales molestias euitare curantes: aliqui verò, qui Ordines ipsos ingrederentur, ab ingrediendo abstinere cernantur; quod ad eorundem Ordi-

Ordinum perniciem paulatim cedere, manifestè dignoscitur.

§. 4. Nos igitur, (qui dum Generalis Ministri dicto fungeremur officio pro quiete vniuersorum professorum dicti Ordinis Fratrum Minorum tàm Conuentualium, quàm de Obseruantia, seù Bulla, aut aliàs iuxta diuersarum regionum consuetudinem nuncupatorum, procurauimus, quòd fel. rec. Paulus Papa Secundus prædecessor noster sub censuris, & pœnis ecclesiasticis tunc expressis inhiberet vniuersis Fratribus prædictis, vt prædicti Fratres de Obseruantia nuncupati domos eorundẽ Fratrum Conuentualium Ordinis Fratrum Minorum, aut aliàs pro eorum habitatione quærere, vel recipere, vel quòd monasteria Monialium curæ eorundem Fratrum Conuentualium commissa, ipsorum Fratrum de Obseruantia curæ committerentur, etiam quærere præsumerent, prout in eisdem Prædecessoris literis desuper confectis pleniùs continetur) tot malis, quot Prædicatorum, Minorũ, Eremitarum S. Augustini, & Carmelitarum Sanctæ Mariæ Ordinũ Mendicantium professores prædicti Conuentuales nuncupati, quorum scientia, & doctrina militans Ecclesia cõtinuè suscipit incrementa, ex præmissis patiuntur, vt tenemur, obuiare cupientes; Motu proprio, non ad prædictorum Magistri, Ministri, Priorum, Custodum, Guardianorum, & Fratrum Conuentualium, vel alterius pro eis Nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed de nostra mera deliberatione, & ex certa scientia, literas Prædecessoris huiusmodi ratas habentes, & innouantes; Omnibus, & singulis Clericis, & Religiosis de Bulla, vel aliàs de Obseruantia nuncupatis Ordinum quorumcũque, ac laicis vtriusque sexus cuiuscuis dignitatis, gradus, Ordinis, vel conditionis fuerint, etiamsi Marchionali, Ducali, Comitali, Patriarchali, Archiepiscopali, Episcopali, Abbatiali, & alia qualibet ecclesiastica, vel mundana præfulgeant dignitate, & auctoritate, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ eo ipso toties quoties illos contrafacere cõtigerit incurrenda, ne quòd domos, & loca professorum dictorum Ordinum Conuentualium nuncupatorum, aut monasteria Monialium eorum curæ commissa, alijs Fratribus, Monialibus, seù Sororibus etiam eiusdem Ordinis, quouis nomine nuncupatis quomodolibet concedantur: aut quòd amotis exinde Fratribus, & Sororibus, illas, & illa inhabitantibus reformentur, & alij Fratres, aliæuè Moniales, seù Sorores eorum loca surrogentur, & substituantur ibidem; seù quòd monasteria prædicta aliorum curæ committantur, procurare, quærere, aut tentare, nisi apud Magistrum, Ministros, & Priores Generales, vel Prouinciales dictorum Ordinum pro tẽpore existentes, qui teneantur, & debeant quoties oportunum fuerit, & postquàm fuerint requisiti, infra annum domos ipsas debitè reformare, & quia correctione, & emendatione indigerent, corrigere, & emendare.

Domus, & loca Conuentualiũ, à Fratribus Obseruãtibus occupari non possunt sub prætextu reformationis.

§. 5. Nec etiam ad effectum huiusmodi amotionis eorum à domibus suis, eisdem Fratribus Conuentualibus, & eorum curæ commissis Monialibus iniurias, & grauamina aliqua inferre, seù ab eisdem Fra-

tribus, pro rebus, & bonis, quæ habent, & negotiationis causa non deferrent, pedagia, guidagia, gabellas, & alia quouis nomine nuncupata onera noua petere, exigere, vel leuare quoquo modo præsumant, auctoritate Apostolica, præsentium tenore districtiùs inhibemus, ac volumus; & Motu, scientiàq; prædictis statuimus, & ordinamus, quòd Fratres ipsi Conuentuales, ac Sorores, & alij quibuscunque reformationibus, quas fieri continget per Generales, aut Prouinciales prædictos acquiescere, illàsq; obseruare omninò teneantur, & debeant.

§. 6. Quòdq; laici prædicti in faciendis reformationibus prædictis aliàs, quàm vt præfertur, nullatenus se intromittant, aut ne fiant, opponant, vel contradicant; nec quòd postmodùm factæ reformationes alterentur, vel mutentur, aut in eis aliquid vltra addatur, quærere audeant, sub eadem excommunicationis sententia si contrafecerint eo ipso ex tunc incurrenda; decernentes irritum, & inane si secus super his à quoquam, quauis auctoritate, scienter, vel ignoranter, harum non inserto tenore, contigerit attentari.

§. 7. Et nihilominus præsentibus, & futuris pro tempore dictorum Ordinum Protectoribus, omnibùsque, & singulis Prælatis, & alijs personis ecclesiasticis in dignitate constitutis; necnon ecclesiarum Cathedralium, etiam Metropolitanarũ Canonicis per Apostolica scripta mandamus; quatenus ipsi, & quilibet eorum per se, vel alium, seù alios respectiuè dictis Magistro, Ministris, Prioribus, Custodibus, Guardianis, & Fratribus Conuentualibus, in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, ac præmissa omnia, & singula, vbi, & quando expedire cognouerint, fuerintq; desuper requisiti, solemniter publicantes, non permittant eos, vel eorum aliquem contra præsentium tenorem per quoscũque quomodolibet inquietari, seù molestari, ac illos omnes, & singulos, quos eis huiusmodi excommunicationis sententiam incurrisse cõstiterit, quoties super hoc pro parte aliquorũ ex Magistro, Ministris, Prioribus, Custodibus, Guardianis, & Fratribus prædictis Conuentualibus fuerint requisiti, in ecclesijs, & alijs locis, vbi eis videbitur, excommunicatos publicè nuncient, faciàntq; ab alijs nunciari, & ab omnibus arctiùs euitari, donec præuia debita satisfactione meruerint ab eadem excommunicationis sententia absolutionis beneficiũ obtinere: Contradictores per censurã ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo.

§. 8. Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon prædictorũ Ordinum iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus: quibus omnibus, etiamsi de illis, eorùmq; totis tenoribus specialis, specifica, & expressa mentio præsentibus habenda foret, tenore præsentium quoad præmissa simili scientia derogamus, & illa pro infectis haberi volumus, contrarijs quibuscũque, aut si personis, & Fratribus prædictis, vel quibusuis alijs communiter, vel diuisim à Sede Apostolica indultum existat, quòd interdici, suspendi, vel ex-

excommunicari non possint per literas Apostolicas, non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem; & qualibet alia dictæ Sedis Indulgentia generali, vel speciali cuiuscunque tenoris existat, per quam præsentibus non expressam, vel totaliter non insertam, effectus earum impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de qua, cuiùsque toto tenore habenda sit in nostris literis mentio specialis.

§. 9. Postremò, quia difficile foret præsentes literas ad singulas Prouincias originaliter destinare, volumus, & dicta auctoritate decernimus, quòd transumptis earum manu Notarij publici, & Curiæ Causarũ Cameræ Apostolicæ, aut alicuius Episcopalis, vel Archiepiscopalis sigillo munitis, ea prorsus in iudicio, & extra vbicunque exhibita, & ostensa fuerint, fides adhibeatur, ac si ipsæ originales literæ exhibitæ forent, & ostensæ.

§. 10. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ ratihabitionis, innouationis, inhibitionis, statuti, ordinationis, constitutionis, mandati, derogationis, voluntatis, & decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire: Siquis autẽ hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctũ Petrum, anno Incarnationis Dominicæ, Millesimo quadringentesimo septuagesimoquinto, Calendis Maij, Pontificatus nostri anno quarto.

SIXTI QVINTI.

Constit. I.

Ex Bulla originali cum sigillo plumbeo, quæ asseruatur Romæ in Archiuo Ordinis, nu. 1.

Summarium.

Festum Sancti Nicolai de Tolentino, ritu duplici vbique terrarum celebrari debet.

SIXTVS EPISCOPVS 1585.
Seruus Seruorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. 1. SAncta Romana vniuersalis Ecclesia, quos Omnipotens Deus, sicut Sol in conspectu suo fulgẽtes in cælo coronat pro cultu, & admirabili cultu per anni circuitum, die vt plurimum, quæ eos ad cælestia Regna migrare contigit, in terris voluit venerari, vt eorum Christifideles gloriosa memoria incensi, & exemplis inflammati, per exercitium bonorum operum, pijs etiam suffragijs adiuti, diuinæ Maiestatis gloriam in Sanctis suis agnoscere, & ipsius beneficia promereri faciliùs valeant.

§. 2. Ad hunc itàque laudabilem Sanctorum numerum Beatus Nicolaus Tolentinas, de cuius vita, conuersatione, & sancta obdormitione in Domino Tolentinates gloriantur, regularia S. Augustini Eremitarum instituta amplexus cum tanta vitæ puritate, & integritate contendit, vt ipsius viri sanctitas longè latèq; per diuersas mundi regiones, ad Indos vsque Occidentales propagata, diffusaq; sit. Hunc itaque miraculorum signis, in quo Dei benignitas

in vita, ac post mortem operari, adducti fel. rec. Ioannes Vigesimussecundus, & Innocentius Sextus primò in numerum Sanctorum referre concurrerunt, & deinde piæ memoriæ Eugenius Quartus Romani Pōtifices prædecessores nostri eorundē Sanctorum catalogo solemni ritu adscripsit, post eius relationem inter numerum Sanctorum, celeberrimū, maximùmq; illud miraculum extitit, quòd Ecclesia Romana iam per annos amplius quinquaginta schismatum dissidijs grauiter afflicta, huius Beati viri meritis, & intercessione sublatis erroribus, pacem (præter spem) summam consecuta est.

Festum S. Nicolai de Tolētino duplici officij ritu celebrandū, & in Calēdario Romano scribendum.

§. 3. Quare Nos, qui ecclesiæ Firmanæ, in cuius Diœcesi Oppidum Sancti Angeli, vbi Sanctus ipse Nicolaus est ortus, consistit, in minoribus constituti præfuimus, nomen, & sanctitatem ipsius Beati Nicolai dignis quantum nostra patitur infirmitas honoribus decorare volentes, hac præsenti nostra constitutione mādamus vt eiusdem Beati Nicolai Confessoris gloriosi dies festus quarto Idus Septembris agatur, duplicìque posthac, & proprio, & vbi propria nō erunt, de communi Confessorum nō Pontificum Officio per cūctas totius Christiani orbis Ecclesias singulis annis, perpetuis futuris temporibus celebretur, & in Calendario Romano cum duplicis festi adiectione inscribatur. Sicubi verò, festus Beati Nicolai dies supradictus ex fidelium deuotione, seù cōsuetudine, præcepto, aut indulto Apostolico, maiori aliqua celebrari consueuerit obseruantia, ea omninò ibidem retineatur. Mandantes omnibus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, ceterisq; ecclesiarum Prælatis in toto orbe terrarum constitutis, vt faciant in suis quisque Ecclesijs, Prouincijs, Ciuitatibus, & Diœcesibus præsentes nostras literas solemniter publicari, & ab ecclesiasticis personis, secularibus, & quorumuis Ordinum Regularibus omninò obseruari, quamuis in vltimis Breuiarij, & Missalis reformationibus adnotatio huius solemnitatis posita non fuerit.

§. 4. Volumus quoque, vt præsentium exemplis etiam impressis, manu Notarij publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate ecclesiastica cōstitutæ munitis, eadem prorsus fides vbique locorum, & gentium adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ, Millesimo quingentesimo octuagesimo quinto, decimo Calendas Ianuarij, Pontificatus nostri anno primo.

Constit. II.

Ex Copia simplici desumpta ex Secretaria Apostolica, quæ Romæ asseruatur in Archiuo Ordinis. num. 2.

Summarium.

Officium Generalatus vltra sexennium prorogari non potest.

SIXTVS PAPA QVINTVS. 1587.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. 1. EXigit incumbentis Nobis Apostolicæ seruitutis officium, vt in Religiosorū sodalitatibus, quos ideò Altissimus in suum sibi

sibi Sanctuarium ad ceteros fideles viam salutis docendum segregauit, quid cuique semper expediat, salubriter prouideamus.

§. 2. Licèt itaque Priores Generales Ordinis Fratrum Eremitarum S. Augustini à tempore immemorabili fuerint perpetui, nisi per cessum, vel decessum, seù assumptionem ad maiorem dignitatem, aut etiã quandoque per depositionem oportuerit nouum Generalem eligi, & hic mos incorruptè seruatus fuerit, vsque ad præsens tempus; nihilominus hæc Religio à primæua eius propagatione, singulo quoque anno; deinde verò crescente numero & Fratrum, & domorum eiusdem Ordinis, singulo quoque triennio Capitulũ generale, in quo eligebatur Prior Generalis dicti Ordinis, vel confirmabatur, vel etiam quandòque amouebatur, celebrare solebat: Post aliquod verò tempus ad quadriennium celebratio dicti Capituli extẽsa fuit, qui mos perdurauit vsque ad annum Domini MDLXXV. Quo tempore, dum in hac Vrbe huiusmodi Capitulum fieret, in gratiam Fratrũ, qui sunt in Prouincijs vltramarinis, statutum fuit, quòd singulo quoque sexto anno huiusmodi Capitulum celebraretur.

Officiũ Generalatus, per annũ, postea per tres annos, deinde per quatuor annos tã dem ad sexẽniũ reductũ.

§. 3. Cum autem nihil reperiatur per Sedem Apostolicam statutum, quo Prior Generalis dicti Ordinis aut perpetuus, aut temporalis esse debeat, animaduertamùsq; statutum prædictum ad vsum reuocandum, & huius Ordinis Fratribus cõmodum, & necessarium existere; Motuproprio, & ex certa nostra scientia, & de Apostolicæ potestatis plenitudine harum serie statuimus, & ordinamus, quòd electio personæ in Priorem Generalem dicti Ordinis, quæ fiet in Capitulo generali in proximo festo Pentecostes celebrando facienda, ad sexenniũ duntaxat duret; quòdq; illis elapsis perpetuis futuris temporibus Capitulum generale dicti Ordinis singulo quoque sexennio celebrari debeat; in quo semper nouus Prior Generalis eligatur, & nunquàm idem confirmetur.

Electio Generalis ad sexẽniũ, & non vltra.

§. 4. Quocirca omnibus, & singulis dicti Ordinis professoribus huic negotio incumbentibus in virtute sanctæ obedientiæ, & sub excommunicationis sententia eo ipso per contrafacientes incurrẽda, præcipimus; quatenus singulo quoque sexennio ad noui Prioris Generalis dicti Ordinis electionem, quibuscunque rebus posthabitis, procedant, nec ipsi, seù tunc existens Prior Generalis, aut quiuis alius quacunque dignitate, etiam Cardinalatus honore fulgens, seu ipsius Ordinis Protector, quacũque de causa, etiam vrgentissima, confirmationem, siuè extensionem dicti officij in aliud etiam breuissimũ tempus à Romanis Pontificibus successoribus nostris, & Sede Apostolica petere, & obtenta vti audeat, vel præsumat, itaut elapso dicto sexennio prædictum officium Prioris Generalis ipso iure vacet, & vacare censeatur. Decernentes aliter factas electiones, & confirmationes, nullas, & irritas, nulliùsq; roboris, vel momenti fore, & esse.

Confirmatio Generalis est prohibita sub pœna excõicationis, et extensio vltra sex annos etiã ad breuissimũ tempus.

Obtẽta cõfirmatio, vel extensio nõ est in casu ponenda.

§. 5. Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, & dicti Ordinis iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, pri-

uilegijs quoque indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus, illorum tenores præſentibus pro expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, ceterìsq; contrarijs quibuſcunque. Datum Romæ apud ſanctum Petrum, ſub anulo Piſcatoris, die decimaquarta Maij, Milleſimo quingẽteſimo octuageſimoſeptimo, Pontificatus noſtri anno tertio.

VRBANI QVARTI.

Conſtit. I.

Ex Bulla originali cum plumbo aſſeruata Romæ in Archiuo Ordinis. num. 1.

Summarium.

Cõceditur facultas Superioribus noſtris excommunicandi, & capiendi Apoſtatas Ordi is noſtri.

1262. *VRBANVS EPISCOPVS Seruus Seruorum Dei.*

Dilectis filijs Generali, & Prouincialibus Prioribus presbyteris Ordinis Eremitarum S. Auguſtini Salutem, & Apoſtolicam benedictionem.

§. 1. PRouiſionis veſtræ cupimus prouenire ſubſidijs, vt Religio veſtra ſẽper in meliùs Deo propitiante proficiat, & ſiquid obſtare dignoſcitur, publicè corrigatur. Vobis itàque, quos in Diuini nominis amore vigiles, delectat extirpare vitia, & plantare virtutes, vt Apoſtatas veſtri Ordinis niſi veſtris ſalubribus monitis acquieſcant, excommunicare, aut capere, ſi videbitur expedire, poſſitis, auctoritate præſentium concedimus facultatem. *Superiores capere, & excõmunicare poſſũt Apoſtatas.*

§. 2. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ conceſſionis infringere, vel ei auſu temerario contraire: Siquis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum.

Datum Viterbij, decimoquinto Calendas Maij, Pontificatus noſtri anno primo.

Conſtit. II.

Ex Bulla originali cum plumbo aſſeruata Romæ in Archiuo Ordinis. num. 2.

Summarium.

In Eremo de Brictinis non poteſt induci alius Ordo, ſed perpetuò Fratres Eremitæ Auguſtiniani ibi degant.

VRBA-

1262. *VRBANVS EPISCOPVS Seruus Seruorum Dei.*

Dilectis filijs Priori, & Fratribus domus Eremitarum de Brictinis Ordinis S. Augustini Fanensis Diœcesis Salutem, & Apostolicam benedictionem.

§. 1. SOlet annuere Sedes apostolica pijs votis, & honestis petentium desiderijs fauorem beniuolum impertiri. Exhibita siquidem Nobis vestra petitio continebat, quòd domus vestra quia est ab hominum semota frequentia, & ex sui situ accommoda, locus Religioni conueniens est, & aptus. Vnde cum in ipsa sub commodo pacis, & quietis silentio deuotum impendatis, & perpetuò desideretis impendere Domino famulatum. Nos vestris precibus inclinati, ad instar fel. rec. Alexandri Papæ prædecessoris nostri statuimus, vt in eadem domo vestra, vita Eremitica perpetuis temporibus obseruetur: districtiùs inhibentes, vt in ipsa domo de cetero alium Ordinem quisquam inducere, vel ipsam ad alium locum transferre præsumat.

Vbi sũt Fratres de Brictinis nõ potest introduci alius Ordo.

§. 2. Nulli ergo omninò hominũ liceat hanc paginam nostræ constitutionis, & inhibitionis infringere, vel ei ausu temerario contraire: Siquis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum.

Datum Viterbij, Nonis Maij, Pontificatus nostri anno primo.

Constit. III.

Ex Bulla originali, quæ cum sigillo plumbeo asseruatur Romæ in Archiuio Ordinis. num. 3.

Summarium.

Præcipitur ecclesiarum Prælatis, vt Apostatas nostri Ordinis à Superioribus excommunicatos, vitent, & euitari faciant.

VRBANVS EPISCOPVS Seruus Seruorum Dei. 1262.

Venerabilibus fratribus Archiepiscopis, Episcopis, & dilectis filijs Abbatibus, Prioribus, Præpositis, Archidiacon.s, Archipresbyteris, & alijs ecclesiarum Prælatis, ad quos literæ istæ peruenerint Salutem, & Apostolicam benedictionem.

§. 1. PRouisionis nostræ cupimus prouenire subsidijs, vt Religio dilectorum filiorum Fratrum Eremitarum Ordinis S. Augustini semper in melius Deo propitiãte proficiat, & si quid obstare dignoscitur, solicitè corrigatur. Hinc est, quòd cum Nos dilectis filijs Generali, & alijs Prioribus prædicti Ordinis (sicut asserunt) per nostras literas sub certa forma duxerimus concedendum, vt Apostatas ipsius Ordinis possint excommunicationis vinculo innodare; Vniuersitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus huiusmodi Apostatas, quos per eosdem Priores auctoritate literarum ipsarum pro manifesta, & rationabili causa excommunicari contingeret, vos vsque ad satisfactionẽ condignam euitetis arctiùs, & faciatis à vestris subditis euitari.

Datum Viterbij, Nonis Maij, Pontificatus nostri anno primo.

Con-

Constit. IV.

Ex Bulla originali cum plumbo, asseruato Romæ in Archiuo Ordinis, num. 4.

Summarium.

Fratres nostri de Senis possunt accipere eleemosynas de malè acquisitis, & redemptione votorum, certo modo.

1262. *VRBANVS EPISCOPVS Seruus Seruorum Dei.*

Dilectis filijs Priori, & Fratribus domus Eremitarum Senensium Ordinis S. Augustini Salutem, & Apostolicam benedictionem.

§. 1. NEcessitatibus vestris benigno compatientes affectu, vt de vsuris, rapinis, & alijs malè acquisitis, dummodò ij, quibus ipsorum restitutio fieri debeat omninò sciri, & inueniri non possint; necnon de quibuslibet legatis indistinctè in pios vsus relictis, dummodò executorum testamentorum ad id accedat assensus; & commutatione, ac redemptione votorum, Diœcesanorum auctoritate priùs factis, (Hierosolymitano dũtaxat excepto) vsque ad summam viginti marcarũ argenti, recipere valeatis auctoritate vobis præsentium duximus concedendum, si pro similium receptione aliàs non sitis à Nobis huiusmodi gratiam consecuti.

§. 2. Ita quòd si aliquid de ipsis viginti marcis dimiseritis, vel restitueritis, aut dederitis illis, à quibus eas receperitis, huiusmodi dimissum, vel restitutum, seù datum nihil ad liberationem eorũ prosit, nec quantum ad illud habeantur aliquatenus absoluti.

§. 3. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Præsentibus post annum minimè valituris.

Datum Viterbij, octauo Calendas Iunij, Pontificatus nostri anno primo.

Constit. V.

Ex Bulla originali cum sigillo plumbeo, quæ Romæ in Archiuo Ordinis asseruatur. nu. 5.

Summarium.

Superiores nostri possunt absoluere à cẽsuris recipientes habitum Ordinis.

VRBANVS EPISCOPVS Seruus Seruorum Dei. 1262.

Dilectis filijs Generali, & Prouincialibus Prioribus presbyteris Eremitarum Ordinis Sancti Augustini Salutem, & Apostolicam benedictionem.

§. 1. CAelestis amor patriæ mentes vestras sic allexisse perspicitur, vt quasi hoc solum delectationem vobis tribuat, quod diuinæ voluntati sit placitum, & salutem proferat animarum. Procedit ex hoc, quòd Nos vestris pijs petitionibus fauorem largiri beniuolum delectantes, maximè cum ex Apostolici cura teneamur officij circa Religionis augmentum attenti, & vigiles inueniri, vobis auctoritate præsentium indulgemus, vt volentibus vestro aggregari Collegio, qui suspensionis, aut interdicti, vel excommunicationum sententijs sunt ligati,

Venientes ad Ordinẽ possunt absolui à censuris.

ligati, abſolutionis beneficium iuxtà formam Eccleſiæ impertiri, & ipſos in Fratres recipere: ac eos, qui poſt aſſumptum habitum recoluerint ſe talibus in ſeculo fuiſſe ſententijs innodatos, ſecundum formam ipſam abſoluere valeatis. Ita tamen, quòd ſi ijdem Ordinem veſtrum exiuerint, eo ipſo prædictis ſententijs ſint ligati: Et ſi aliqui ex eiſdem huiuſmodi ſententijs propter debitum, vel pro aliorum iuribus ſunt aſtricti, prius de ijs ſatisfaciant, vt tenentur.

§. 2. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ conceſſionis infringere, vel ei auſu temerario contraire: Siquis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum.

Datum Viterbij, Idibus Iunij, Pontificatus noſtri anno primo.

Conſtit. VI.

Ex Bulla originali cum plumbo aſſeruata Romæ in Archiuo Ordinis. num. 6.

Summarium.

Non poſſunt cogi Fratres noſtri ad ſolutionem Collectarum, & aliarum exactionum.

1262. *VRBANVS EPISCOPVS Seruus Seruorum Dei.*

Dilectis filijs Priori Generali, & vniuerſis Fratribus Eremitarum Ordinis Sancti Auguſtini Salutem, & Apoſtolicam benedictionem.

§. 1. Qvieti veſtræ paterna in poſterum ſolicitudine prouidere volentes, auctoritate vobis præſentium indulgemus, vt ad præſtationem procurationum legatorum Sedis Apoſtolicæ, vel Nuntiorum ipſius, aut exactionum, vel collectarum, ſeù ſubſidiorum, vel prouiſionum quarumcũque minimè teneamini: nec ad ea ſoluenda per literas dictæ Sedis Legatorum, vel Nuntiorum, aut Executorum, ſeù Rectorum terrarum eiuſdem, cuiuſcunque tenoris exiſtant, vel cuiuſcunque auctoritate compelli aliquatenus valeatis; Nos enim decernimus irritas, & inanes, interdicti, ſuſpenſionis, & excommunicationis ſentẽtias, ſi quas in vos, vel aliquem veſtrum, aut loca veſtra, vel quoſcunque alios occaſione veſtri præmiſſorum prætextu, per quemcunque de cetero contigerit promulgari. Præſentibus poſt quinquennium minimè valituris.

Ad ſolutionẽ expẽſarum collectarũ Legatorum nõ tenemur.

Cenſuræ contra prædicta nullæ.

§. 2. Nulli ergo omninò hominũ liceat hanc paginam noſtræ conceſſionis, & conſtitutionis infringere, vel ei auſu temerario contraire: Siquis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum.

Datum Viterbij, Calendis Octobris, Pontificatus noſtri anno primo.

Conſtit. VII.

Ex Bulla originali cum plumbo aſſeruata Romæ in Archiuo Ordinis. num. 7.

Summarium.

Conceditur facultas Generali diſpenſandi ſuper aliquibus Fratribus, qui alios Ordines ingreſſi, ad noſtrum poſtea redierunt.

VRBA-

1262. VRBANVS EPISCOPVS
Seruus Seruorum Dei.

Dilecto filio Priori Generali Fratrum Eremitarum Ordinis S. Augustini Salutem, & Apostolicam benedictionem.

§. 1. NOnnulli Fratres Ordinis tui post professionem factam in ipso, suorum Prælatorum licentia non petita, se leuitate propria ad Fratrum Minorum, & inde Ministrorum suorum obtenta licentia, simili leuitate, ad Sancti Benedicti Ordines (vt asseris) transtulerunt, se in ipsis Ordinibus professionis vinculo astringentes. Postmodum autem videntes, quòd idē Ordo S. Benedicti in locis, in quibus erant, minimè obseruabatur, ad prædictum tuum Ordinem redierunt.

§. 2. Nos igitur tuis supplicationibus inclinati, concedendi ex ipsis duodecim, qui ad Ordinem eundem taliter sunt reuersi (ita quòd ad eos, qui reuertentur deinceps hæc nullatenus extendatur) quod in eodem tuo Ordine possint licitè remanere, ijs non obstantibus, seù contraria constitutione, vel consuetudine aliorum prædictorum Ordinum, vel indulgentia, seù literis quibuscunque, ipsorum personis ab Apostolica Sede concessis, cuiuscunque tenoris existant, etiamsi de ipsis plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum oporteat in nostris literis fieri mentionem, plenam tibi concedimus auctoritate præsentium facultatem.

Datum Viterbij, octauo Calendas Decembris, Pontificatus nostri anno primo.

Constit. VIII.

Ex Bulla originali cum plumbo, quæ Romæ asseruatur in Archiuo Ordinis. num. 8.

Summarium.

Dispensatur super professionibus diuersis factis à Fratribus ante vnionem.

VRBANVS EPISCOPVS 1262.
Seruus Seruorum Dei.

Dilectis filijs Generali, Prouincialibus, & Conuentualibus Prioribus, & vniuersis Fratribus Ordinis Eremitarum S. Augustini Salutem, & Apostolicam benedictionem.

§. 1. DEsiderijs vestris in ijs affectu beniuolo libenter annuimus, per quæ vestræ quieti salubriter consulatur. Sanè petitio vestra Nobis exhibita continebat, quòd dilectus filius noster R. Sancti Angeli Diaconus Cardinalis auctoritate mandati fe. re. Alexandri Papæ prædecessoris nostri, viuo ad eum sermone directi, necnon & generalis Capituli vestri consensu accedente suffultus, vniuersas domos, & Cōgregationes vestras in vnam Ordinis Eremitarum S. Augustini professionem, & regularem obseruantiā perpetuò counjuit: dictùsq; Prædecessor quod super hoc ab eodem Cardinali factum extitit, approbans, & ratum habens, & gratum, id auctoritate Apostolica confirmauit, & vobiscum super diuersarum professionum, aut obseruationum debito, quibus aliqui ex vobis se in prædictis, vel alijs Ordinibus obligauerant, antea dispensauit, statuens, vt in eodē Ordine S. Augustini debeatis perpetuò virtutum Domino deseruire, prout in literis ipsius Prædecessoris pleniùs dicitur contineri.

Vnio facta sub cardinale S. Angeli, tempore Alexādri IV. à quo fuit approbata

§. 2.

§. 2. Nos igitur vestris supplicationibus inclinati, vobiscum super professionum, aut obseruationum huiusmodi debito auctoritate Apostolica dispensamus: vobis nihilominus concedentes, vt in Ordine vestro vobis taliter concesso possitis licitè remanere. Non obstantibus aliquibus literis, à Sede Apostolica impetratis, de quibus oporteat in præsentibus plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum fieri mentionem; aut etiam impetrandis, in quibus de tenore præsentium facta non fuerit mentio specialis.

§. 3. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ dispensationis, & concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire: Siquis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum.

Datum Viterbij, quinto Idus Decembris, Pontificatus nostri anno primo.

Constit. IX.

Ex Transumpto authentico, asseruato Romæ in Archiuo Ordinis. num. 9.

Summarium.

Fratribus de Hungaria multa priuilegia conceduntur in amplissima forma.

VRBANVS EPISCOPVS Seruus Seruorum Dei.

Dilectis filijs Prioribus, & Fratribus Eremitarum in Regno Hũgariæ constitutis tàm præsentibus, quàm futuris Regularem vitam professis in perpetuum.

§. 1. Religiosam vitam eligẽtibus Apostolicum cõuenit adesse præsidium, ne fortè cuiuslibet temeritatis incursus aut eos à proposito reuocet, aut robur (quod absit) sacræ Religionis infringat. Eapropter dilecti in Domino filij vestris iustis postulationibus clementer annuimus, & domos vestras, in quibus diuino vacatis obsequio sub Beati Petri, & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti priuilegio communimus.

§. 2. In primis siquidem statuentes, vt Ordo canonicus, qui secundũ Deum, & Beati Augustini Regulam in domibus ipsis auctoritate Apostolica institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inuiolabiliter obseruetur. *Ordo S. Augustini canonicus.*

§. 3. Præterea quascunque possessiones, quæcunque bona prædictæ domus in præsentiarum iustè, ac canonicè possident, aut in futurũ concessione Pontificum, largitione Regum, vel Principum, oblatione fidelium, seù alijs iustis modis præstante Domino poterunt adipisci, firma vobis, vestrisq; successoribus, & illibata permaneant. In quibus hæc proprijs duximus exprimenda vocabulis. *Bona Ordinis largita confirmãtur.*

§. 4. Loca ipsa, in quibus præfatæ domus sitæ sunt, cum pertinentijs suis, videlicèt, cum ecclesijs, decimis, hortis, vineis, oliuetis, pratis, terris, nemoribus, vsuagijs, & pascuis, in bosco, & plano, in aquis, & molendinis, in vijs, & semitis, & omnibus alijs libertatibus, & immunitatibus suis. Sanè noualium vestrorũ, quæ proprijs manibus, aut sumptibus colitis, de quibus aliquis hactenus non percepit, siuè vestrorum animalium *Decimas nõ soluunt de bonis & fructibus manib', vel sumptibus proprijs receptis de hortis, & terris.*

malium

malium nutrimentis, nullus à vobis decimas exigere, vel extorquere præſumat.

§. 5. Liceat quoque vobis Clericos, vel laicos, liberos, & abſolutos, è ſeculo fugientes, ad conuerſionem recipere, & eos abſque contradictione aliqua retinere.

§. 6. Prohibemus inſuper, vt nulli Fratrum veſtrorum poſt factam in domibus veſtris profeſſionem fas ſit ſinè Prioris ſui licentia de eiſdem domibus diſcedere, niſi arctioris Religionis obtentu. Diſcedentem verò abſque communium literarum veſtrarum cautione, nullus audeat retinere.

Profeſſi in Ordine nõ poſſunt recedere.

§. 7. Pro conſecrationibus verò Altarium, vel Eccleſiarum, ſiuè pro Oleo ſancto, vel quolibet eccleſiaſtico Sacramento, nullus à vobis ſub obtentu conſuetudinis, vel alio modo quidquam audeat extorquere; ſed hæc omnia gratis vobis Epiſcopi Diœceſani impendant. Aliòquin liceat vobis quoſcunque malueritis catholicos adhibere Antiſtites, gratiam, & communionem Apoſtolicæ Sedis habentes, qui noſtra freti auctoritate, vobis quod poſtulatur, impendant. Quòd ſi Sedes Diœceſanorum Epiſcoporum fortè vacauerint, interim omnia eccleſiaſtica ſacramenta à vicinis Epiſcopis accipere liberè, & abſque contradictione poſſitis; ſic tamen vt ex hoc inpoſterum proprijs Epiſcopis nullum præiudicium generetur. Quia verò interdum propriorum Epiſcoporum copiam non habetis, ſi quos Epiſcopos, Romanæ Sedis (vt diximus) gratiam, & communionem habentes, & de quibus plenam notitiam habeatis, per vos tranſire contigerit, ab eis benedictiones vaſorum, & veſtium, conſecrationes Altarium, & ordinationes Clericorum, auctoritate Sedis Apoſtolicæ recipere valeatis.

Nihil pro benedictionibus, & ſacramentis Epiſcopis ſoluimus.

§. 8. Cum autem generale Interdictum terræ fuerit, liceat vobis clauſis ianuis, excluſis excommunicatis, & interdictis, non pulſatis campanis, ſuppreſſa voce diuina Officia celebrare, dummodò cauſam non dederitis Interdicto.

Tẽpore interdicti, officia celebrantur.

§. 9. Chriſma verò, Oleum ſanctum, conſecrationes Altarium, ſeù Baſilicarum, ordinationes Clericorum, qui ad Ordines fuerint promouendi, à Diœceſanis ſuſcipietis Epiſcopis, ſiquidem catholici fuerint, & gratiam, & communionem ſacroſanctæ Romanæ Sedis habuerint, & ea vobis voluerint ſinè prauitate aliqua exhibere.

§. 10. Prohibemus inſuper, vt infra fines parochiarum veſtrarũ, nullus ſinè aſſenſu Diœceſani Epiſcopi, & veſtro, Capellam, ſeù Oratorium de nouo conſtruere audeat: ſaluis priuilegijs Pontificum Romanorũ.

§. 11. Ad hæc, nouas, & indebitas exactiones ab Archiepiſcopis, & Epiſcopis, Archidiaconis, ſeù Decanis, alijsq; omnibus eccleſiaſticis, ſecularibuſvè perſonis à vobis omninò fieri prohibemus.

§. 12. Sepulturam quoque in eccleſijs veſtris liberam eſſe decernimus, vt eorum deuotioni, & extremæ voluntati, qui ſe illic ſepeliri deliberauerint, niſi fortè excommunicati, vel interdicti, aut publicè vſurarij, nullus obſiſtat. Salua tamen iuſtitia illarum eccleſiarum, à quibus mortuorum corpora aſſumuntur.

Sepultura libera.

§. 13. Decimas præterea, & poſ-

ſeſſiones,

ſeſſiones ad ius eccleſiarum veſtrarum ſpectantes, quæ à laicis detinentur, redimendi, & legitimè liberandi de manibus eorum, & ad eccleſias, ad quas pertinent, reuocandi, libera ſit vobis de noſtra auctoritate facultas.

§. 14. Obeunte verò Generali Priore veſtro, vel ſuorum quolibet ſucceſſorum, nullus ibi qualibet ſubreptionis aſtutia, ſeù violentia proponatur, niſi quem Fratres communi conſenſu, vel Fratrum maior pars conſilij ſanioris ſecundùm Deum, & Beati Auguſtini Regulam prouiderint eligendum.

§. 15. Paci quoque, & tranquillitati veſtræ paternæ inpoſterum ſolicitudine prouidere volentes, auctoritate Apoſtolica prohibemus, vt infra clauſuras locorum, & grangiarũ veſtrarum, nullus rapinam, ſeù furtum facere, ignem apponere, ſanguinem fundere, hominem temerè capere, vel interficere, ſeù violentiam audeat exercere.

§. 16. Præterea omnes libertates, & immunitates à prædeceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus, locis veſtris conceſſas: necnon libertates, & exemptiones ſecularium exactionum, à Regibus, & Principibus, vel alijs fidelibus rationabiliter vobis indultos, auctoritate apoſtolica cõfirmamus, & præſentis ſcripti priuilegio communimus. Decernimus ergo vt nulli omninò hominum liceat, præfatas domos temerè perturbare, aut earum poſſeſſiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, ſeù quibuſlibet vexationibus fatigare, ſed integrè cõſeruentur, eorum, pro quorũ gubernatione, ac ſuſtentatione conceſſa ſunt, vſibus omnimodis profutura. Salua Sedis Apoſtolicæ auctoritate, & Diœceſanorum Epiſcoporum canonica iuſtitia, & in ſupradictis Decimis moderatione Cõcilij generalis.

§. 17. Si qua igitur in futurũ eccleſiaſtica, ſecularisvè perſona, hanc noſtræ conſtitutionis paginam ſciẽs contra eam temerè tẽtauerit, ſecundò, tertiòve commonita, niſi reatum ſuũ correxerit, poteſtatis, honorìsq; ſui careat dignitate, reùmq; ſe diuino iudicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat, & à ſacratiſſimo corpore, & ſanguine Dei, & Domini Redemptoris Noſtri Ieſu Chriſti aliena fiat, atque in extremo examine diſtrictè ſubiaceat vltioni. Cunctis autem eiſdem domibus ſua iura ſeruantibus ſit pax Domini Noſtri Ieſu Chriſti, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud diſtrictum Iudicẽ præmia æternæ pacis inueniant. Amen. Amen. Amen.

VRBANI SEXTI.
Conſtit. Vnica.

Ex Bulla originali cum plumbo aſſeruata Romæ in Archiuo Ordinis. num. 1.

Summarium.

Confirmantur Indulgentiæ, exemptiones, & omnia priuilegia, Ordini noſtro conceſſa.

VRBANVS EPISCOPVS Seruus Seruorum Dei. 1388.

Dilectis filijs Priori Generali, & Fratribus Ordinis Eremitarum Sancti Auguſtini Salutem, & Apoſtolicam benedictionem. *Habetur in Mare Magno Six. IV conſt. 5. nu. 7.*

§. 1. Solet annuere Sedes Apoſtolica pijs votis, & hone-

stis iuxta petentium desiderijs fauorem beniuolum impertiri. Ea propter dilecti in Domino filij vestris iustis postulationibus grato concurrẽtes assensu; omnes libertates, & immunitates à prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus, siuè per priuilegia, vel alias Indulgentias, vobis, & Ordini vestro concessas; necnon libertates, & exemptiones secularium exactionum à Regibus, & Principibus, seù alijs Christifidelibus rationabiliter vobis, & Ordini prædicto indultas, sicut ea iustè, & pacificè obtinetis, vobis, & per vos eidem Ordini auctoritate Apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus.

§. 2. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire: Siquis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum.

Datum Perusij, secundo Calendas Maij, Pontificatus nostri anno vndecimo.

VRBANI OCTAVI.

Constit. I.

Ex Breue originali asseruato Romæ in Archiuo Ordinis. nu. 1.

Summarium.

Possumus recitare Officium, & celebrare Missam de Beata Clara de Monte Falco.

VRBANVS PAPA OCTAVVS. 1624.

Ad futuram rei memoriam.

§. 1. Domini Nostri Iesu Christi, qui seruos, & ancillas suas æternæ gloriæ præmio donat in cælis, vices quanquam immeriti gerentes in terris, ex iniũcto Nobis Pastoralis officij debito procurare tenemur, vt eorundem seruorum, & ancillarum Christi debita veneratio in dies magis promoueatur, & laudetur Dominus in Sanctis suis. Quamobrem fidelium quorumlibet, præsertim verò sub suaui Religionis iugo Altissimo famulantium votis, quæ peculiarem Sanctorum huiusmodi cultum respiciunt, libenter annuimus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

§. 2. Sanè nomine dilectorum filiorum Prioris Generalis, & Fratrum Ordinis Eremitarum S. Augustini Nobis nuper expositum fuit, quòd ipsi ex peculiari, quem erga Beatam Claram de Monte Falco eiusdem Ordinis Monialem gerunt, deuotionis affectu, & in cuius visceribus Passionis Domini Nostri Iesu Christi mysteria maxima cum deuotione à vicinis incolis venerari asserunt, & ad augendam Christifidelium erga illam deuotionem, Officium, & Missam de eadem Beata Clara recitari, & celebrari posse summoperè desiderant; Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, vt desuper oportunè prouidere de benignitate Apostolica dignaremur.

§. 3. Nos igitur pijs eorundem Prioris, & Fratrum votis huiusmodi annuere, illòsq; specialibus fauoribus, & gratijs prosequi volentes,

tes, & à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisq; ecclesiasticis censuris, & pœnis, à iure, vel ab homine, quauis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium duntaxat consequendum, harum serie absoluentes, & absolutos fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati; De Venerabilium fratrum nostrorũ S. R. E. Cardinalium, sacris Ritibus præpositorum consilio, vt de dicta Beata Clara Officium, & Missa de communi Virginum cum Oratione propria in eiusdem Ordinis Missalibus inserta ab omnibus Ordinis prædicti vtriusque sexus Regularibus personis tantùm recitari, & celebrari liberè, & licitè possit, & valeat Apostolica auctoritate tenore præsentium, licentiam concedimus, & impartimur. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ceterisq; contrarijs quibuscunque.

§. 4. Volumus autem vt præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides in iudicio, & extra adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctã Mariam maiorem, sub anulo Piscatoris, die decimaquarta Augusti, Millesimo sexcentesimo vigesimoquarto, Pontificatus nostri anno secundo.

Constit. II.

Ex Transumpto simplici, habito ex Registro Secretariæ Apostolicæ, quod asseruatur Romæ in Archiuo Ordinis.

Summarium.

Omnes exemptiones quorumcunque Ordinum, à Superioribus concessæ reuocantur in Regnis Hispaniarum.

VRBANVS PAPA OCTAVVS 1626.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. 1. PAstoralis officij Nobis diuinitùs commissi solicitudo iugiter Nos admonet, vt omni cura, & vigilantia ad ea semper intendamus, per quæ Regularium personarum, quæ relicto seculo diuini numinis obsequijs sese manciparũt, quieti, feliciq; statui, ac regularis disciplinæ conseruationi consulitur, vt ipsæ personæ iuxta regularia suorum Ordinum instituta tranquillis mentibus gratum Altissimo impendere possint famulatum.

§. 2. Cũ itaque sicut accepimus in Regnis Hispaniarum diuersa priuilegia, prærogatiuæ, immunitates, atque exemptiones diuersorum Ordinum Religiosis tàm ab ipsorũ Superioribus, quàm Sede Apostolica, illiùsq; in dictis Regnis Nuntijs pro tempore existentibus concessa reperiantur, per quæ ijdem Religiosi ab eorum Prælatorum obedientia eximuntur, ex monasterijs, & regularibus domibus ad eorum libitum, ac cum socijs sibi beneuisis, & iam destinatis etiam Superiorum suorũ non petita licentia egrediũtur, absque eo, quod ijdẽ Superiores tàm huiusmodi egressum, quàm secularium perso-

narũ quibusuis horis ad eorum cellas accessum, atque ingressum impedire possint; Præterea de vno ad aliud monasterium, seù regularem domũ etiam ipsis Superioribus inuitis transeunt, nec Choro, & alijs spiritualibus exercitijs, minùsq; Refectorio cum alijs intersint; Ex hoc autem grauissima inconuenientia, & scandala in non modicum regularis obseruantiæ, & disciplinæ detrimentum exoriantur.

§. 3. Nos præmissis, quantum cũ Domino possumus, obuiare volentes, Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, omnia, & singula, ac quæcunque huiusmodi priuilegia, prærogatiuas, immunitates, & exemptiones quorumcunque Ordinum, Congregationũ, & Institutorum religiosis, tàm per Sedem Apostolicam, illiùsq; in eisdem Regnis Nuntios, quàm illorum Superiores ex quacunque causa, ac sub quibuscunque verborũ formis, & expressionibus quomodolibet cõcessa, apostolica auctoritate tenore præsentium perpetuò reuocamus, cassamus, & abrogamus, ac reuocata, cassa, & abrogata, viribùsq;, & effectu vacua esse, & fore, nec illa cuiquã suffragari, neque de cetero absque nostra, & Sedis Apostolicæ licentia cõcedi posse: sicque, & non aliter per quoscunque Iudices ordinarios, & delegatos, etiã causarum palatij Apostolici Auditores, vbìque iudicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inane quidquid secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter, vel ignoráter cõtigerit attentari, decernimus, & declaramus.

§. 4. Non obstantibus præmissis, ac cõstitutionibus, & ordinationibus apostolicis, necnon (quatenus opus sit) Ordinum, Congregationum, & Institutorũ huiusmodi, & quibusuis alijs, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, priuilegijs quoque, indultis, & literis Apostolicis eisdem religiosis sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatorijs, alijsq; efficacioribus, & insolitis clausulis, necnõ irritantibus, & alijs decretis in cõtrarium præmissorũ quomodolibet concessis, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi de illis specialis, specifica, expressa, & indiuidua mentio habenda esset, illorũ tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis habentes, hac vice duntaxat specialiter, & expressè derogamus, ceterisq; contrarijs quibuscunque.

§. 5. Volumus autem, quòd præsentium trãsumptis, etiam impressis, manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate ecclesiastica cõstitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam maiorem, sub anulo Piscatoris, die xxx. Iulij M. DC. XXVI. Pontificatus nostri anno tertio.

Constit. III.

Ex Transumpto simplici habito ex Registro Secretaria Apostolica, quod Roma asseruatur in Archiuo Ordinis. num. 3.

Summarium.

Exemptiones assistentium absolutorum Vltramontanorum reuocantur, qui peracto officio ad suas Prouincias destinantur.

VRBA-

1626. VRBANVS PAPA OCTAVVS.

Ad futuram rei memoriam.

§.1. ROmanus Pontifex æquiq; boniq; supremus Assertor gregi Dominico, à Deo, & Saluatore nostro præpositus, vt iuxta verbum propheticum noxia euellat, & destruat, vtiliaq; plantet, & ædificet, ea interdum, quæ rationabilibus ex causis à Sede Apostolica concessa sunt, ipsa subinde, rerum experiẽtia suadente, & maioribus ex causis, quibus præsertim felici Christifidelium sub suaui religionis iugo Altissimo famulantium statui, & salubri gubernio consulitur, alterat, & reuocat, in hisq; solicitudinis, & prouidentiæ suæ studium fauorabiliter interponit, prout pia Catholicorum Regum vota id exposcunt, & ipse rerum, & temporum qualitatibus debitè pensatis conspicit in Domino salubriter expedire.

§.2. Cum itaque sicut Carissimus in Christo filius noster Philippus Hispaniarum Rex Catholicus Nobis nuper exponi fecit, ratione priuilegiorum, gratiarum, & indultorum Fratribus Vltramontanis Assistentibus Prioris Generalis Ordinis Fratrum Eremitarum S. Augustini tàm præteritis, quàm futuris ab hac sancta Sede, & aliàs concessorum expleto eorum officio non leuia in eodem Ordine inconuenientia, & perturbationes oriantur. Nos illis quãtum Nobis ex alto conceditur, oportunè prouidere volentes, supplicationibus dicti Philippi Regis nomine Nobis super hoc humiliter porrectis, inclinati; De Venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinaliũ negotijs Regularium præpositorum consilio, omnia, & singula exemptiones, immunitates, prærogatiuas, præeminentias, gratias, priuilegia, & indulta eisdem Fratribus Vltramontanis Assistentibus per Sedem Apostolicam sub quibuscunque verborum formis, & tenoribus, ac cum quibusuis clausulis, & decretis, etiam Motu proprio, vel aliàs, ac etiam per quoscunque alios concessa, quibus huiusmodi Assistentes expleto suo huiusmodi officio hactenus vsi, & gauisi sunt, siuè vti, & gaudere potuerunt, vel debuerunt, Apostolica auctoritate tenore præsentium perpetuò reuocamus, & abrogamus, ac reuocata; & abrogata, ipsòsq; Assistentes finito eorum officio huiusmodi ad suas Prouincias redire teneri, & ad id per modernum, & pro tempore existentem dicti Ordinis Priorẽ Generalem oportunis iuris, & facti remedijs cogendos; præsentes verò literas, omniaque, & singula in eis contenta semper, & perpetuò valida, firma, & efficacia esse, & fore, suòsq; plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab omnibus, & singulis, ad quos spectat, & pro tempore quomodolibet spectabit, inuiolabiliter obseruari: sicque, & non aliter per quoscunque Iudices ordinarios, & delegatos, etiam causarũ Palatij Apostolici Auditores vbique iudicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inane si secus super his à quoquã quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, auctoritate, & tenore prædictis decernimus, & declaramus.

§. 3. Non obstantibus præmissis, ac quibusuis literis Apostolicis super concessione priuilegiorum, gratiarũ; & in-

& indultorum huiusmodi expeditis, ac constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon dicti Ordinis, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, priuilegijs quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrariũ præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus, & singulis eorum omniũ tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice duntaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisq; contrarijs quibuscunque.

Datum Romæ apud Sanctã Mariam maiorem, die xxv. Nouembris M. DC. XXVI. Pontificatus nostri anno quarto.

Constit. IIII.

Ex Breue originale, Roma asseruato in Archiuo Ordinis. num. 4.

Summarium.

Breue concessionis recitandi Officium, & celebrandi Missam de Beata Rita de Cassia Ordinis Eremitarum S. P. Augustini pro vniuersi Ordinis prædicti Fratribus, & Monialibus vbique terrarum, & pro alijs in tota Spoletana Diœcesi.

1627. *VRBANVS PAPA OCTAVVS.*

Ad perpetuam rei memoriam.

§. 1. IN supremo Apostolatus solio, meritis licèt imparibus, diuina dispositione constituti, ad ea, per quæ seruorum, & ancillarum Christi honos & veneratio in terris promoueatur, iuxta creditum Nobis desuper Apostolatus officiũ, libenter intendimus, pijsq; Christifidelium, præsertim sanctimonialiũ, votis peculiarem erga illos cultum, & venerationem respicientibus benignè annuimus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire. Sanè nomine dilectarum in Christo filiarum Priorissæ, & Monialium monasterij Beatæ Ritæ Ordinis S. Augustini de Cassia Spoletañ diœcesis, Nobis nuper expositum fuit, quòd ipsæ pro eo, quem erga dictam Beatam Ritam de Cassia gerunt deuotionis affectum, Officium, & Missam de ea, vt infra, recitari, & celebrari posse summopere desiderant. Quare Nobis humiliter supplicari fecerunt, vt de oportuna in præmissis licentia prouidere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur pijs Priorissæ, & Monialium præfatarum votis huiusmodi, quantum cum Domino possumus, annuere, illàsq, specialibus fauoribus, & gratijs prosequi volentes, & earum singulares personas à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, alijsq; ecclesiasticis sententijs, censuris, & pœnis, à iure, vel ab homine, quauis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium duntaxat consequendum, harum serie absoluentes, & absolutas fore censentes, supplicationibus illarum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de Venerabilium fratrũ nostrorum S. R. E. Cardinalium sacris Ritibus præpositorum consilio, vt de dicta Beata Rita in tota diœc. Spoletañ, ac ab omnibus vtriusque sexus dicti Ordinis religiosis vbique existentibus Officium, & Missa tãquam

de communi nec Virginis, nec Martyris iuxta rubricas Breuiarij, ac Missalis Romani, ac Breuiarium ipsius Ordinis à Sede Apostolica approbatum respectiuè recitari, & celebrari liberè, & licitè possit, & valeat Apostolica auctoritate tenore præsentiũ licentiam, & facultatem impartimur.

§. 2. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ceterìsq; contrarijs quibuscunque. Volumus autem quòd præsentium transumptis etiã impressis manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides vbìque adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctã Mariam maiorem, sub anulo Piscatoris, die ij. Octobris M. DC. XXVII. Pontificatus nostri anno quinto.

Constit. V.

Ex Breue originale, quod asseruatur Romæ in Archiuo Ordinis. num. 5.

Summarium.

Extensio concessionis de solemnizatione festi cum Officio, & Missa B. Ritæ de Cassia Ordinis Eremitarum S. P. Augustini, non solùm pro prædicti Ordinis Fratribus, & Monialibus, sed etiam pro confluentibus vbìque terrarum ad ecclesias prædicti Ordinis, & in tota Spoletana Diœcesi, ad omnes ecclesias.

1628. *VRBANVS PAPA OCTAVVS.*

Ad perpetuam rei memoriam.

§. 1. NVper pro parte dilectarum in Christo filiarũ Priorissæ, & Monialium Beatæ Ritæ de Cassia Ordinis S. Augustini Spoletañ diœc. Nobis exposito, quòd ipsæ pro eo, quem erga dictam Beatã Ritam gerebant, deuotionis affectu, Officium, & Missam de ea recitari, & celebrari posse desiderabant; Nos earum hac in parte supplicationibus inclinati de Venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium sacris Ritibus præpositorum consilio, de dicta Beata Rita in tota diœcesi Spoletañ, ac ab omnibus vtriusque sexus dicti Ordinis religiosis vbìque existentibus Officium, & Missa tanquam de communi nec Virginis, nec Martyris iuxta rubricas Breuiarij, & Missalis Romani, ac Breuiarium ipsius Ordinis à Sede Apostolica approbatum respectiuè recitari, & celebrari liberè, & licitè posset, & valeret Apostolica auctoritate licentiã, & facultatem impartiti sumus, prout in nostris desuper in simili forma Breuis expeditis literis, quarum tenorem præsentibus pro expressis haberi volumus, pleniùs continetur. Nunc autem dilectorum filiorum Prioris generalis, & Fratrum totius Ordinis huiusmodi, necnõ Priorissæ, & Monialium præfatarum supplicationibus Nobis denuò humiliter porrectis inclinati, de eorundem Cardinalium consilio, vt in die festiuo de eadem Beata Rita Missa tanquam de communi nec Virginis, nec Martyris iuxta rubricas Missalis Romani huiusmodi ab omnibus presbyteris secularibus ad omnes totius Ordinis præfati, ac diœcesis Spoletañ ecclesias confluentibus celebrari liberè similiter, & licitè possit, & valeat, eadem auctoritate tenore præsentiũ licentiam, & facultatem impartimur.

§. 2.

§. 2. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cęterisq; contrarijs quibuscunque. Volumus autem, quòd præsentium transumptis etiam impressis, manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate ecclesiastica cōstitutæ munitis eadem prorsus vbique fides in iudicio, & extra adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Petrum, sub anulo Piscatoris die iiij. Februarij M. DC. XXVIII. Pontificatus nostri anno quinto.

Constit. VI.

Ex Transumpto habito ex Registro Secretaria Apostolica, quod Roma asseruatur in Archiuo Ordinis. num. 6.

Summarium.

Magistri in Theologia in Hispania, & in Indijs examinandi sunt ab examinatoribus deputandis in Capitulo generali à Priore Generale, ad effectum vt Magistralibus exemptionibus, & dignitate gaudere possint.

1625. *VRBANVS OCTAVVS*

Ad perpetuam rei memoriam.

§. 1. ROmanus Pontifex in sacra B. Petri Sede à Domino constitutus, ex iniuncto sibi munere, religiosos viros, qui spretis huius seculi vanitatibus, diuini numinis obsequijs sub suaui Religionis iugo sese manciparunt, præcipua benignitate complectens, in his, quæ prosperæ, feliciq; eorum directioni conducunt, sedulò inuigilat; quæ verò in hoc impedimento esse dignoscuntur, pastorali solicitudine tollere procurat, prout cōspicit in Domino salubriter expedire.

§. 2. Cum itaque (sicut accepimus) multi Ordinis Eremitarum S. Augustini prouinciarum Hispaniarū, & Indiarum Religiosi, doctrina, & meritis sufficientibus carentes, nimiàq; Doctoratus, seù Magisterij in sacra Theologia graduum in eisdem prouincijs consequendorum ambitione ducti, partim ad Vniuersitates studiorum generalium, in quibus ad gradus huiusmodi suscipiendos leuissima fiunt examina, studiosè recurrant, partim verò ne huiusmodi quidem examina apud vllam Vniuersitatem subeant, ac alijs etiam minus legitimis, & honestis rationibus ad eosdem gradus aditum sibi patefacere contendant, in non modicum Ordinis, & prouinciarum huiusmodi præiudicium.

Ambitione ducti ad Vniuersitates studiorum, in quibus leuissima fiūt examina, confugiunt.

§. 3. Nos præmissis, quantum Nobis ex alto conceditur, obuiare, prosperòq; Ordinis, & prouinciarū huiusmodi statui, & directioni prouidere volentes, Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris. Quod de cetero perpetuis futuris temporibus, nullus Ordinis, & Prouinciarum huiusmodi Religiosus, etiam prætextu licentiæ à quibuscunque Superioribus obtentæ, in qualibet studij generalis Vniuersitate, ad hoc, vt inibi, ad Doctoratus, seù Magisterij in sacra Theologia gradum promoueatur, præsentari, aut gradum ipsum aliàs quoquo modo, vt susciperedeberet, ad effectū, vt Magistralibus exemptionibus, & dignitate, & ordine gaudere possit, suscipere valeat, nisi prius præuio rigoroso examine ab examinatoribus

Ab exa minatoribus approbari debent qui ad gradum magisterij vult promoueri. in partibus per dicti Ordinis Prioré Generalem in Capitulo generali deputandis faciendo, etiam per aliquos actus literarios, ac etiam in his, quæ à sacro Concilio Tridentino circa Prædicatores præcipiuntur, examinatus, & approbatus fuerit, Apostolica auctoritate tenore præsentium statuimus, & ordinamus. *Examinatores in Capitulo generali deputādi.* Mandātes propterea eisdem examinatoribus, vt præfertur, deputandis in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub excommunicationis, necnon priuationis vocis actiuæ, & passiuæ, aliorùmq; officiorum per eos obtentorum ipso facto incurrendis pœnis, ne quempiā Ordinis, & prouinciarum huiusmodi Religiosum, doctrina, & meritis sufficientibus ad huiusmodi gradus suscipiendos non præditum, quoquo modo approbent, vel admittant. *Examinatores sub pœna excōmunicationis indignos non admittāt.*

§. 4. Et nihilominùs quascunque huiusmodi approbationes, aut ad gradus admissiones contra præsentium tenorem (quod absit) quandocunque, aut quomodocunque faciendas, nullas prorsus, & inualidas, nulliùsq; roboris, vel momenti fore, & esse, ac nulli prorsus suffragari posse: sicque, & non aliter in præmissis per quoscunque Iudices ordinarios, & delegatos, etiam causarum palatij Apostolici Auditores iudicari, & diffiniri debere, necnon irritum, & inane quidquid secus super his à quoquam quauis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari, auctoritate, & tenore præsentium decernimus, & declaramus.

§. 5. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit Ordinis, & prouinciarum huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, priuilegijs quoque, indultis, & literis apostolicis eorundem Ordinis, & prouinciarum Religiosis sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac quibuscuis etiam derogatoriarum derogatorijs, alijsq; efficacioribus, & insolitis, necnon irritantibus, & alijs decretis in genere, vel in specie, ac aliàs in contrarium præmissorū quomodolibet concessis, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus, & singulis si de illis specialis, specifica, & expressa mentio habenda esset, eorum omnium, & singulorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice duntaxat specialiter, & expresè derogamus, ceterìsq; contrarijs quibuscunque. Volumus autem, vt præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate ecclesiastica cōstitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostēsæ.

Datum Romæ apud S. Petrum, sub anulo Piscatoris, die 24. Aprilis 1625. Pontificatus nostri anno secundo.

Constit. VII.

Ex Breue originale, quod Romæ asseruatur in Archiuo Ordinis. nu. 7.

Summarium.

Constitutio Clementis VIII. qua sublata fuerūt vota ex gratia in Capitulis Prouincialibus in quibusdam prouincijs in Hispania, & Indijs, extenditur ad omnes prouincias Italiæ.

VRBA-

1628. *VRBANVS PAPA OCTAVVS.*

Ad perpetuam rei memoriam.

§. 1. ALiàs per fel. rec. Clemētem Papam Octauum prædecessorem nostrum inter alia cū accepto quòd in Prouincijs Bethica, Mexicañ de Mechoacañ del Perù, del Chito noui Regni Ordinis Fratrum Eremitarum S. Augustini, aut aliquibus illarum permulti vocem in electionibus ex gratia habuerant, ex quo propter magnum Vocaliū numerum in Capitulis prouincialibus vt plurimum confusiones, & perturbationes oriri solebant. Idem Clemens prædecessor ad eas omninò tollendas, vt de cetero in perpetuum in quacunque dictarum prouinciarū nulli præter eos, quibus de iure iuxta dicti Ordinis constitutiones licebat, vocem actiuam in Capitulis prouincialibus haberent, sed ij, quibus ex gratia concessa esset, voce actiua omninò carerent, & ex nunc priuati essent, & esse censerentur, prout ipse Clemens prædecessor ex tunc illos, & quemlibet perpetuò priuauit, apostolica auctoritate statuit, & ordinauit, prout in ipsius Clementis prædecessoris in simili forma Breuis desuper expeditis literis, quarum tenores præsentibus pro expressis haberi volumus, pleniùs continetur.

Clemēs vniū. vocales ex gratia abstulit in Capitulis Indiarū, & in Hispania.

§. 2. Nunc autem Nos prospero, feliciq; Fratrum dicti Ordinis prouinciarum Italiæ statui, & directioni, ac perturbationi, quæ vt accepimus in eisdem prouincijs in similibus oriri solent, quantum cum Domino possumus, obuiā ire volentes. Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, statutum, & ordinationem Clementis prædecessoris huiusmodi, ac prout illa cōcernunt, desuper confectas literas prædictas ad Prouincias Italiæ huiusmodi, Apostolica auctoritate, tenore præsentium perpetuò extendimus, & ampliamus, illàq; in earundem Prouinciarum Italiæ Capitulis prouincialibus locum habere debere, & sic ab omnibus censeri, atque ita per quoscunque Iudices ordinarios, & delegatos, etiam causarum palatij Apostolici Auditores, iudicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inane si secus super his à quoquam quauis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari, auctoritate, & tenore prædictis decernimus, & declaramus.

Extenditur ad prouincias Italiæ.

§. 3. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac prouinciarū Italiæ huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, ac alijs omnibus, & singulis, quæ in dictis literis concessa sunt nō obstare. Quibus omnibus, & singulis illorum omnium tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice duntaxat specialiter, & expresse derogamus; ceterisq; contrarijs quibuscunque. Volumus autem quòd præsentium transumptis etiam impressis, manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides vbique adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctā Mariam maiorem, sub anulo Piscatoris, die

die 23. Maij 1628. Pontificatus nostri anno quinto.

Constit. VIII.

Ex Breue originali, quod in præsenti habetur Romæ in Conuentu S. Augustini, quodq; in Galliam ad Superiores Congregationis transmittendum est, & apud eos conseruabitur.

Summarium.

Congregationis discalceatorum Galliæ statuta, & ordinationes cum consensu adhibito Reuerendissimi P. Generalis approbantur, & confirmantur.

1628. *VRBANVS PAPA OCTAVVS.*

Ad perpetuam rei memoriam.

§. 1. EX iniuncti Nobis Apostolici muneris debito sacrarum Religionum in Ecclesia Dei piè, sanctèq; institutarum prosperũ statum, felicèmq; directionem synceris desiderantes affectibus, his, quæ propterea prouidè facta fuisse dicuntur, vt firma perpetuò, & illibata persistant, libenter, cum à Nobis petitur, apostolici muniminis adijcimus firmitatem, aliàsq; desuper eiusdem muneris partes interponimus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

§. 2. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt dilecti filij Prior Generalis totius Ordinis Eremitarum S. Augustini, necnõ Fratres Reformati discalceati nuncupati eiusdem Ordinis Congregationis Galliæ, quòd cũ inter ipsum Priorem Generalem, ac Fratres Reformatos huiusmodi nonnullæ difficultates circa eiusdẽ Congregationis regimen ortæ fuissent: tandem post longam, & maturam negotij huiusmodi discussionem, dictus Prior Generalis felici, ac prospero ipsius Congregationis regimini, ac strictioris, quam ipsi Fratres profitẽtur, obseruantiæ conseruationi, & augmento consulere volens, de assensu, & consensu dilectorum filiorum Procuratoris generalis, & Assistentium dicti Ordinis nonnulla cõcessit, & prouidit tenoris subsequentis, videlicet.

§. 3. Quod Congregatio gubernetur per Vicarium generalem (sicut nunc, & semper gubernata fuit) in Capitulo Congregationis eligendũ, qui à Priore Generali Ordinis pro tempore existente absque aliqua cõtradictione confirmetur, cum omnibus actis in eodem Capitulo; dummodo nihil in præiudicium auctoritatis dicti Reuerendissimi Prioris Generalis contineant, qui Vicarius Generalis semper sit eligendus de corpore eiusdem Congregationis, qui eandem vitæ austeritatẽ profiteatur. *Vicarij generalis eligẽdus quomodo.*

§. 4. Et quòd prædictus Vicarius generalis cum Diffinitoribus monasteria, & ecclesias oblatas acceptare, nouas fundare possint, & monasteria Ordinis Eremitarum S. Augustini, quæ non actu à Religione possidentur, & quæ actu possidentur, non poterunt, nisi de consensu Reuerendissimi Prioris Generalis, ita tamen vt in fundationibus, & erectionibus huiusmodi seruetur forma in constitutionibus, & decretis apostolicis. *Possunt recipere noua loca, & derelicta ab Ordine. Quæ actu possidẽtur cũ licentia Prioris Generalis.*

§. 5. Eligatur vnus ex eadẽ Congregatione à Priore Generali in Præsidentem Capituli, quòd si non mittantur literæ Præsidentiæ, sit ipso facto Præsidens primus Diffinitor Capituli præcedentis iuxta constitutiones dictæ Congregationis. *Præsidẽs eligatur à Priore Generali ex eadẽ Congreg.*

§. 6.

§. 6. Quòd nullus prædictæ Congregationis Frater professus in aliquam Prouinciam, vel Congregationem tàm prædicti, quàm vniusuis alterius Ordinis, & instituti (Carthusianis exceptis) absque Sedis Apostolicæ licentia transire possit, & qui aliter transierit, ad Congregationem redire per censuras ecclesiasticas, & alio meliori modo à Vicario generali compelli possit; & quòd nullus in prædicta Congregatione laicus, vel conuersus ad statum Clericorum etiam durante tempore Nouitiatus transire possit, aut ordines sacros suscipere iuxta formam decreti Clementis Octaui.

Delinquentes puniantur.

§. 7. Quòd si quis Frater dictæ Congregationis propter aliquem excessum, vel culpam iuxta illorum constitutiones punitus fuerit per Superiores Congregationis, à Priore Generali in detrimentum disciplinæ reformationis, & obseruantiæ absolui non possit. Et si quis discolus, & corrigibilis Apostata, vel alia legitima causa (seruato decreto D. N. Vrbani Papæ VIII.) à Congregatione fuerit expulsus, per Priorem Generalem contradicēte Vicario generali Congregationis ad illam remitti nō possit, nisi constito de grauamine.

Expulsi nō recipiantur.

Prior Generalis visitare potest, et corrigere.

§ 8. Prior Generalis per se, vel per alium eiusdem Congregationis Fratres visitare, & corrigere poterit, iuxta tamen disciplinam, & constitutiones Congregationis, quibus derogare non poterit; qui Prior Generalis in visitatione huiusmodi primū Diffinitorem Congregationis assumat, & quòd tàm in visitatione, quàm extra Fratres de loco ad locū non mittat, sed si quis mittendus fuerit, Vicario generali significet, ad quem Vicarium generalem literas obedientiales pro loci mutatione dare pertineat; & quòd si quid aliter factum fuerit, aut tentatum contra præmissa, inane, & irritum esse decernatur. Et quòd ad omnem vagādi occasionem tollendam, nullus Frater Congregationis Romam petere possit, etiam sub prætextu literarum à Priore Generali obtentarū, nisi consentiente Vicario generali Congregationis, & ab ipso benedictione accepta.

Generalis non mutet Fratres de loco ad locū.

Romam petere nullus pōt, nisi de cōsensu Vicarij Generalis.

§. 3. Cum autem sicut eadē expositio subiungebat, omnia, & singula præmissa post maturam discussionem tàm ab ipso Priore Generali, quàm Fratribus Reformatis huiusmodi per modum concordiæ prouisa, & acceptata fuerint, ipsèq; Prior Generalis plurimùm cupiat eadem præmissa quo firmius subsistant, exactiusq; obseruentur, Apostolicæ nostræ confirmationis robore communiri. Nos Priorem Generalem, & Fratres prædictos specialibus fauoribus, & gratijs prosequi volentes, & eorum singulares personas à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, alijsq; ecclesiasticis sententijs, censuris, & pœnis, à iure, vel ab homine quauis occasione, vel causa latis, siquibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium duntaxat consequendū harum serie absoluentes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati; De venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotijs Regularium præpositorum consilio, præmissa per dictum Priorem Generalem vt supra concessa, seù ordinata, & per ipsos Fratres

Confirmatio statutorum.

Fratres reformatos, vt præfertur cũ omnibus inde sequutis, Apostolica auctoritate tenore præsentium perpetuò approbamus, & confirmamus, illisq; inuiolabilis Apostolicæ firmitatis robur adijcimus, ac omnes, & singulos tàm iuris, quàm facti defectus, si qui desuper quomodolibet interuenerint, supplemus.

In Gallia nulli pôt gestare habitũ similem, neque se ex Discalceatis nominare potest, nisi sit ex corpore Congregationis.

§. 10. Præterea ne quis in Gallia habitum in materia, & forma similẽ, itaut ex prædictis Fratribus discalceatis existimari possit, nisi prædictæ Congregationis membrum actualiter existat, gestare, siuè nomen discalceatorum reformatorum S. Augustini sibi arrogare, aut prædictam Congregationem esse Ordinis Eremitarum Sancti Augustini verbo, vel scripto temerè negare audeat, seù præsumat sub excommunicationis pœna interdicimus, & prohibemus: & vitæ asperitas, & obseruantia puritatis Regulæ S. Augustini, & peculiariũ Congregationis prædictæ constitutionum absque vllo impedimẽto seruetur, volumus, quòd desuper nullatenus à Superioribus dicti Ordinis dispensari possit, sed semper firma, & fixa remaneat stricta regularis obseruantia.

Super obseruãtiã dispensatio prohibetur.

§. 11. Decernentes præsentes literas de subreptionis, vel obreptionis, seù nullitatis vitio, aut intentionis nostræ, vel alio quocunque defectu notari, impugnari, redargui, aut in ius, vel controuersiam reuocari, aut aliàs quomodolibet infringi, vel retardari, suspendi, limitari, vel molestari, aut aliàs in contrarium disponi, statui, vel ordinari nunquam posse, sed illas, & in eis contenta quæcunque semper, & perpetuò valida, firma, & efficacia existere, & fore, suósq; plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab omnibus, ad quos spectat, & in futurum quomodolibet spectabit, inuiolabiliter obseruari, & ita per quoscunque Iudices ordinarios, & delegatos, etiã causarum Palatij Apostolici Auditores iudicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inane si secus super his à quoquam quauis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Rogamus quoque, & hortamur attentè Charissimum in Christo filium nostrum Ludouicum Francorum Regem Christianissimum quatenus Congregationem Fratrũ Discalceatorum Reformatorum huiusmodi pro sua in Deum pietate, ac in Nos, & hanc sanctam Sedem obseruantia habens propensiùs commendatam, illam benigno fauore, & gratia prosequatur.

Commendatio pro Rege christianissimo.

§. 12. Quocirca Venerabilibus fratribus Archiepiscopis, Episcopis, ac alijs locorum Ordinarijs dicti Regni per præsentes committimus, & mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut vnus eorum, per se, vel alium, seù alios præsentes literas, & in eis contenta quæcunque, vbi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte Fratrum Discalceatorũ huiusmodi fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisq; in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra præmissa omnia, ab omnibus, ad quos spectat, & in futurum spectabit, firmiter obseruari. Non permittẽtes illos desuper à quoquam quauis auctoritate quomodolibet indebitè molestari: Contradictores quoslibet, & rebelles, per censuras, & pœnas ecclesiasticas, aliaq; oportuna iuris, & facti remedia ap-

pellatione pòstposita compescendo, inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij secularis.

§. 13. Non obstantibus cõstitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac Ordinis, & Congregationis huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, priuilegijs quoque indultis, & literis Apostolicis eisdem Ordini, & Congregationi, illorùmq; Superioribus, & personis sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatorijs, alijsq; efficacioribus, & insolitis clausulis, necnon irritantibus, & alijs decretis in genere, vel in specie, ac aliàs in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus eorum tenores præsentibus pro expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice duntaxat specialiter, & expresè derogamus, ceterìsq; contrarijs quibuscunque. Volumus autem, quòd præsentium transumptis, etiam impressis, manu Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate ecclesiastica cõstitutæ munitis, eadem prorsus fides vbique adhibeatur, quæ eisdem præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctã Mariam maiorem, sub anulo Piscatoris die xxj. Iulij M.DC.XXVIII. Pontificatus nostri anno quinto.

DECRETVM ILLVSTRISSImorum, & Reuerendissimorum Dominorum Cardinalium negotijs Episcoporum, & Regularium præpositorũ, pro Benedictione Corrigiæ S. Monicæ, & Paniculorum S. Nicolai de Tolentino, à Superioribus Ordinis tantùm facienda.

ILLVSTRISSIMI, ET REVERendissimi Domini.

PRocurator Generalis Ordinis Eremitarum S. Augustini supplicat humiliter declarari, benedictionem, & distributionẽ Corrigiae S. Monicae, necnon Paniculorum S. Nicolai de Tolentino, non ad Confraternitates laicorũ, etiamsi deuotionis, & non pro cõsequendis Indulgentijs, causa fiãt, sed ad Ordinis praefati Superiores duntaxat pertinere, iuxta Decretum aliàs editum tenoris sequentis.

Conquerente apud S. C. Cardinalium negotijs Episcoporum, & Regularium, praepositorum Ordinis Eremitarũ S. Augustini, Procuratore Generali, quasdam Confraternitates Corrigiatas S. Monicae eandem Corrigiam, necnon Paniculos S. Nicolai de Tolentino, pro Indulgentijs à Summis Põtificibus concessis, consequendis, absque eiusdem Ordinis Superiorũ licentia, benedicendi, ac distribuẽdi facultatem sibi arrogare: Illustrissimi praefatae Sac. Cong. Patres, benedictionem, & distributionem huiusmodi, ad praefati Ordinis Superiores duntaxat spectare, &

re, & pertinere, Confraternitatibus verò, ne in praemissis se ingerant, inhibendum esse censuerunt. Romae 30. Septemb. 1622.

Sacra Congregatio Cardinalium negocijs Regularium præposita censuit, benedictionem, ac distributionem in præinserto Decreto enunciatas ad prædicti Ordinis Superiores duntaxat pertinere, etiamsi easdem, vel aliquam earum fieri contigerit deuotionis causa; non autem pro Indulgentijs consequendis, ac propterea etiam hoc casu esse inhibendũ Confraternitatibus, ne in præmissis quoquomodo se ingerant. Romæ die decimasexta Iulij 1627.

L. Card. S. Sixti.

Locus † sigilli.

P. Fagnanus Sec.

DECRETVM SACRAE CONgregationis Apostolicæ Visitationis.

Sacra Congregatio Apostolicæ Visitationis, die 30. Iunij 1628. Pro Adm. R. Patre Procuratore generali totius Ordinis Eremitarum S. Augustini. Contra Adm. R. Patrem Vicarium generalem Fratrum Eremitarum Discalceatorum Congregationis Italiæ, decreuit; Non licuisse, neque licere præfato Adm. R. Patri Vicario, se nuncupare, aut nuncupari facere Generalem, sed tantùm Vicarium generalem Congregationis prædictæ, iuxta decretũ, aliàs, & sub die 23. Maij 1626. seù &c. in hac eadem Sacra Congregatione latum, & publicatum; Ideòq; illi inhibendum, nè audeat in futurũ, se Priorem generalem nuncupari, seù nuncupari facere. Et in fidem &c.

A. Episcopus Bellicastren. Sec.

Loco † sigilli.

Odoard' Tibaldescus eiusdẽ Cõgr. Not.

SVMMARIVM APOSTOLICARVM CONSTITVTIONVM,

Quae hactenus ad manus non peruenerunt, desumptum ex Chronica Ordinis apud Hieronymum Seripandum S.R.E. Cardinalem in Commentario rerum Ordinis: Iosephum Pamphilum Episcopum Signinum in Chronica Ordinis: Ambrosium Coriolanum Generalem in Defensorio: Hieronymum Romanum Hispanum in Centurijs: Henricum de Vrimaria, & alios scriptores.

402. INNOCENTIVS
1. Primus adhuc Augustino viuente, inter quos magna fuit amicitia, vt ex mutuis ad inuicem datis, & acceptis Epistolis constare potest, eiusdem Regulam, quæ incipit, (Ante omnia Fratres carissimi &c.) confirmauit; eamq; voluit ab Eremitis, tàm in Aphrica, quàm in Italia degentibus, ab eo congregatis seruaretur; qui etiam primus facultatem concessit eisdem ædificandi Oratoria, Sacella, & Domicilia in nemoribus, & siluis, & Indulgentias concessit ijs, qui manus adiutrices porrigerent. Ex Chronic. Ordinis apud Henricũ de Vrimaria, Ambrosium Coriolanum, quos citat Hieronymus Romanus in prima centuria, ad annum
2. 401. Cardinalem Seripandum in commentario ad annum 404. Gondisaluum Illescas lib. 2. hist. Pontif. c. 9. in vita Innocentij Primi.

417.
3. Zosimus Pontifex Ordini confirmauit omnia, quæ ab Innocentio concessa fuerunt, adhuc Augustino superstite, & facultatem Eremitis addidit euulgandi Euangelium per vniuersum Orbem. Ex Chronic. Ordinis Henrico de Vrimaria, Coriolano, Romano, centur. 1. Seripando ad annum 418. quibus adiungitur Illescas lib. 2. hist. Pontif. c. 10. in vita Zosimi Papæ ad finem.

Sixtus Tertius, Augustino de- 432.
mortuo, ob suam in eum deuotionẽ 4.
omnia Prædecessorum priuilegia, & gratias confirmauit. Ex antiquis Chronicis refert Coriolanus in Chronologia Ordinis, Seripandus in Cõmentario ad annum 435. & Romanus in prima Ordinis centuria.

Leo Primus, quo erat studio in 432.
Augustinum propensus, omnia pri- 5.
uilegia Prædecessorum Ordini confirmauit, & auxit: insuper titulum Ordinis approbauit, decreuitq; vt Ordo Eremitarum S. Augustini appellaretur, atque huius dono Pontificis, Ordo S. Augustini titulum sortitus est primum. Ex Chronic. Ordinis, & videndus est Coriolanus, & Romanus ad annum 445. & 446. & Cardinalis Seripandus in Commen-

mentario ad annum 443.

460. Hilarius Papa multis beneficijs
6. Ordinem complexus est, & post illũ Simplicius, quos ex chronica Ordinis refert Romanus in prima centuria ad annum 466.

483. Gelasius Primus comprouincialis
7. olim D. Augustini in Aphrica, omnia Pontificum prædecessorum priuilegia confirmauit, sub cuius Pontificatu corpus S. Doctoris de Aphrica in Sardiniam delatũ est. Ex chronic. Ordinis Roman. centur. 2. ad ann. 945. Seripand. in commentar. ad ann. 497.

605. Bonifacius Tertius concessit Ere-
8. mitis S. Augustini, in Eremo degentibus ad inopias subleuandas, quibus premitur Eremus, quod possent immobilia, & fructifera bona sibi à fidelibus relicta, possidere, cuius concessionis Bullam conseruari in Archiuo monasterij Montis Pesulani in Gallia, refert Romanus in cent. 3. Ordinis.

716. Gregorius Seçũdus perpetua me-
9. moria dignus, sub quo ex Sardinia opera Regis Luitprandi Papiã transl. latum est corpus S. Augustini, & in templo S. Petri in cælo aureo collocatum. Ex chronic. Bedæ, & Hermani Contratti, quos refert Seripandus in comment. ad annum 715.

795. Leo Papa Tertius non immemor
10. hospitalitatis, & officiorum Fratrum Conuentus S. Mauritij, diebus, quibus apud illos demoratus est, Sedi Apostolicæ immediatè subiectos illos declarauit. Ex epistola, cuius exẽplum habuisse ex Archiuo Grassæ affirmat Hieronymus Romanus in cent. quinta Ordinis ad annum 796.

855. Benedictus Tertius, gratias, &
11. immunitates à Summis Pontificibus concessas, confirmauit, & ampliùs, visitantibus ecclesias Ordinis, vnius anni, & vnius quadragenæ indulgentiam concessit. Ex chronic. Ordinis Coriolanus in chron. Roman. in cẽtur. 1. Ordinis ad annum 853. Seripandus ad annum 857.

Ioannes XII. renouauit omnia 957.
priuilegia, & de nouo alia concessit; 12.
de quibus in chronicis Ordinis, Coriolanus in chron. Romanus centur. 6. ad ann. 953. Seripandus in comment. ad annum 954.

Gregorius Quintus priuilegia cõ- 995.
firmauit, Romanus centur. 7. ad annum 995. & Seripandus in comment. ad ann. 986. 13.

Siluester Secundus priuilegia cõ- 998.
cessa confirmauit, & auxit. In chronic. Ord. & Rom. centur. 7. ad annum 997. Seripandus ad annũ 999. 14.

Ioannes XIX. priuilegia confir- 1024.
mat. In chronic. Ord. Coriolanus, & Roman. centur. 7. ad annũ 1029. 15.

Clemens Secundus, Leo Nonus, 1046.
Victor Secundus, omnes isti confir- 16.
mauerunt priuilegia; de quo legendi sunt Romanus, Coriolan. & Seripandus ad annos 1050. 1051. 1057.

Alexander Secundus, deuotione, 1061.
quam ferebat maximam D. Augu- 17.
stino, & Ordini, post confirmata priuilegia, & gratias Sedis Apostolicæ, concessit ecclesiæ S. Petri in cælo aureo de Papia, quia ibi corpus S. Augustini iacebat, Indulgentiam viginti quatuor annorum, & totidem quadragenas. Ex chronic. Ordinis Coriolanus, & Romanus centur. 7. ad annum 1068. & Seripandus ad ann. 1063.

Gregorius Septimus concessit Or- 1073.
dini nostro Indulgentiã vnius anni, 18.
& quadraginta dierum. Seripandus

in comment. ad annum 1074.
1099. Paschalis Secundus, præter in-
19. dulgentiam vnius anni, & quadra-
ginta dierum, insignem ecclesiam
S. Mariæ de Populo ædificauit à fun-
damentis, defossis eodem loco ossi-
bus Neronis,& in Tiberim proiectis,
vt esset refugij locus Populo Roma-
no apud Deum, vbi priùs Dæmonũ
insidijs vexabatur; & ædificatam fe-
ria sexta post tertiam Dominicam
Quadragesimæ consecrauit, & ab il-
lo die vsque ad octauã Resurrectio-
nis Domini mille annorum indulgẽ-
tiam concessit,& totidem quadrage-
narum. Deinde decem Cardinales,
20. qui consecrationi interfuerant, cen-
tum annos indulgentiæ singuli con-
cesserunt, & Episcopi trigintaduo
singuli vnum annum,& dies quadra-
ginta. Cum ecclesia monasterium
constructum est ab eodem summo
Pontifice, in quo nostri Ordinis Ere-
mitæ, diuino cultui mancipati per-
manent vsque in hodiernum diem.
Constant hæc omnia ex chronica
Ordinis, Ambrosio Coriolano pri-
ma parte defensorij c.16.fol.337.col.
4. & Romanus centuria 18. ad annũ
1100. Seripando in commentario ad
annum 1101. Nicolao Crusenio de
Monachismo S. Augustini p.2.c.19.
ad annum 1104.

1118. Gelasius Secundus, Callistus Se-
21. cundus, Honorius Secundus,omnes
isti Pontifices confirmauerunt priui-
legia, & indulgentias concessas. In
chronic.Ord. Romanus centur.8.ad
ann.1118. & 1119. Seripand. in cõ-
ment. ad annos 1118.1124.1125.

1130. Innocentius Secũdus, præter pri-
22. uilegiorum confirmationem, noua
etiam concessit, & habetur illius de-
cretum, quod nullæ essent Moniales
approbatæ,nisi quæ erant sub Regu-
la S. Benedicti,S. Basilij, & S. Augu-
stini. 18. q. 2.2. cap. Perniciosam cõ-
suetudinem, Romanus centur. 8. ad
annum 1124. & Seripandus in com-
mentar. ad annum 1130.

Lucius Secundus, Eugenius Ter- 1144.
tius vnius anni, & quadraginta die- 23.
rum indulgentiam concesserunt. Ro-
man.centur.8. & Seripan. in commẽ-
tar. ad annos 1144.& 1145. sub hoc
Pontifice accidit conuersio S. Gui-
lelmi. Consule historias Ordinis.

Anastasius Quartus D. Guilelmo 1153.
facultatem dedit ad restaurationem 24.
Ordinis, quam in Gallia prosequu-
tus mirificè fuit vsque ad eius mortẽ;
quæ quomodo contigerit in stabulo
Rhodis in Tuscia apud Historicos
inuenies.

Hadrianus Quartus restauratione 1154.
nondum à S. Guilelmo absolutam, 25.
ad perfectionem reducere curauit,
priuilegijs,& gratijs Ordini plurimis
concessis; fecit facultatem Eremitis
Ordinis ab Eremis ad locorum fre-
quentiam se transferendi; concessit
indulgentias ecclesiæ S. Augustini
de Vrbeueteri trium annorum, &
totidem quadragenarum. Romanus
centur.8. ad annum 1154. qui testa-
tur Bullas de translatione retineri in
Archiuo Parisiensi S. Augustini, &
Seripandus ad annum 1154.

Alexander Tertius Ordini nostro 1159.
addidit indulgentiam vnius anni, & 26.
quadraginta dierum. Seripand. in
comment. ad ann. 1159. Concessit
Ordini locum Suriani in patrimonio
Ecclesiæ inter montes Cyminos, in
quo Frater Guido primus habitauit.
Seripandus in commentar. ad annũ
præfatum, Nicolaus Crusenius in
Monachismo par.2.cap.24.

Gre-

1187. 27. Gregorius Octauus Ordini nostro concessit vnum annum, & quadraginta dies indulgentiæ; cōcessit Fratribus nostris auctoritatem audiendi confessiones, prædicandi, & cœmeteria construendi, & eos sepeliendi, qui in nostris cœmeterijs, atque ecclesijs elegissent sepulturā. Hoc priuilegium directum fuit Priori S. Iacobi de Aqua viua Diœcef. Pisanæ, prope Ciuitatem Liburni. Seripandus in commentar. ad ann. 1187.

28. Non est prætereundum hoc loco, quod sub hoc Pontifice vixit Ioānes de Spelunca, qui primus nominatus inuentus est inter Generales, cuius Prædecessores sinè nomine transierunt; Henricus de Vrimaria, qui vixit tempore Innocentij Quarti quādo vnio magna facta fuit, tractatum edidit de origine Religionis, quem vidisse, & legisse testatur F. Ludouicus de Angelis in Bibliotheca S. Victoris Parisijs in capsula signata B.B. B. exindèq; particulam desumpsisse, quæ ad manus deuenit Ioannis Marquez, & illam posuit in libro de origine Fratrum Eremitarum S. Augustini cap. 13. §. 19. Hunc eundem auctorem citant, & sequuntur omnes, qui post illū de rebus Ordinis scripserunt. Seripand. in commentar. ad annum 1159. de præfato Generali mentionem facit, & citat Henricum supradictum, de quo mentio specialis est in Chronologia Generalium in fine Bullarij posita.

1198. 29. Innocentius Tertius confirmauit Ordini nostro Cœnobium S. Antonij apud lacum Ambrosianū in territorio Senensi, aliàs de Ardigneta; confirmauit similiter Ordini Conuētum Lucensem; confirmationùmq; diplomata, & priuilegia se vidisse affirmant D. Antoninus 3. p. tit. 24. c. 14. §. 3. Beatus Iordanus de Saxonia lib. 1. de vitis Fratrum cap. 14. Ambrosius Coriolanus in libello de initijs Ordinis, & Romanus centur. 9. ad annum 1200. Bergomēsis in supplemento chron. ad ann. 1198. citat Breue huius Pontificis, quod incipit, Solet annuere, in quo Ordinem recipit sub tutela Apostolica.

Honorius Tertius recepit Ordinem sub protectione Sedis Apostolicæ, & confirmauit omnia priuilegia, quæ Innocentius III. concesserat. D. Antonin. 3. p. tit. 24. c. 14. §. 3. B. Iordanus de Saxonia lib. 1. de vitis Fratrum cap. 14. Bergomensis in supplemento chron. lib. 13. ad ann. 1217. Roman. 2. par. defensorij c. 14. fol. 331. col. 4. & cap. 16. fol. 336. col. 2. 1216. 30.

Gregorius Nonus concessit anno primo sui Pōtificatus Fratribus Eremitis S. Augustini, vt in Regno Legionis, Castellæ, & Portugalliæ; cuius concessionis vi Comes de Orem donauit ædes suas, vt ex libro manuscripto F. Ægidij de Præsentatione refert Fr. Nicolaus Pleneuaulx in libro, cui titulum fecit Primas Augustinianæus impressum Coloniæ anno 1627. lib. 5. cap. 14. in vita Gregorij Noni ad annum 1227. Concessit etiam indulgentias ecclesiæ S. Mariæ de Populo septem annos, & totidem quadragenas, & septimam partem remissionis peccatorum in omnibus festis B. Mariæ Virginis, & per octauas eorum, & in festis Natalis Domini, Circumcisionis, Epiphaniæ, Resurrectionis, Ascensionis, & Pentecostes; in die Cōsecrationis dictæ ecclesiæ vsque ad octauam Resurrectionis. Donauit præfatæ ecclesiæ 1227. 31.

Imagi-

Imaginem B. Mariæ Virginis depictam à S. Luca, quæ prius in Basilica Lateranensi colebatur. Ambros. Coriolan. in chronicis, Romanus centur. ad ann. 1227. & 1231. Seripand. in comment. ad ann. 1227.

1261. Vrbanus Quartus Viterbij resi-
32. dens, erigendum curauit monasterium in eadem Ciuitate, & ordinauit, vt Ordo semper habeat Patrem, Curiæ Assistentem, qui negotijs Ordinis semper intendat, mentèmq; Pontificis intelligat: quod officium modò exequitur Procurator Generalis, ad quem spectat omnia negotia generalia, & singulorum Conuentuum prosequi, vnde secundum locum obtinet in Ordine, Professionem in Collegio Theologorum, & Oratoris Pontificis munere fungitur. Crusenius in monachismo S. Augustini cap. 2. parte 3.

Sixtus Quartus declarauit Beatũ, 1483.
Ioannem Bonum de anno 1483. 33.
anno Pontific. 12. Ex Francisco Zazzera in miscellaneis pertinentibus ad Beatificationẽ. hic liber manuscriptus asseruatur Romæ in Archiuo ecclesiæ Nouæ RR. Patrum Congregationis Oratorij nuncupatæ.

CATA-

CATALOGVS CAPITVLORVM,

ET PRIORVM GENERALIVM ante vnionem magnam, ab Alexandro Quarto factam, quorum memoria superest.

1160. Capitulum primum Bononiēse.

PRIMVM Capitulū Generale, de quo habetur memoria, celebratum est Bononiæ, sub Alexandro Tertio de anno 1160.

Prior Generalis primus.

Prior Generalis, cuius nomen innotuit, fuit Ioannes de Spelunca, qui Ordinem rexit annis sexagintaduobus, idest vsque ad annum millesimum ducentesimum vigesimum; fortasse alius Generalis interim fuit, cuius nomen desideratur, & propterea totum hoc tempus Ioanni tribuitur.

1187. Capitulum generale secundū.

Extat memoria alterius Capituli Generalis, sub Vrbano Tertio, vel sub Gregorio VIII. de anno 1187. eundem Ordinem semper Ioanne præfato regente.

1200. Capitulum generale tertium.

Tertium Capitulū Generale habitum est sub Innocentio III. de anno 1200. vbi non satis liquet, credunt aliqui Romæ.

Prior generalis secūdus.

Prior Generalis eligitur Ioannes de Cella: alij dicunt, de Stella.

1216. Capitulum generale quartū.

Quartum generale Capitulum actum est de anno 1216. de loco non est memoria.

Prior Generalis tertius.

Prior Generalis fuit Adiutus de Fano.

Quintum Capitulū generale actū est de anno 1230. sed vbi non liquet. Prior Generalis fuit Philippus de Parma.

De Capitulis generalibus præfatis, & Prioribus Generalibus ex Chronicis Ordinis memoria sumpta est, quas primus edidit Henricus de Vrimaria apud Iordanum de Saxonia, qui Henricus illis temporibus vicinus in humanis agebat, ante vniones Innocentij Quarti, & Alexandri Quarti; quo tempore Ordo adhuc in dispersione manebat; & propterea minus diligenter res Ordinis curabātur.

His temporibus extabat Congregatio Ioannis Boni, quæ Regulam D. P. Augustini profitebatur, Ordinem verò, & Priorem Generalē non cognoscebat, sed proprias constitutiones, & Priorem Generalem habebat eundem Ioannem Bonum. Postquam autem ille cessit è viuis, contigit vt Ferrariæ Capitulo congregato inter electores exorto schismate, vna pars Vgonem Mantuanū Priorem Generalem eligeret, altera verò Matthæum; Vgo pro confirmatione Episcopum Cæsenæ adiuit, qui vti Superior agnoscebatur, eo quòd dicta Congregatio in eius diœcesi instituta fuerit, in loco, qui vulgò dicitur, l'Elmo, qui locus adhuc extat, in quo parua ecclesia cum claustro reperitur, & possidetur adhuc à mona-

monasterio S. Augustini de Cæsena; & propterea sub Ordinarij iurisdictione viuebat. Matthæus verò pro confirmatione Sedem Apostolicam adiuit. Verùm cum Innocentio IV. dissidium innotuerit, Congregationem supprimere decreuit, & illam Ordini vnire, & incorporare. Commissum itaque negotium est Guilelmo Cardinali S. Eustachij, qui Capitulum Bononiæ celebrari iussit de anno 1252. Innocentij verò præfati anno decimo; in quo electus fuit Prior Generalis Lanfrancus Mediolanensis, tunc temporis Bononiæ Prior, qui Ordini, & Congregationi præfatæ iam suppressæ præfuit. Idem Innocentius desiderauit alias Congregationes supprimere, & omnes vnire Ordini Eremitarum S. Augustini, sed complere non potuit morte præuentus.

1252. Capitulum generale sextum: Bononię secundũ. Prior Generalis quintus.

Alexander Quartus prædecessoris sui Innocentij sententiam vnionis amplexatus, Pontificatus sui anno quarto in Vrbe Roma, non autem Bononiæ, vt quidam dicunt, vt patet ex Bulla in Bullario nu. 18. Capitulum generale coadunari iussit, in quo Cardinalis Riccardus S. Angeli Præsidens fuit, & electus est iterum Lanfrancus Mediolanensis super omnes Congregationes, quæ Ordini vnitæ fuerunt, ac deinceps eorum nomine suppresso, vnus Ordo factus est, non ex pluribus vnus, sed ex pluribus vni vnitis, & incorporatis. Hic Generalis primus est post vnionem magnam, sed quintus in ordine iam cæpto.

1258. Capitulum generale septimũ Romanũ primũ.

Lanfranco vita functo post annos septem, sub Clemente Quarto Pontifice anno primo iterum Romæ Synodus agitur generalis in Conuentu S. Mariæ de Populo, in quo electus est Prior Generalis Guido de Stagio Prouinciæ Senarum oriundus è Stagio, ibi nullum vnquam extitit monasterium, sed ab eo parum distant antiqua monasteria Podij, Bonitij, S. Antonij de Silua lacus, & S. Augustini Collensis, ex aliquo forte illorum extitit.

1265. Capitulum generale octauũ. Romanum secundũ.

Generalis sext.

Guidone è viuis sublato in Vrbe veteri Sede Apostolica vacante, die duodecima Maij electus est Prior Generalis Clemens de Auximo, vitæ integritate insignis, Sede vacante.

1269. Generale Capitulũ nonum, in Vrbeuetere primum. Generalis septimus.

Quo tempore Lugduni generale Concilium habebatur sub Gregorio Decimo anno 3. die 16. Maij ibidem congregati sunt Patres pro Capitulo generale, ad leges, & constitutiones Ordinis faciendas, laborauit Clemẽs pro abdicatione officij, sed in vanũ: conspirauerant enim Patres Capitulares nullum habere Generalem præter ipsum.

1274. Capitulum generale decimũ. Lugdunẽse primum.

Clemens vitæ priuatæ desiderio flagrans, eodem anno die 18. Nouembris Lugduno in Italiam reuersus, Molariæ in agro Tusculano, qui locus iam perijt, coacta Synodo, adhuc Patribus obsistentibus, officio se abdicauit, & eligitur Generalis Franciscus de Regio Prouinciæ Romandiolæ sub Gregorio X. anno 3. Præsidẽs in Capitulo fuit Riccardus Cardinalis de Sancto Angelo, Protector Ordinis.

1274. xj. Capitulum generale. Molarię primum. Generalis octauus.

Reducuntur iterum comitia Molariæ, in quibus Riccardo Cardinale S. Angeli Protectore, constitutiones Ordinis ad meliorem formã redactæ publicantur, eodem Pontifice. Hoc eodem anno Capitulum habetur ad Centum cellas, sed fuit Prouinciale, non Generale.

1275. xij. Capit. gen. Molariæ secundũ.

Tuderti

1271. xiij. Capit. gen. Tudertinũ primum. Tuderti in Vmbria Capitulum generale cogitur pro constitutionibus iterum examinandis, & illarum exequutione, die 7. mensis Septembris Hadriano Quinto Pontifice anno primo.

1277. xiv. Capitulum generale. Viterbiense primũ. Sede vacante Viterbij celebratur Capitulum generale die 29. Octob. & confirmatur Generalis, idẽ Franciscus, qui in consessu Cardinalium de eligendo Summo Pontifice sermonem habuit.

1278. xv. Capit. generale Ariminen. primum. Arimini congregati sunt Capitulares in generali Synodo, in quo de morum reformatione actum est die 5. Maij, Pontificatus Nicolai Tertij anno primo, eodem Francisco Priore Generali.

1279. xvj. Capitulum generale Perusin. primũ. Perusij celebratur Capitulum generale eadem ratione, & causa die 21. Iunij, eodem Pontifice anno secundo, & eodem Generale.

1281. xvij. Capitulum generale Patauinum primum. Acta sunt comitia generalia Patauij in Marchia Taruisina 15. Augusti, Pontificatus Martini Quarti anno primo, confirmatur Franciscus Generalis. In hoc Capitulo decretũ est, vt singulo triennio celebraretur Capitulum generale, & pro iuuenibus ad studendum electi sunt Conuentus Patauinus, Bononiensis, & Parisiensis.

1284. xviij. Capitulum generale, in Vrbe vetere secundũ. Gener. octauus. In Vrbe vetere die 28. Maij sub Martino Quarto, anno quarto, mortuo Francisco de Regio, reassumitur ad Ordinis regimen Clemens Auximanus, licet inuitus.

1287. xix. Capit gen. Florentinum primũ. Florentiæ in Prouincia Pisana die 2. Maij acta sunt comitia sub Honorio Quarto anno tertio, Clemens confirmatur Generalis.

1290. Extat Capitulum generale Ratisponæ sub Nicolao Quarto anno 3. die 29. Maij. Clemens confirmatur, qui in Italiam reuersus Vrbe vetere obijt, clarus miraculis; in cuius loco Paulus Perusinus suffectus est Vicarius Generalis, qui nondum anno expleto vitam cum morte mutauit.

1292. xx. Capit. gen. Roman. tertium. Generalis nonus. Comitia habita sunt Romæ in Conuentu S. Mariæ de Populo die 6. Ianuarij, Pontificatus Nicolai Quarti anno quinto, Prior Generalis electus fuit Aegidius Romanus, inter Theologos primas, & fundamentarij Doctoris cognomento clarissimus.

1295. xxj. Capit. gen. Senen. primũ. Generalis x. Vltimo officij anno Aegidius Archiepiscopus Bituricensis creatus à Bonifacio Octauo, & postea Cardinalis nominatus, è viuis decessit. Capitulum generale actum est Senis Bonifacij Octaui anno primo, primá die Iunij, in quo electus est Prior Generalis Simon Pistoriensis Prouinciæ Pisanæ; in hoc Capitulo editus est liber, qui Ordinarius dicitur, de modo recitandi officium in Choro.

1298. xxij. Capit gen. Mediolanen. primum. Generalis xj. Die 25. Maij congregatũ est Capitulum Mediolani, in quo Simone magistratu se abdicante, electus est Prior Generalis Augustinus nouellus de Theramo Siculus, Pontificatus Bonifacij VIII. anno quarto. Hic primus fuit Sacrarij Apostolici præfectus Sacrista, & à confessionibus Sanctissimi Domini Papæ.

1300. xxiij. Capit. gen. Neapol. primũ. Gener. xij. Neapoli habita sunt comitia generalia prima die Maij, Pontificatus Bonifacij Octaui anno sexto, in quo post renuntiationem officij ab Augustino nouello factam, eligitur Frãciscus de Monte Rubiano Prior Generalis, & in illo memoria dignum fuit, quòd Rex Carolus cum Regina interfuit, & ecclesiæ S. Augustini maioris donauit caput S. Lucæ Euangelistæ.

1303. xxiiij. Capit. Conuenerunt Patres ad Capitulũ Perusij

general. Perusin. primū. Perusij die 25. Maij sub Bonifacio VIII. anno nono, in quo Franciscus eligitur pro alio triennio Generalis.

1306. *xxv. Capit. gen. Bonon. quartū.* Adunātur comitia generalia Bononiæ die 20. Maij, Pōtificatus Clementis Quarti anno secundo; Franciscus eligitur Prior ad triennium; In hoc Capitulo institutum est ieiuniū in Vigilia S. P. Augustini.

1308. *xxvj. Capit. gen. Genuense primū.* Cum è vita migrasset Franciscus Gandaui, vbi pro Ordinis ibi aliquā tulum collapsi restauratione laborabat, congregati Patres in generali consessu, elegerunt Priorem Generalem Iacobum Ortanum Pontif. Clemen. V. anno 4. prima die Septemb. *Generalis xiij.* His temporibus viuebat Henricus de Vrimaria antiquior scriptoribus nostri Ordinis.

1312. *xxvij. Capit. gen. Viterbien. secundū.* Cum essent Patres occupati in Concilio generali Viennense, dilatū est tempus Capituli vltra triennium, & celebratum est die 14. Maij Viterbij, Pont. Clem. V. anno octauo, & in illo electus est Prior Generalis Alexander à S. Elpidio Marchiæ Anconitanæ. *Gener. xiv.*

1315. *xxviij. Capit. gen. Patauin. secundū.* Sede vacante Patauij congregato Capitulo confirmatus est Prior Generalis Alexander præfatus, die 12. Maij.

1318. *xxix. Capit. gen. Ariminen. secundū.* Die quarta Iunij adunati Patres Capitulares Arimini, Pontif. Ioannis XXII. anno secundo, Alexandrum confirmarunt, & approbatæ fuerunt constitutiones Ordinis Ratisponæ editæ sub Priore Generale Clemente Auximano.

1321. *xxx. Capit. gen. Taruisin. primum.* Acta est Synodus generalis die septima Iunij Taruisij, Pontif. Ioānis XXII. anno quinto, in qua Alexander confirmatus est iterū Generalis.

1324. *xxxj. Capit. gen. Montispessulan. primum.* Congregatum est Capitulum generale Monte pesulano in prouincia Narbonæ die 2. Iunij sub Ioanne XXII. anno octauo sui Pontificatus, in officio confirmatur Alexander.

1326. *xxxij. Capit. gen. Florentin. primū.* Alexandro assumpto ad Archiepiscopatum Rauennæ, die 28. Febr. celebratur Capitulum generale Florentiæ, Pontificatus Ioannis XXII. in eo eligitur Generalis Guilelmus de Cremona Prouinciæ Lōbardiæ, pro cuius meritis Ordini nostro concessit Summus Pontifex ecclesiam S. P. Augustini S. Petri in cælo aureo. *Gener. xv.*

1329. *xxxiij. Capit. gen. Parisien. primū.* Coacta est Synodus generalis Parisijs die octaua Nouembris sub Ioanne XXII. anno 13. Generalis confirmatur.

1332. *xxxiv. Capit. gen. Venetum primū.* Comitia generalia celebrata sunt Venetijs sub Ioanne XXII. anno 16. die prima Iunij, & Generalis confirmatur.

1335. *xxxv. Capit. generale Grassense primum.* Sub Benedicto XI. anno primo die quarta Iunij congregatum est Capitulum Grassæ in prouincia Prouinciæ, in quo Generalis Guilelmus in officio confirmatur.

1338. *xxxvj. Capit. gen. Senense secundū.* Capitulum generale celebratum est Senis die vltima Maij sub Benedicto XI. anno quarto, in quo Generalis confirmatus est in officio.

1341. *xxxvij. Capit. gen. Tolosanum primū.* Habitus est Conuentus generalis Tolosæ die 27. Maij, Pontificatus Benedicti XI. anno septimo, & iterum Guilelmus Generalis confirmatur.

1343. *xxxviij. Capit. gen. Mediolan. secundū.* Assumpto Guilelmo ad Episcopatum Nouariensem, Capitulum generale actū est Mediolani die prima Maij, & creatus est Prior Generalis Dionysius Mutinensis, Pontificatus Clementis Sexti anno secundo. *Gener. xvj.*

1345. *xxxix. Capit. gen. Parisiense secundū.* Capitulum generale Parisijs celebratur die 9. Iulij, Pontif. Clemētis VI. anno quarto, in quo Dionysio è viuis sublato, eligitur Generalis Prior *Gener. xvij.*

Thomas

Gener. 17. Thomas ab Argentina, inter Theologos insignis.

1348. 40. Capit. gen. Papien. primũ. Die 8. Iunij Synodus generalis habetur Papiæ sub Pontif. Clem. VI. anno septimo, in quo Thomas ab Argentina confirmatur, in quo constitutiones Ratisponæ, auctæ, & moderatæ fuerunt, & sub pœna excommunicationis prohibita logica Ocham, & eius doctrina.

1351. 41. Capit. gen. Basileense primum. Basileæ in prouincia Rheni, & Suetiæ die decima Iunij in Capitulo generali sub Clemente VI. anno decimo, Thomas ab Argentina confirmatur.

1354. 42. Capit. gen. Perusin. tertium. Congregati Patres Perusij sub Innocentio VI. anno secundo confirmant in officio Thomam ab Argentina, & determinatum fuit, quòd Procurator Generalis Ordinis, vti Diffinitor vocem habere in omnibus Capitulis.

1357. 43. Capit. gen. Montis Pesulan. secundũ De anno 1356. cessit è vita Thomas Argentinas, & interim Vicarius generalis Gregorius Ariminensis factus est, qui sequenti anno in Capitulo generali Monte Pesulano habito in prouincia Narbonæ eligitur *Gener. 18.* Generalis, Pontif. Innocentij Sexti anno quinto die 21. Maij, inter Theologos insignis notæ.

1358. 34. Capit. gen. Patauinũ tertiũ. Migrauit è viuis Gregorius, nondum expleto anno suæ electionis, & die 4. Septembris Patauij acta Synodo Pontif. Innocentij anno 7. & electus est Prior Generalis Matthæus *Gener. 19.* Asculanus. Corpora Thomæ ab Argentina, & Gregorij conquiescunt Viennæ in Hungaria.

1362. 45. Capit. gen. Viennæ in Hũgariæ primũ. In principio Pontificatus Vrbani Quinti celebrata sunt comitia generalia Viennæ in Prouincia Astriæ, & Hũgariæ die octaua Iunij, in quibus Matthæus confirmatus est.

Senis decima die Iunij actum est Capitulum generale Vrbani Quinti Pontif. anno tertio, & ad aliud triennium confirmatur Matthæus Prior Generalis. *1365. 46. Capit. gen. Senen. tertiũ.*

Auenioni in prouincia Prouinciæ die 28. Maij, Vrbani V. anno sexto, vita functo Matthæo, eligitur Prior Generalis Vgolinus Vrbeuetanus. *1368. 47. Capit. gen. Auenionense primũ. Gener. 20.*

Vgolinus assumptus iam fuerat ad Episcopatum Ariminensem, & celebratum est Capitulum generale Florentiæ, in quo electus est Prior Generalis Guido de Bello reguardo, Gregorij XI. anno primo die 27. Maij. *1371. 48. Capit gen. Florent. tertium. Gener. 21.*

Coloniæ Agrippinæ die 21. Maij Gregorij XI. anno 4. peractum est Capitulum generale, in quo Guido ad triennium confirmatur. *1374. 49. Capit. gen. Coloniẽse primum.*

Veronæ in prouincia Marchiæ Taruisinæ celebratum est Capitulũ generale die 7. Maij Vrbani VI. anno primo, & electus est Prior Generalis Bonauentura Patauinus, qui ab eodem Vrbano Cardinalis creatus est tit. S. Cæciliæ. De anno 1385. propter schisma Clementis VII. non est congregatum Capitulum generale vsque ad annum 1585. recensentur Rectores interim triennales in Ordine Philippus Mãtuanus, & Nicolaus Amatricensis, quos Bonauentura grauioribus negotijs occupatus, de mandato Pontificis, Vicarios suos nominauit. Ipse Bonauentura in regimine supremo octo annis Ordini præfuit, scilicet vsque ad annũ 1385. cuius corpus quiescit Romæ in ecclesia S. Augustini in sacello S. Nicolai. *1377. 50. Capit. gen. Veronẽse primum. Generalis 22.*

Sub Pontificatu Vrbani anno 6. 19. die Maij de eiusdem Pontificis mandato, congregatum est Capitulum generale Strigonij in Hungaria, & electus est Prior Generalis Bartho- *1385. 51. Capit. gen. Strigoniense primũ.*

lomæus Venetus, qui priùs Vicarius Generalis fuit post Nicolaum Amatricensem. Hic fuit auctor Congregationis Ilicetanæ; His temporibus Antipapa Clemens Gebennensis, sicut Cardinales creauit, ita etiam Vicarios Religionũ, ex quibus vnus ex Ordine nostro fuit Ioannes Basileensis Antigeneralis schismaticorũ præsidio fultus, qui cum falsis Prioribus suis breui tempore euanuerunt.

1388. 52. Capit. gen. Imolẽse primũ. Anno vndecimo Pontificatus Vrbani Sexti die 17. Maij in generali Capitulo congregato Imolæ in Prouincia Romandiolæ Bartholomæus ad triennium confirmatus est in officio. In hoc Capitulo festa translationis, & conuersionis S. P. Augustini, & S. Monicæ sub ritu duplici celebranda decretum est.

1391. 53. Capit. gen. Herbipolense primũ. Die 10. Maij sub Bonifacio IX. anno 2. Herbipoli in prouincia Saxoniæ, nunc Rheni, & Suetiæ, Capitulum generale celebratum est, in quo Bartholomæus pro alio triennio confirmatus est Prior Generalis.

1394. 54. Capit. gen. Ariminense tertiũ. Aguntur comitia generalia Arimini die 15. Iunij Bonifacij IX. anno quinto, & idem Bartholomæus Generalis Prior confirmatur.

1397. 55. Capit. gen. Monacense primum. Synodus generalis Monachij, aliàs Cambuduni in Prouincia Bauariæ die 17. Iunij agitur, Bonifacij IX. Pontif. anno octauo, in quo ad aliud triennium Magistratus prorogatur Bartholomæo.

1400. 56. Capit. gen. Aquilãse primum. Gener. 23. Conuenerunt ad comitia generalia Patres cõscripti Aquilæ in Aprutio die 11. Iunij Bonifacij IX. anno vndecimo, & elegerunt Priorem, Bartholomæo vita functo, Nicolaum de Cassia.

1403. 57 Capit. gen. Laughingani in prouincia Sueuiæ, & Rheni die 3. Iunij Capitulum generale celebratur Pontif. Bonif. IX. *Laughinganense primũ.* in quo confirmatur in officio Nicolaus pro alio triennio.

Schismate magno Ecclesiam perturbante, Generale Capitulum non est coactum vsque ad annum 1408. *1408. 58. Capit. gen. Taruisinum secundũ* tandem sub Gregorio XII. anno 2. celebratum est Taruisij, in quo Nicolaus confirmatur.

Nicolaus vt euectus est ad Episcopatum Recanatensem, Romæ cõgregantur Electores 22. Maij Ioanne XXIII. anno tertio, & eligunt Priorem Generalem Petrus de Vera Tolosanus, qui antea Vicarius Generalis erat. *1412. 59. Capit. gen. Roman. primũ. Gener. 24.*

Dum Petrus Generalis in Cõcilio generali Constantiense occupatur, adunantur Patres in Capitulo generali Auenioni, die 19. Maij, & confirmant Petrum Generalem pro alio triennio absentem. *1415. 60. Capit. gen. Auenionen. 2.*

Pontificatus Martini V. anno primo, generale Capitulum celebratur Aste in prouincia Lombardiæ die 21. Augusti, in quo, Petro vita functo, eligitur Prior Generalis Augustinus Romanus, & in illo decretum est, vt Capitulum generale celebraretur singulo quinto anno. *1419. 61. Capit. gen. Astensẽ primũ. Gener. 25.*

Celebrantur comitia generalia Bononiæ die 21. Maij Pontif. Martini V. anno tertio, in quo Augustinus confirmatur. *1425. 62. Capit. gen. Bonon. quintũ.*

Monte Pessulano die 4. Iunij celebratur Capitulum generale, Pontif. Martini V. anno 13. in quo Augustinus iterum confirmatur. Hoc tempore initium habuit Congregatio Lombardiæ. *1430. 63. Capit. gen. Montis pessulanũ tertiũ.*

Augustinus assumptus est ad Archiepiscopatum Nazarenũ, & Episcopatum Cæsenatem de anno 1431. cum Ordinem per triennium gubernasset *1434. 64. Capit. gen. Mantuanum primũ. Gener. 26.*

nasset Vicarius Generalis Gerardus Ariminensis, in Capitulo generali Mantuano sub Eugenio IV. anno 4. decimanona Maij, eligitur.

1439. 65. Capit.gen. Perusin. quartũ. Anno Eugenij Nono Perusij conueniunt Patres die 23. Maij, & confirmant Gerardum Priorem Generalem.

1443. 66. Capit.gen. Senen. quartũ. Gener. 27. In comitijs generalibus Senis habitis anno 13. Pontificatus Eugenij die 9. Iunij, Iulianus de Salem Siculus à Gerardo senio confecto depositum onus gubernandi suscepit.

1447. 67. Capit.gen. Biterrēse primum. Die 28. Maij Biterris in Prouincia Narbonæ Conuentus generalis habitus est, & in illo Iulianus Prior Generalis confirmatus.

1451. 68. Capit. gen. Ferrariense secundũ. Ferrariæ die 3. Iunij acta sunt comitia Pontificatus Nicolai Quinti anno primo, & in illis Iulianus iterum confirmatur.

1459. 69. Capitulum generale Tolentinate primum. Generalis 28. Ob captæ vrbis Constantinopolitanæ timorem orbe præterrito, dilatata sunt comitia ad annum 1459. quæ habita sunt Tolentini 13. Maij, & electus est Prior Generalis Alexander Oliua de Saxoferrato, qui per annum prius defuncto Iuliano, Vicarij generalis in Ordine munus obierat. Memorabile fuit hoc Capitulum, in quo duo Cardinales Præsidentes fuerunt, Guilelmus Estouteuilla Protector, & Cardinalis Papiensis Marchiæ Legatus.

1460. 70. Capit.gen. Senen. quintũ. Nondum expleto suæ promotionis anno Alexander à Pio Secundo factus est Cardinalis S. Susannæ, & interim Vicarius generalis instituitur Guilelmus Becchius Florentinus, *Generalis 29.* qui postea in Capitulo generali Senis habito die 27. Septemb. Pontific. Pij Secundi anno 2. Prior Generalis creatur.

Congregatur Synodus Apamiæ in Prouincia Franciæ die 2. Iunij, Pauli Secundi Pontificatus anno primo, & confirmatur Prior Generalis Guilelmus. *1461. 71. Capit gen. Apamiense primum.*

Die 23. Maij aguntur comitia Perusij, Pauli Secundi anno Quinto, in quibus Guilelmus iterum in officio confirmatur. *1469. 72. Capit.gen. Perusin. quintũ.*

Guilelmus ad Episcopatum Fesulanum euectus est, congregato propterea Capitulo Bononiæ, ex Procuratore generali eligitur Iacobus Aquilanus, Pauli Secundi Pontific. anno 6. die 9. Iunij. *1470. 73. Capit. gen. Bonon. sextum. Gener. 30.*

Iacobo annorum nonaginta duorum expleta vita, Ambrosius Massarius Coriolanus ex Procuratore generali primo Vicarius generalis, deinde in Capitulo generale Romæ habito die prima Iunij sub Pontificatus Sixti Quarti anno quinto, electus est Prior Generalis, Protector Guilelmus Card. Estouteuilla Præsidens fuit. In hoc Capitulo decretum fuit, vt tàm Prouinciæ, quàm Congregationes ijsdem constitutionibus vterentur. *1476. 74. Capit. gen. Roman. quintũ. Generalis 31.*

Agitur Conuentus Perusij 26. Maij, in quo Præsidens fuit Gaspar Vrbeuetanus Procurator Ordinis, & confirmatur Generalis, Sixti Quarti anno vndecimo. *1482. 75. Capit. gen. Perusin. sextum.*

Post Ambrosium de Cora factus est Vicarius Generalis Siluester de Balneoregio, quo vita functo, onus gubernandi datum est Anselmo de Montefalcone, qui postea in Capitulo generali Senis habito die 14. Maij, Pontific. Innocentij Octaui anno 2. electus est Prior Generalis. *1486. 76. Capit. gen. Senense sextum. Gener. 32.*

Die 22. Iunij in comitijs Romæ habitis, Generalis Anselmus confirmatur, Pontif. Innoc. Octaui anno 7. *1491. 77. Capit. gen. Romanum 6.*

1497. 79. Capit. gen. Roman. 7. Anselmus senio, & infirmitate cōfectus, instanter petijt à Summo Pōtifice, & Protectore, ab onere gubernij liberari, cui ex voto Marianum Genezzanensem concionatorem celeberrimum Vicarium generalē substituerunt, qui postea in Capitulo generali Romæ habito die 4. Maij sub Alexandro VI. anno quinto, electus est Prior Generalis.

1501. 79. Capit. gen. Firmanum primum. Gener. 33. Mariano mortuo sub Alexandro VI. Pontific. anno 9. die 20. Maij habitis comitijs generalibus in Marchia Anconitana, eligitur Generalis Gratianus de Fulgineo, qui anno pręcedente post mortem Mariani, Vicarius Generalis, & Procurator Ordinis fuerat.

1505. 80. Capit. gen. Perusin. septimū. Gener. 34. Perusij post mortem Gratiani cōuenerunt Patres ad Synodum generalem die 6. Septēbris sub Iulio II. anno 2. Pontif. & eligitur Prior Generalis Augustinus Interamnēsis, qui anno præcedente post obitum Gratiani Vicarius Generalis Ordinē gubernabat. Hic annus memorabilis fuit, in quo Congregatio Andreæ proles in Germania, priuilegio à Sede Apostolica fraudulenter obtēto, recessit ab obedientia Generalis, ex qua exijt radix illa peccati, Lutherus.

1507. 81. Capit. gen. Neapol. secundū. Gener. 35. Vita breui fūcto Augustino Neapoli congregatur Capitulum die 23. Maij Pontific. Iulij II. anno 4. impensis magni Capitanei Consalui, & electus est Prior Generalis Ægidius Viterbiensis.

1511. 82. Capit. gen. Viterb. tertiū. Die 27. Maij Iulij II. anno 8. in generali consessu Viterbij, Ægidius in officio confirmatur.

1515. 83. Capit. gen. Ariminense quartū. Habitus est conuentus generalis Arimini die 27. Maij sub Leonis X. anno tertio, & Ægidius adhuc in officio detinetur.

Capitulum generale Venetijs agitur die 11. Iunij, Pontif. Leonis X. anno secundo, in quo eligitur Prior Generalis Gabriel Venetus, qui Ægidio anno præcedente ad purpuratos euecto, Vicarius Generalis Ordinem rexit. 1510. 84. Capit. gen. Venetū secundū. Gener. 36.

In Capitulo generali Taruisij celebrato, die 20. Maij, Pontific. Clementis Septimi anno 3. Gabriel in officio perseuerat. 1526. 85. Capit. gen. Taruisinum secundū

Patauij acta sunt comitia generalia prima die Iunij Clemen. VII Pontific. anno decimo, & eidem Gabrieli cura regiminis Ordinis commissa iterum demandatur. 1533. 86. Capit. gen. Patauinum quartū.

Veronæ in comitijs generalibus vita functo Gabriele, die 9. Iunij Pauli Tertij Pontific. anno quarto, Ioannes Antonius Theatinus in Aprutio post Gabrielem Vicarius Generalis, eligitur Prior Generalis. 1538. 87. Capit. gen. Veronense secundū. Gener. 37.

Breui, idest octo mensium interuallo, Ioanne Antonio Theatino è viuis sublato, Neapoli Patres Electores generales conueniunt 25. Maij, Pontif. Pauli III. anno 5. & eligunt Hieronymum Seripandum. In hoc Capitulo multa prouisa fuerunt contra errores Lutheri. 1539. 88. Capit. gen. Neapolitan. tertium. Gener. 38.

Congregatum est Capitulum generale Romæ 13. Maij, Pontif. Pauli III. in quo Seripando prorogatur officium ad quadriennium. In hoc Capitulo renouantur decreta contra Lutherum, & constitutionum reformatio indicitur. 1543. 89. Capit. gen. Roman. octauū.

Capitulum generale habetur Recineti in prouincia Marchiæ die 29. Maij, Pontific. Pauli III. anno 13. Seripandus in regimine Ordinis perseuerat. 1547. 90. Capit. gen. Recanaten. primū.

In comitijs generalibus Bononiæ cōuocatis, Seripandus officio renūtiat 1551. 91. Capit. gen. Bonon. septimū.

per

per Procuratores in absentia, & eligitur Prior Generalis Christoforus Patauinus, Pontificatus Iulij anno quarto. (Gener. 39.)

1555. 92. Capit. gen. Ariminense quintū. Arimini die 28. Maij adunatur Capitulum vniuersale, Pontificatus Pauli IV. anno primo, & ad quadriennium Christoforo deducitur gubernium Ordinis.

1559. 93. Capit. gen. Venetū tertium. Comitia Ordinis habita sunt Venetijs 13. Maij, Pontif. Pauli IV. anno quinto, & confirmatum est regimen Ordinis in manibus Christofori.

1564. 94. Capit. gen. Mediolanen. 3. Vniuersalis Synodus adunatur Mediolani die 20. Maij, in qua idem Christoforus in officio perseuerat, Pontif. Pij Quarti anno quinto.

1568. 95. Capit. gen. Patauinū quintū. Patauij ad concionem generalem conueniunt Patres die 5. Iunij Pij V. Pontif. anno tertio, neque adhuc regimen Ordinis à Christoforo recessit.

1570. 96. Capit. gen. Perusin. octauū. Gener. 40. Congressus generalis Ordinis fit Perusij, & anno præcedenti ab hac vita profecto Christoforo, Thadæus Perusinus, cum esset Vicarius, & Procurator generalis, eligitur Prior Generalis 14. Maij, Pontif. Pij V. anno quinto.

1575. 97. Capit. gen. Coman. nonum. Die 22. Maij Capitulum generale celebratum est Romæ Pontif. Greg. XIII. Thadæus confirmatur; & in hoc Capitulo editæ sunt constitutiones Ordinis correctæ, & à Summo Pontifice benedictæ. Cardinalis Sabellius Præsidens fuit.

1581. 98. Capit. gen. Bonon. octauū. Comitia aguntur Bononiæ præsidente Cardinale Paleotto Pontific. Gregor. XIII. anno 10. in quo Thadæus, vt quorundam declinaret inuidiam, officio renunciat, in cuius locum ascitus est Franciscus Recanatensis; (Gener. 41.) quo breui tempore cum spe de se excitata consumpto, cura regiminis à Gregorio XIII. commendatur Augustino Fiuizzanensi, Sacrarij Apostolici Præfecto.

1582. 99. Capit. gen. Roman. 10. Gener. 42. In Capitulo generali Romæ habito die 3. Iunij sub Gregorio XIII. anno vndecimo Præsidente Augustino Fiuizzanio, eligitur Prior Generalis Spiritus Vicentinus.

1587. 100. Capit. gen. Roman. 11. Gener. 43. Post obitum Spiritus Vicentini habita sunt comitia generalia Romæ 16. Maij, Pontif. Sixti V. anno tertio, & eligitur Prior Generalis Gregorius Elparensis, qui Hispania, & Lusitania visitatis, rediens in Italiam Cardinalis est creatus. Hic Pontifex Motu proprio officio Generalatus sexennium præscripsit.

1592. 101. Capit. gen. Roman. 12. Post assumptionem Gregorij ad apicem purpuratorum, Vicarius Generalis factus est Augustinus Cornetanus Procurator generalis Ordinis, qui Capitulum Papiæ indixerat, sed morte præuentus non compleuit; igitur loco eius suffectus Augustinus Fiuizzanius Sacrista, Romæ Capitulum indixit, & illo congregato die 16. Maij Clemen. anno primo electus est Andreas Fiuizzanius Prior Generalis, (Generalis 44.) quo tempore Summus Pontifex disciplinam regularem restaurare satagebat, plurimū laborauit discretione, & zelo. Hoc tempore officium duorum Assistentium nouiter institutum est, Motu proprio Summi Pontificis.

1598. 102. Capit. gen. Roman. 13. Gener. 45. Conuocato Capitulo sub Clem. VIII. anno 7. die 9. Maij. præsidente Cardinali Saulio Protectore, electus est Alexander Senensis, cuius electionem Clemens Ferrariæ degens, confirmauit.

1602. 103. Capit. gen. Recanatense 2. Alexandro biennio expleto officij vita functo, Vicarius Generalis vo-

catus est Fuluius Asculanus, qui Capitulum generale Recanati indixit, & in illo die 25. Maij, Pontific. Clem. anno secundo, electus est Prior Generalis Hippolytus Rauennas, Præsidente Cardinale Bandino Marchiæ Legato. *Gener. 46.*

1608. 104. Capit. gen. Roman. 14. Gener. 47. Ad Episcopatum Ortanum assumpto Hippolyto, postquam Vicarij Generalis munere functus est Ioannes Baptista de Aste Genuensis; in Capitulo generali die 22. Maij, Pontific. Pauli V. anno quarto, omnes Vocales nemine excepto communi inspiratione non expectato ordine suffragiorum eundem Generalem elegerunt.

1614. 105. Capit. gen. Roman. 15. Expleto sexennio congregatum est Capitulum generale Romæ die 17. Maij, Pauli V. Pontif. anno 10. in quo primo Præsidens fuit Cardinalis Saulius, qui veritus tumultuariam electionem fore, Senatũ dimisit re infecta; qua ad Sanctissimũ delata, breui horarum interuallo, iterum de illius mandato, Scipio Cobellutius Secretarius, postea Card. S. Susannæ, Cardinale Saulio domi parum defatigato quiescente, Patres ad concionem vocauit pro secunda vice, & electus est Prior Generalis Nicolaus de S. Angelo Marchianus. *Gener. 48.*

1620. 106. Capit. gen. Roman. 16. Euoluto sexennio Synodus generalis Romæ cogitur die 6. Iunij, Pauli V. anno 16. Saulio Protectore iterũ Præsidente, peracto scrutinio dictus est Prior Generalis Fulgẽtius à Monte Georgio Marchianus, quam electionem Summus Pontifex validauit. *Gener. 49.*

1625. 107. Capit. gen. Roman. 17. Fulgentio adhuc Priori Generali, Gregorius XV. curam Sacrarij Apostolici demandauit, quo ad Episcopatum Buianensem assumpto, Ordinis regimen commissum fuit Hieronymo Romano, qui Vicarij Generalis officio vltra annum functus, in Capitulo generali eligitur Prior Generalis Maij 17. Pontif. Vrbani VIII. anno secundo, & nunc Ordinem gubernat. *Gener. 50.*

CATA-

CATALOGVS
PROCVRATORVM GENERALIVM
IN ROMANA CVRIA.

PRocuratorem Generalem apud Sedem Apostolicam antiquitùs extitisse vetustiora, quæ temporis iactura non læsit, monumenta testantur; cui post Priorem Generalem honorem primũ semper Ordo concessit, & tanquam ex primarijs Ordinis in Romana Curia dignitate fulgentem, veneratus est, in cuius prudentia, & circumspectione in agendis negotijs quiescit.

Procuratores autem, quorum superest memoria, hi sunt.

1257 Thomas Andreæ filius Pedemontanus.

1298 Iacobus de Camerino.

1319 Robertus de Monte Rubiano.

1331 Ioannes Biterrensis, apud Ioann. XXII. laborauit in expeditione pro Conuentu Papiæ cũ Cardinale Bertrando, cui negotiũ erat commissum.

.... Stephanus Farginus, de anno non liquet.

1358 Bernardus Mansus Gallus.

1384 Bernardus Angelerius Gallus.

1386 Lucas Firmanus, & post illum iterum ad officium reassumitur Bernardus Angelerius.

1388 Thomas Tudertinus.

1425 Boetius Tolentinas.

1428 Michael Massanus.

Augustinus de Balneoregio, quo officio renunciante, eodem anno eligitur.

Ioannes Amatricensis.

Stephanus Cassianus. 1446

Stephanus Papiensis, quo breuì mortuo, sufficitur. 1456

Iacobus Aquilanus. 1457

Ambrosius Massarius Coranus. 1470

Gaspar Vrbeuetanus. 1479

Stephanus Coranus. 1484

Baptista Genuensis. 1486

Gratianus Fulginas. 1488

Petrus Caloforta Valentinus sub Alex. VI. 1501

Ioannes Antonius Theatinus. 1505

Hieronymus Melorius Fulginas. 1518

Io. Iacobus Barba Neapolitanus. 1534

Ambrosius Quistellius Patauinus. 1539

Christoforus Patauinus. 1549

Gregorius Patauinus. 1551

Fabianus Clauarius Genuensis. 1555

Ægidius Pisaurensis. 1560

Thadæus Perusinus. 1564

Alexius Stradella Fiuizzanensis. 1570

Spiritus Angusciola Vicentinus. 1575

Augustinus Cornetanus. 1582

Io. Baptista Plumbinensis. 1592

Guilelmus Fulginas. 1608

Laurentius Empoli. 1614

Iterum Guilelmus Fulginas redit ad officium; quo vita cedente, reliquum officij tempus suppleuit Andreas Cortonensis. 1620

Iterum Laurẽtius Empoli ad procurandi munus assumitur, & nunc prosequitur officium. 1625

PATRES

PATRES ELECTI AD ASSISTENDVM Reuerendiſſimo Patri Generali, ex Decreto Clementis Papæ Octaui.

	Ex Citramontanis.	*Ex Vltramontanis.*
1592	IACOBVS Cortonẽſis Prouinciæ Senenſis	Petrus Manriquez Prou. Caſtellæ.
1595	Santes à Monte Regali Prou. Vmbriæ Quo mortuo ſuffect' eſt Hippolytus de Rauenna Prou. Romandiolæ.	Auguſtinus Carauajal Prou. Mexicanæ.
1602	Nicolaus à S. Angelo Prou. Marchiæ Anconæ.	Franciſcus Pereyra Prou. Luſitaniæ.
1608	Petrus Ariminenſis Prou. Romandiolæ.	Petrus de Perea Prou. Caſtellæ.
1614	Io. Vincentius Spinula Genuenſis Prou. Lombardiæ.	Alphonſus Nuñus Prou. Bæticæ.
1620	Iacobus de Corneto Prou. Romanæ.	Alphonſus de Caſtro Prou. Mexicanæ.
1625	Hieronymus de Corneto Prou. Romanæ.	Antonius Iañez. Prou. Bæticæ.

SACRA-

SACRARII PONTIFICII PRAEFECTI,

Qui ex Augustiniano Ordine vsque in pręsens perpetua, & intermissa succesione assumpti fuerunt.

1298. AVGVSTINVS Thermitanus Siculus cognométo Nouellus, Nicolai Quarti à secretis confessionibus pro se, & curia Pontificia, cuius curæ commissæ sunt res Pontificis.

1298. Iacobus de Camerino Confessor, & Sacrista Augustino successit.

1319. Ioannes Lemouicensis Sacrista, & Confessarius Pontificis, ac Bibliothecarius Ioannis XXII. successit Iacobo.

1346. Post mortem Ioannis in eodem loco, & officijs successit Raymundus Apamieñ à Clemente VI. Episcopus Foroliuiensis, & postea Apamiensis creatus.

1366. Apamiam ad Episcopatum Raymundus proficiscitur, & in eius loco sufficitur Petrus Ammulius Lemouicensis, & eisdem fungitur muneribus, postea factus est Episcopus Senogalliensis, deinde Archiepiscopus Tarentinus Patriarcha Gradensis, & Abrundinus.

1373. Petrus Apamiensis post mortem alterius Petri Lemouicensis, Sacrista designatur, & postea Falerij Episcopus.

1393. Post mortem Petri Apamiensis Petrus Assalbitus Lemouicensis Sacristæ munus obtinuit, Episcopus primò Olorensis, tum Condouensis, tandem Electensis. Huius precibus Martinus V. concessit Ordini corpus S. Monicæ.

Petrus Assalbitus senio iam confectus in patriam reuersus est, & Rodulphus Castellanus Sacristæ, Confessarij, & Bibliothecarij officio ab Eugenio Quarto decoratur. 1440.

Rodulphi demortui sororis filius Ioannes Castellanus à Pio Secundo vocatus Referendarius, & Episcopus Castellanus, deinde Massensis ordinatur, auunculi officia subsequutus est. 1463.

Ioanne Castellano mortuo, in eo munere obeundo subsequitur Augustinus Castellanus. Hoc anno Sixtus Quartus constructa Bibliotheca Vaticana, eius curam ab officio Sacristæ separauit. 1484.

Augustino vita functo Ioannes Bosius Mediolanensis in Ordine Augustiniano nostro à puerili ætate vsque ad senectutem 1484. circiter à Sixto IV. Conuentui S. Sebastiani extra muros Cistercienfis Ordinis quibusdam de causis Abbas datus, ab Alexandro Sexto Sacristæ, & Confessarij officium accipit, de quo videnda est constitutio ipsius Alexandri 1494.

xandri in Bullario nu. 3. & deinceps Abbatiam S. Sebastiani vsque ad Angelum Roccham Sacristæ obtinuerunt.

1498. Zacharias Sauonensis in Bosij locum, & Sedem submittitur.

1504. Nicolaus Aqualesis, siuè Aquapoletanus Zachariæ defuncti officiũ adeptus, Archiepiscopus Dinachieñ non ita multo post enunciatur.

1508. Gabriel Masciolus Anconitanus, qui Generalis socius erat, à Iulio Secundo in Sede Nicolai demortui collocatur, & Archiepiscopus Dinachiensis, Castrensisq; Episcopus enuntiatur.

1534. Gabriele præ senio extincto, Alphonsus Aquilensis, siuè Aquapedẽtanus Sacrista à Pontifice vocatus, Episcopus Bouianensis, & Archiepiscopus Amalphensis suffectus est.

1544. Ioannes Iacobus Barba Neapolitanus post Gabrielem Sacristæ honore decoratus, Interamnensis Episcopus consecratur.

1564. Barba vita functo, successit in Sacrario Ægidius Pisaurensis Episcopus Neperinus, & Sutrinus, & Scholæ Cantorum Magister à Pio IV. factus est.

Ægidius huius lucis vsuram amisit, & illum in officio sequutus est Iosephus Pamphilus Veronensis Episcopus Signinus. 1568.

Pamphilus ad Episcopatũ suum profectus est, cui Augustinus Fiuizzanius Romanus in officio successit, à Clemente VIII. Sancti Spiritus in Saxia Commendator factus est. 1574.

Mortuo Augustino, Sacristiæ præficitur Angelus Roccha, qui titulo Episcopi Tagastensis honoratus est. 1595.

Ioannes Baptista de Aste Genuẽsis post mortem Angeli ad idem munus Sacristæ obeundum vocatur, & Episcopi Tagastensis honore decoratur. 1620.

Ioanne Baptista vita functo breui tempore; eodem honore, Sacristæ, & Episcopi Tagastensis dignatur Ioannes Vincentius Spinula Genuẽsis, postea Episcopus Brugneti creatur. 1620.

Succedit in locum Io. Vincentij Fulgentius à Monte Georgio Generalis Ordinis, & primò Episcopus Tagastensis, postea Buianensis creatus est. 1623.

Ad officium Sacristiæ accersitus est Fortunatus de Fano, quod nunc ab eodem exercetur. 1624.

EMPO-

EMPORIVM
ALPHABETICVM
EORVM, QVAE IN BVLLARIO CONTINENTVR.

tione

tione sententiæ Generalis deuoluitur causa ad Summum Pontificem. ibidem. Præcedunt omnes, etiam Procuratorem generalem in præsentia Generalis. Habent collectas ab Ordine. §.10. Primi Assistentes fuerunt Petrus de Manriquez, & Iacobus de Cortona. ibid. Finito officio retinent locum post Assistentes nouos, post Procuratorē Ordinis, Prouincialem, & Priorem. In Decreto quodam Card. Saulij viuæ vocis oraculo §.3.145. sub Gregorio xv. constit. 3. Eadem omnia repetuntur in alia constit. Clemen.viij. in const. 7. Pauli v. fol.300.301. & 302.

Assistentes absoluti gaudent priuilegijs concessis; ex sententia lata à Card. Protectore. Greg.xv. const.3. 145. Exemptiones eædem ad instantiam Regis Hispaniarum, cum consilio Cardinalium præpositorum negotijs Regularium, fuerunt omnino reuocatæ, & annullatæ. Vrban. viij. const.2. per totum. 375.

S. Augustini festum de præcepto in ciuitate, & diœcesi Tridentina; ampliatur ad totam Prouinciā Marchiæ Taruisinæ, & debet celebrari tanquam festum vnius Apostoli, vel Euangelistæ. Alex. vj. constit. 1. per totum fol.34. Sixt.iv.& Leon.x.constit.9. §.2. 244. Festum S. Augustini duplex maius. ibidem. Eius effigies restauratur in templo Cathedralis Mediolani cum habitu antiquo, non obstāte Canonicorum Regularium contradictione. Alex.vj. const.5. per totam. fol.40.

Ecclesia S. Augustini de Vrbe primò fuit ædificata ab Ordine, ante Honorium Quartum. Honor.iv.constit.5.§.2.161. Cui fuit vnita ecclesia parochialis S. Triphonis. ibid.

D. Augustini laudes. Ioann.xxij. const.2.§.3.fol.196. Caput, & Magister enuntiatur; & Fratres nostri, membra, & discipuli eius. Ioan.xxij. const.2.§.4.197.

Corpus D. Augustini in ecclesia S. Petri in cælo aureo. Ioann. xxij. const.2.§.5.197. Licentia ædificandi monasterium ad minus cum triginta, vel vigintiquinque Fratribus iuxta ecclesiam S. Petri in cælo aureo. Ioann.xxij. const.2.§.5.197. Habitatio debet esse distincta ab habitatione Canonicorum. Fundum pro fabricando monasterio vendere compelluntur Canonici. ibidem.§.8. Et multa alia ibidem habentur, quæ seruari debent in officijs per Canonicos, & Fratres in dicta ecclesia persoluendis. Circa sepulturas, funeralia, & oblationes, & legata. per tot.

De habitu, & pictura imaginis S. Augustini disputatio prohibita. Sixt. iv.cōst.2.§.2.& 3.322. An præter habitum Episcopalē, gestauerit vel nō gestauerit alium, sub pœna excōmunicationis prohibitū. ibid. Sub eadē pœna prohibentur disputationes, & controuersiæ, neque de cetero mentio de illa quæstione facienda est. ibid.§.3.322. Fautores controuersiæ præfatæ censuram incurrunt. ibid. Canonici Lateranenses, & Fratres Eremitani absoluuntur à censuris. const. 3. Sixti iv. quæ est viuæ vocis oraculum, factū Card. Riario. const. 3.§.3.324. Declaratio const. Sixti iv. ibid. §.4. 325. quæ est talis; Quod constitutio extenditur ad negantes, vel contradicentes; non autem ad asserentes, & affirmantes de institutione habitus Fratrum, & Canonicorum. ibid. §.4. Possunt Fratres de habitu priuatè loqui, & disputare; & etiam

etiam prædicare in ecclesijs nostris; item respondere publicè, & priuatè, in iudicio se defendere, libros scribere pro defensione cōtra Canonicos, & eorum libros. ibid. §.4. Generalis non tenetur legere, & publicare literas Sixti Quarti, nisi ad arbitrium. ibid. §.5. Transgressio Bullæ Sixti, nisi fiat ex contemptu non inducit censuram. ibid. §.6. 325

B

BEnedicere corporalia, vestes, & indumenta pro cultu diuino in locis Ordinis potest Prior Generalis. Iul. ij. const. 2. §. 8. 206

Bibliothecam donandi cui voluerit, facultas concessa Angelo Rocchensi Sacristæ. Clem. viij. const. 8. 88. & Paul. v. cōst. 8. per tot. 303 Sub pœna excommunicationis ab illa nihil tàm de libris, quàm de ceteris rebus amoueri, vel extrahi potest, etiā animo studendi. ibid. §.1. 503. Si aliquid ab illa alienatum fuerit, tota Bibliotheca deuoluitur ad Cameram Apostolicam. ibid.

Bona, & possessiones Ordini concessa, confirmantur. Alex. iv. const. 3. §.3. & 4. 3

Bona egredientium ab Ordine, & ad alium transeuntium sunt Ordinis, à quo recedunt. Gregor. xj. const. 2. §.3. 129

Bona monasterij alienandi beneplacitum Apostolicum dat Prior Generalis; si fiat in euidentem vtilitatē, & cōmoditatem ecclesiæ. Greg. xiij. const. 1. per tot. 130

Bona Ordinis recipiuntur in protectione Sedis Apostolicæ, & SS. Petri, & Pauli. Innoc. iv. const. 4. §. 3. & 4. 166. & 167. const. 16. §. 4. 182. Clem. iv. in const. 3. Mart. v. §. 4. 252

Bona Ordinis occupantes, si admoniti in triduo nō restituerint, sunt excommunicati. Leo x. const. 10. §. 3. fol. 245

Bonorum Ordinis administratio Prioribus est prohibita; & quibus sit committenda. Pij v. const. vn. §. 24. 25. & 26. Modus administrationis. ibid. 314. & 315

Bononiæ Prior Conuentus erat Lanfrancus Mediolanēsis, & electus est Generalis. Inn. iv. const. 14. §. 2. 176

Breuiarium Ordini concessum, & correctum à Fratribus Ordinis iuxta morem Ecclesiæ Romanæ, excepto Psalterio, approbatur. Alex. iv. cōnst. 6. §. 1. 10. & 11. & Innoc. iv. const. 9. §. 2. 172

Brittinēses Fratres Ordinis S. Augustini. Alex. iv. const. 3. §. 1. 6. In eorum domo nō potest introduci alius Ordo, nisi S. Augustini. Alexan. iv. const. 32. fol. 32. Elegerunt Ordinē approbatum S. Augustini. Greg. ix. const. 2. §. 1. 123. & Innoc. iv. const. 6. §. 1. 170

Fratrum de Brictinis ieiunium à festo Exaltationis sanctæ Crucis, vsque ad Pascha Resurrectionis. Greg. ix. const. 3. §. 2. 123. & 124. Alia plura spectantia ad reformationem, & obseruantiam, habes diffusè in eadē Bulla per totum. Greg. ix. const. 3. 124. per tot. Commendātur Fratres de Brictinis pro eleemosynis quærēdis. Innoc. iv. const. 8. §. 1. 171. Fratribus de Brictinis vnitur Ordo sanctæ Mariæ Magdalenæ Vallis Petræ. Innoc. iv. const. 6. per tot. 170. Illorū constitutiones approbātur. Innoc. iv. const. 12. 174. A festo S. Crucis vsque ad festum Resurrectionis ieiunent; Habent Quadragesimā Sancti Martini; Tribus diebus in hebdoma-

da lac,& oua comedere possunt;Celebrant Capitulum,eligunt Priorem, Diffinitores, & Visitatores; Habitus eorum vilis; prohibentur ipsis lineæ vestes. ibid. Controuersia inter Fratres de Brictinis, & Minores decisa est ad fauorem Fratrum de Brictinis. Innoc.iv.constit.13.175. A loco vbi erant, recedere prohibentur. Innoc. iv. const. 17. §.2.186. In loco,in quo sunt,non potest alius Ordo introduci. Vrban.iv.const.2.per tot. 367

C

CApitulum generale Romæ habetur pro vnione facienda, de mandato Alex.iv. in eius const.18.§.4. 19. Congregationes, quæ ad Capitulum generale nõ venerunt, obligatæ fuerunt ad obseruantiam. Alex. iv.const.18.§.8.20

Capituli prouincialis,& Congregationis acta, à Generali confirmanda intra mensem. Iul.iij.const.1.§.5. 216. Confirmatio sine causa non est deneganda, & causa denegationis assignanda infra mensem. ibid. §. 6. 217. Absente Generali à Curia Romana confirmatio petatur à Procuratore generali, vel eo absente,à Viceprocuratore. ibid. Vicarius electus non confirmatus non exercet officium. ibid. §.7. ibid.

Capitulum generale tantùm vnũ, cetera verò Prouincialia, vel Congregationis denominanda. ibid. §.9. Statutum de veniendo ad Capitulũ 40. capit. const. ab omnibus seruandum. Iul.iij.const.1.§.11.ibid.

Ad Capitulum generale omnes, etiam de obseruantia venire tenentur, sub pœnis contentis in cap. 40. const.Iul.iij.ibid. Et nota, quòd agitur de cõstitutionibus Romæ,& Recineti editis; & in reformatis per Thadæum Perusinum, cap. 3. 3. par.

Capellani Cardinalium sunt subiecti Generali. Mart.v.cõst.4.§.3.256

Capellani pro cura animarum in ecclesijs nostris positi à Superioribus,priuilegijs Ordinis fruuntur.Six. iv.const.5.§.52.346

Casus reseruati, propter quos Fratres sunt destinandi ad Sedem Apostolicam, qui sint declarat. Sixt. iv.const.5.§.47.341

B. Clara de Monte Falco beatificata, & eius officium in Choro per totam Religionem celebrandi licentia. Vrban.viij.const.1.per.tot.374

Collectas soluere pro pensionibus, & beneficijs ecclesiasticis non tenentur Fratres, etiam vigore literarum Apostolicarum, nisi de Ordine nostro fiat mentio specialis.Alex. iv. const.1.§.3.1. & const.3.§.12.4.& const.25.§.1.28

Ad Collectas pro Legatis, Nuntijs, & Collectoribus non tenemur. Vrban.iv.const.6.§.1.369

Confessiones Fratres nostri audire possunt. Bonifac.viij.const.9.§.2. 51.Approbati à suis Superiorib. ibid.

Confessores à suis Superioribus electi, sunt præsentandi Ordinarijs pro licentia obtinenda. Callist.iij. const.vnica.§.6.106

Confessores Cardinaliũ, & aliorũ Prælatorum sunt sub iurisdictione Generalis.Mart.v.const.4.§.3.256

Confessores in quolibet Conuẽtu deputandi.Pij v.const.vn.§.21.314

Confraternitates Centuratorum tantùm nomine Prioris Gener.expediũtur.Greg.xiij.const.3.§.1.& 2.134

Congregatio Lõbardiæ visitanda à Priore Generali;Decreta sub Innocentio

centio VIII. confirmantur; & Concordia similiter probatur. Potest visitare quando voluerit. Clem. viij. constit. 3. §. 1. & 2. 77. Ei præstanda obedientia.ibid.§. 3.& Pauli v.cōst.9. declaratur quoad Conuentus insigniores.Potest etiā personas visitare. ibid. §.4. 305. Vicarius Generalis in visitatione habet votum tantùm cōsultiuum. Clem.viij. const.3.§. 5.78. Non potest interesse scrutinio secreto.ibid. Habet locum post Assistētes, qui in Visitatione debent comitari Generalem. ibid.§.6. In defectu Visitatoris assumitur Prior vicinioris Cōuentus.ibid.§.7.79. Eadem ferè omnia repetita sunt const. 4. Clem. viij. Octo diebus ante,visitatio intimatur. Clem.viij.const.4.§.2.80.Capitulum indicitur Romæ. Eug.iv.const. 1. 111 Vicarius, & Rector Congregationis Lōbardiæ in omnibus Generali Ordinis immediatè subijciuntur. Eug. iv.const. 1.§.2.ibid.

Congregationi Lombardiæ,& Ilicetanæ cōmunicantur priuilegia Ordinis. Innoc. viij.const.3.per tot.192

Congreg.Lombardiæ Fratres opposuerunt priuilegio de obedientia, Generali pstanda. Iul.iij.cōst.1.§.2.215

Inter Congregat. Lombardiæ, & Priorem Generalem conuētiones factæ à Marcello Ceruino Protectore Card. approbatæ; Instrumentū habetur post const.1. Iul.iij. Generalis habet supremā prælaturam super Congreg.Lombardiæ.Paul.ij.const. 1.§.2. 271. Fratres Congreg.non subdūtur Superioribus Ordinis, nisi Priori Generali.ibi.§.3.272. Loca Ordinis occupare non possunt, neque Fratres Ordinis suos, viceuersa.ibid. §.4. Fratres hinc inde recipi nō possunt sinè licentia Superiorū.§. 5.ibid. Quæstus facere non possunt Conuētuales sub nomine Fratrum de Obseruantia, neque viceuersa.§.9.273. Soluunt collectas Priori Generali.§.10.ibid. Sub excommunicationis pœna conuentiones omnes seruare tenentur. §.15. 274. Possunt facere Mantellatos. Paul.ij.const.2.§. 2.275

Congreg. Ilicetanæ hæc siluæ lacus sub Priore Generali immediatè subduntur. Eug.iv. const. 3.§.2.116. De triennio in triennium congregant Capitulum,& eligunt Vicarium Gen. ibid. Eligunt Præsidentem, cuius officium per triduum durat.§.4.117.Fratres de familia Iliceti S. Saluatoris eligunt Priorem, qui confirmatur à Vicario Gener. ibid.§.2. Capitulum celebratur singulo triennio, vel quādo videbitur oportunum.ibid.§.4.Vicarius statim electus intelligitur confirmatus.ibid. Possunt facere diffinitiones, dummodò contrariæ non sint constitutionibus,& Regulæ.ibid.§.5 Prior Generalis potest visitare Congreg. iuxta constit. Ordinis.ibid.§.8. 118. Si obseruātia cessauerit in Congregatione, priuilegia, siuè literæ Apostolicæ nullæ sunt, & priuilegia concessa amittūt.ibid.§.12. 119.Non tenentur ad collectas Ordinis, excepto subsidio Prioris Gen. Pij ij.const. 1. §. 2. 308. Fratres culpabiles sunt puniēdi intra Congreg. Eug.iv.const. 4.§.6. 121. Sinè licētia Vicarij nullus obtinere potest gradus,& dignitates. §.7. Transeuntium ad Societatē bona, ipsius Societatis existunt.ibid.§.9. Approbatam S.Augustini Regulam elegerunt. Greg.ix.const.4.§.2.125

Congregationi, siuè vnioni per Alemaniā communicata fuerunt priuilegia Congreg. Lombardiæ. Iul.ij. const. 1. §. 1.202. Absque licētia impetra-

petrauit literas Apostolicas,ideò annullatæ fuerũt.Iul.ij.const,1.§ 2.203

Congregatio Alemaniæ immediatè Sedi Apostolicæ subiectam se faciebat, & à iurisdictione Generalis exemptam,Iul.ij.const,1.§.5.204

Congregationes omnes tenentur obseruare constitutiones, & diffinitiones factas in Capitulo Generali Neapolis.Leo x.const,4.§.2.233

Congregationes tenentur ad collectas soluendas pro illis Conuentibus, in quibus aliquando fuerunt Conuentuales.Pij ij.const.1.§.4.308

Congregatio Discalceatorũ Hispaniæ.Greg.xv.const.4.146

Congregatio Discalceatorũ Galliæ,Vrban.viij.const.8. per tot.383

Congreg. Discalceatorum Italiæ non possunt facere Priorem Generalem, sed tantùm Vicarium Gener. in Decret.Visitationis Apost. 386.

Consanguinei duo in primo,& secundo gradu non habent votum in eod.Capit.Clem.viij.const.10.§.9.97

Consecratio Altarium, & Ecclesiarum ab Episcopis Diœcesanis facienda. Alex.iv.const.3.§.10.4. Vrb, iv.const.9.§.7.372

Intra Clausuram fieri prohibentur latrocinia, & alia, pacem,& quietem perturbãtia. Inn.iv.const.4.§.17.168

Conseruatores non possunt se intromittere ad fauorem Fratrũ exeuntiũ ab Ordine.Leo x.const.5 §.5.235

Conseruatores non possunt absoluere Fratres à censuris, & pœnis, per Superiores inflictis.Paul.iij.const. 4.§.3. 283. Fratres petentes absolutionem à Conseruatoribus sunt interdicti.ibid. & absolutio super cẽsuris latis,vt dicitur,nulla est. ibid.§.4.

Constitutiones Ordinis confirmantur.Alex.iv.const.9.§.3.13

Constitutiones Ordinis, Romæ, & Recineti editæ,ab omnibus obseruandæ.Iul.iij.const.1.§.5.216

In Conuentibus numerus Fratrũ recipiatur, qui commodè sustentari possit. Clem.viij.const.10.§.4.94

Corrigiæ S. Monicæ, à Superioribus Ordinis dispensentur, & benedicũtur. in Decreto Cong.Reg.386

Ad Cruciatam prædicandã, conceditur licentia Generali mittendi 20. Fratres in subsidiũ Terræ sanctæ, per Italiam.Nicol.iv.const.2.per tot. & plura indulta, & indulgentiæ conceduntur. ibid.260

D

Decimas soluere Fratres nõ tenentur,& de quibus. Alex. iv. cõst.20.§ 1.21.Vrb.iv.const.9.§.4.371

A Decimis eximuntur bona Ordinis. Innoc.iv.const.4.§.5.167.Sixt. iv.const.5.§.41.diffusè.341

Decimas pertinentes ad ecclesias nostras,de manibus laicorũ redimere possumus. Inn.iv.cõst.4.§.15.168 & const.16.§.16.183.Clem.iv.cõst.1. §.1.61.Mart.v.cõst.3.§.5.&§.15.254

Ad medietatem Decimarũ Apostolicarum tenentur Fratres Mendicantes tantùm tàm in dominio Veneto, quàm alibi per totam Italiam. Iul.iij.const.2.§.1.225.Paul.iij.cõst.1. §.2.277. est priuilegium Ordini specialiter concessum, & extenditur ad Regnum Siciliæ, & dominium Venetorum.Paul.iij.const.5.§.1. & 2.284. Pij iv. const.vnica.§.2.310

Discalceatis pedibus incedere,nõ est conforme Ordini S. Augustini. Greg.ix.const.5.§.2.126. & est etiam in Regula expressum, vbi dicitur: Vestimenta verò, & calceamenta quando fuerint indigentibus necessaria,

faria, &c. Vide in fine pro Congregationibus Discalceatorum.

Distantia centum quadraginta cannarum mensuratur per viam, qua itur de loco ad locum. Bonifac. viij. const.6.§.1.47

Distantia centum quadraginta cannarum seruanda est inter Mendicantes; neque ecclesiæ iam ædificatæ possunt præfatis Ordinibus conferri infra spatium dictarum cannarum. Bonif.viij. const.7. §.3.48. Est obseruanda inter eos, qui extra monasteria nihil possident. ibidem. Cannæ debent esse octo palmorum. ibid. Et si alicubi possident, alicubi non possident, declarantur etiam in paupertate fundati.ibid.§.5.49

E

In Ecclesijs nostris nobis inuitis officia nullus celebrare præsumat. Bonifac. viij. const.3. §.2.44. Visitantes ecclesias Ordinis in Assumptione B.Virginis, B.Augustini, & in festo Dedicationis ecclesiæ, habent centum dies de indulgentia. Nicol.iv.const.1.2 59

Ægidius Viterbiensis edidit librũ de Incremento Ecclesiæ, Iulio Secundo gratum.Iul.ij.const.3.§.1.207

In Electione Priorũ,Episcopi non se intromittant.Alex.iv.const.7.§.1.11

Pro Eleemosyna, de malè ablatis ad libras trecentas quòd possent recipere concessit Fratribus Senẽsibus iuxta portam arcus. Alex. iv. const. 27.§.1.29

Episcopi non possunt se intromittere in electionibus Superiorum, vel instituere, vel remouere; aut contra statuta Ordinis nos profiteri compellere. Alex. iv. const. 3. §. 7. 3

Ab Episcopis alijs possumus recipere ecclesiastica sacramenta,si Diœcesanus gratis concedere nolit,aut si Sedes vacauerit. Alex.iv.const.3.§.8. 3.Vrban.iv.const.3.§.7.367

Ab Episcoporũ iurisdictione Fratres nostri exempti sunt,neque ratione rei, delicti, vel contractus conueniri possunt.Bonif.viij.const.1.§.1.42 & const.2.43.Clem.vij.cõst.3.§.2.69

Episcopi nullam habent auctoritatem in domibus nostris, & monasterijs. Clem.vij.const.3.§.3.& 4.70.

Non se intromittunt in electionibus nostris. Innoc.iv.const.4.§.8. & const.16.§.8.167. Non possunt cõpellere Fratres ad faciendam aliquã professionem, quæ sit contra statuta Ordinis. ibid. §.8.167. Pro oleo sancto, altarium consecratione,nihil recipere possunt.ibid.§.9.167. Si copia nõ adsit proprij Ordinarij possumus recipere benedictionem vasorum, vestium,& altarium consecrationem ab alijs Episcopis. ibid.§.9.167. Etsi voluerunt ordinare,& consecrare,ad illos accedere debemus. ibid. §.11. 168.Et hæc omnia habentur in cõst. Innoc.iv.§.8.const.16.§.9.& 11.182 & Clem.iv.in const.3. Martini v. §.8. & 9. 253

Eremus S. Leonardi de silua lacus, Ordinis Eremitarum S. Augustini. Alex.iv.const.5.§.1.10

Ad Exactiones nouas Episcoporum,non tenemur.Vrban.iv.const.9. §.11.372

Excõmunicationis sententias,latas à Superioribus,Ordinarij locorũ seruari faciant. Alex.iv.const.12.§.1.14

Eximuntur bona omnia,personæ, & ecclesiæ nostræ à iurisdictione Diœcesanorum.Bonif.viij.const.1.§.1.42 & const.3.§.2.44. Neque conueniri possunt corã Ordinario, ratione rei, deli-

delicti, vel contractus. ibid.§.2. nec excommunicari possunt. Bonif. viij. const.3.§.1.44

Exemptiones Bonifacij viij.const. 10. confirmantur à Clem.vj.const.1. §.2. & 3.64.65

Exemptiones Fratrum cum sint notoriæ, non sunt probandæ, sed sufficit allegare.Sixt.iv.cõst.5.§.46.344

F

FAmulis manentibus in nostris obsequijs sacramenta administrare possumus.Innoc.vj.const.1.§.2. 185. Non subduntur generali interdicto.ibid.§.2.& 4.185

Ad Fauores seculares recurrentes priuantur obtentis, voce actiua, & passiua; & eorum complices,& fautores. Clem.viij.const.6.§.3.83. Nomine secularium intelliguntur, qui de gremio Religionis non sunt,etiãsi sint Cardinales, Reges, & Imperatores. Clem.viij.ibid.Paul.v.const.3. §.1.& 2.291. Superiores Ordinis, qui gratias concedunt ad instantiam fauorum secularium, sunt excommunicati.ibid.§.4. & Paul.v.const.3.§.2. Electiones factæ ad instantiam fauorum secularium, nullæ sunt. Ad cõuincendos Superiores, satis est quòd constet de instantia facta,& requisitione fauorum. ibid.§.2.291. Procurantes fauores secularium sunt priuati omnibus gradibus obtentis, & in futurum obtinendis. Clemen.viij. const.6.§.3.83.& Paul.v.const.3.§.3. 291. Sub eisdem pœnis, quibus incurrunt Superiores. ibid.

Francorum Rex Ludouicus concessit Fratribus nostris Parisij locum Fratrum de Pœnitentia.Bonifac.viij. confirmat.const.2.§.1.& 2.43

Fratres tàm vltra,quàm citra Pharum manentes extra claustra sinè licentia, Generalis, & Prouincialis potest ad claustra reuocare, etiamsi literas habeant Apostolicas. Paul. iij. const.3.§.3.280

G

GEneralis Prior eligendus est à Fratribus.Alexan.iv.constit.3. §.15.4

Generalem habebat Ordo in Tuscia ante vnionem. Alex.iv.const.6. §.1.10. & etiam in Lombardia.Alex. iv.constit.7.§.1. 11. Vide quòd ante vnionem plures erant Priores Generales in Ordine. Idem const.8.11.9. 12.12.14.& 16. fol.17

Generalis electus, non confirmatus, officium suum exercere potest. Alex.iv.const.13.§.2.15

Generalis Marianus de Genezzano, & eius auctoritas super vniuersam Religionem,& Congregationes omnes.Alex.vj.const.4.§.3.39

Generalis potest absolui, & amoueri ab officio à Diffinitoribus, & Discretis.Bonifac.viij.const.4.§.2.45 Caput, & gubernator, & administrator totius Ordinis. Clemen.viij. const.3.§.3.78

Generalis Prior in Ordine erat ante vnionem tempore Innocentij iv. Innoc.iv.const.3.§.2.165

Generale mortuo, vel quomodolibet obeunte electio successoris ad Fratres pertinet.Innoc.iv.cõst.4.§.16 168.& cõst.16.§.16.183. & Clem.iv. in constit.3.Martini v. §.16.254. Vrban.iv.const.9.§.14.373

Generalis habet facultatẽ absoluendi Fratres à cẽsuris,& excessibus, certis casibus exceptis, dispensandi super irregularitatem, non tamen biga-

bigamiæ, & homicidij voluntarij. Innoc.viij.constit.4.§.1.193. Potest eandem facultatem concedere Prouincialibus,& Prioribus. ibidem.§.2. fol.194

Generalis Prior vnus tantùm, ceteri Superiores, Prouinciales, aut Vicarij vocandi sunt. Iul.iij.const.1.§.8. 217. sub pœna excõmunicationis,& priuationis vocis actiuæ, & passiuæ.

Generalis non potest dispensare in tempore Prouincialatus vltra biénium, vel triennium; sed tantùm in tempore, vel loco celebrationis Capituli. Matt.v.const.2.§.5.251

Generalis electus,& acceptata ab eo electione, cõfirmatus intelligitur, & potest suum officium exercere. Six.iv.const.5.§.53.346. Eius officiũ ad sexennium durat. Sixt.v. const.2. §.3. &4. 365. Confirmatio, vel extensio etiam ad breuissimum tempus sub pœna excommunicationis est interdicta.ibid.365

Gradus obtinentes contra constitutiones, & consuetudinem, priuantur.Leon.x.const.5.§.8.235

Graduatos à decem annis Pius v. examinari denuò iussit. const. vnica §.18.314

Grassæ monasterium fundatur. Alex.iv. const.30.fol.31. Eidem ecclesiæ in festo S. Augustini conceditur indulgentia centum dierum.

S. Guilelmi Fratres in Tuscia assumere iubentur Ordinem S. Augustini; vnde colligitur, dictum Ordinem S. Augustini præcessisse. Innoc. iv. const.1. per tot.164

H

Habitus Ordinis professorum, cucullæ nigræ non tinctæ, sed naturalis coloris, corrigiæ, baculi, seù crociæ, scapularia alba. Nouitiorũ item habitus, & Conuersorum, qualis. Alex.iv.const.14.§.5.15. Greg.ix. const.5.§.2.126

Habitum deferre prohibẽdi sunt per censuras eiecti ab Ordine, vel nõ professi. Alex.iv.const.10.§.1.13

Habitus albus in Ordine antiquus, sub nigro deferendus. Alex.iv. const.ead.§.eod.13. Greg.ix.const.5. §.2.126. Nigri coloris post vnionem deferendus. Alex.iv.const.18.§.7.19 Clem.viij.const.9.§.3. & 4. 91

Habitus controuersia cum Fratribus Minoribus, & eius determinatio. Alex.iv.const.21.§.2. & 3.& seq. 21. quæ etiam sub Greg.ix.constit.5. §.2. 126. excitata est. & Clem. viij. const.9.§.4.91

Habitus color niger, quoad cucullas, & vestimenta exteriora. Alex. iv.const.21.§.5.22. Clem.viij. const. 9. §.4. 91. In villa habitus albus potest deferri, & intra claustra, non autẽ in locis publicis. Clem.viij.const. 9. §. 4. ibid. Episcopi requisiti, exequutores constituuntur constitutionis Clem.viij.ibid.§.7.92

Habitus Ordinis est, tunicæ cum largis manicis, ita longæ, vt calceamenta appareant, ad differentiam Fratrum Minorum. Greg.ix.const.5. §.2.126. Vide quòd ex instituto Ordinis Fratres Eremitæ S. Augustini discalceati non incedunt.

I

Indulgentiæ multæ pluribus diebus festiuis concessæ sunt ab Innoc.iv.const.3.

Indulgentiæ Confraternitatis Cẽturatorum confirmantur in amplissi-

ma forma. Gregor.xiv. conſt. 2. per totam. 142

Indulgentiam, & remiſſionē plenariam ſemel in vita, & in morte poſſunt concedere Fratribus Confeſſores Ordinis. Iul.ij.conſtit.2.§.4. fol.205

Indulgentiæ Ordinis confirmantur, ſed non ſunt prædicandæ, neque publicandæ, durantibus indulgentijs fabricæ S. Petri. Iul.ij.conſt.6.§.3.213 & Leon.x.conſt.1.§.2.228

Indulgentiæ quatuor Ordinibus Mendicantium, Monialibus, & Mantellatis, & zona præcinctis ante indulgentias fabricæ S. Petri, validæ declarantur. Iul.ij.conſt.6.§.2.213

Indulgentia plenaria conceditur Confratribus S. Monicæ in die ingreſſus. Paul.v. conſt.2.§.1.289. In feſto S. Monicæ plenaria. ibid. §. 2. In articulo mortis plenaria. ibid.§.3. In die Natiuitatis, Paſchæ, & Penteceſtes ſeptem annos, & totidē quadragenas. §. 4. & aliæ indulgentiæ ibid. per totum. 290. Præſentibus proceſſioni, quæ fit in Dominica quarta menſis, indulgentia plenaria, ad inſtantiam Ioannis Baptiſtæ de Aſte. Paul.v.conſt.4.per totam.292

Impetrationes à Sede Apoſtolica, etiam Motu proprio contra Regulā, conſtitutiones, & cōſuetudines, nullius ſunt roboris, vel momenti. Leon. x.conſt.3.§.7.232.& conſt.5.§.4.234 & conſt.10.§.6.246

Interdicti generalis tempore poſſumus celebrare diuina officia ianuis clauſis, & non pulſatis campanis. Alex.iv.conſt.3.§.9.4.& cōſt.16.§.1. 17.Innoc.iv.conſt.16.§.1.18

Interdici non poſſunt Fratres, neque loca noſtra. Bonifac.viij.conſt.3. §.2.44

Interdictum generale ceſſat in Vigilia S. P. Auguſtini. Honor.iv.conſt. iv.§.2.160. Tempore interdicti generalis poſſumus diuina celebrare. Innoc.iv.conſt.4.§.10.168. Iul.ij.conſt. 5.§.7.212. Clem.iv.in cōſt.3. Mart.v. 252. Sixti iv. conſt.5.§.43. 343. Vrban.iv.conſt.9.§.8.372

Ioannis Boni Fratres in partibus Lombardiæ habitum ſimilem Fratribus S. Franciſci deferebant. Greg. ix.conſt.5.§.1.126. Ortum habuerunt apud Budriolū. Innoc.iv.conſt. 14.§.1.176. Obtinuerunt Regulam S. Auguſtini à Sede apoſtolica. ibid. §.5. Eorum habitus in principio erat ſimilis Fratribus Minoribus, poſtea elegerunt nigrum. ibid.§.5. & 6. Eorū profeſſio. ibi.§.7.177. Schiſma in Ordine F. Matthæus Prior Generalis ab Epiſcopo Cæſenæ confirmatus.

B. Ioannis de S. Facundo conceditur facultas recitandi officium. Clem. viij. conſtit.7. per totam. 85. Eius Beatificationem petierunt Ferdinandus Rex Catholicus, Carolus v. & Philippus ij. & Philippus iij. ibid. §.3.85. Fuit Collegialis S. Bartholomæi Salmaticen. ibid.§.4. Eius Beatificationis Procurator in Curia fuit F. Aloyſius de los Rios. Floruit anno. 1488.

Ioannis de Polliaco error damnatus circa confeſſiones factas Confeſſoribus Mendicantibus. Calliſt.iij. conſt. vnica. §.7.106. Quòd Fratribus Mendicantibus confeſſi tenerentur in Paſchate iterum confiteri proprijs Parochis. §. 7. 106. Reuocauit dictos articulos tanquam hæreticos in publico Conſiſtorio. Six.iv.conſt. 5.§.54.346. Calliſt.iij. conſt. vnica. §. 7. 106. Eundem errorem poſtea amplexati ſunt quidam, & alios addide-

diderunt circa sepulturas, & missas audiendas. ibid. 106

Super Irregularitatibus ex defectu natalium ex quouis illicito concubitu, Superiores Ordinis possunt dispensare. Sixt.iv.const.5.§.48.345

Iudicio seculari non possunt subijci Fratres nostri Ordinis. Alex. iv. const.3.§.7.3

L

LAici Fratres, vel Conuersi ad seruiendum non recipiãtur ante vigesimumquintum annum.Pij v. const.vnica.§.3 2.3 15

Lanfrancus primus Generalis totius Ordinis post vnionem magnam. Alex. iv. const.18. §.28.& const. 19. fol. 20

Legata nobis facta cum clausula recaducitatis in casu non obseruantiæ, confirmantur, & clausula irritatur. Iul.ij.const.5.§.4.2 11

Leonardi Conuentus de silua lacus vnitur Conuentui S. Saluatoris. Alex.iv.const.5.§. 1. & 2. 10

Literæ Apostolicæ non sunt contra nos, nisi in illis fiat mentio specialis Ordinis nostri. Clem.iv.const. 2.§.1.62

M

MAgistri in Prouincijs Hispaniarum ad numerum senariũ reducuntur, & Magistri, & Præsentati vltra numerum fieri prohibentur. Clem.viij.const.2.§.2.74

Magistros creandi, facultatẽ obtinuit Generalis Thadæus Perusinus, vltra montes propter eorum paupertatem, qui creati gaudent priuilegijs, & immunitatibus vniuersitatum, Gregor. xiij. constit.2.§.2. & 3. 133. & 134

Magistri in Theologia fiunt duo per singulas Prouincias, & Congregationes. Greg.xiij.const.4.§.2.135 in Prouincijs Italiæ. Fiunt per concursum in Capitulis Prouincialibus. ibidem. §.4. Possunt eligi ex Prouincijs alienis, si tamen fiant filij illius Prouinciæ, cuius nomine Magistri facti sunt. ibid.§.4. Dandæ sunt literæ signatæ præsentandæ in Capitulo generali, & in Diffinitorio aperiẽdæ; Magistrorum priuilegia.ibid.§.7.Cõtra formam constitutionis Greg.xiij. Magistri facti, priuantur, etiamsi per Sedem Apostolicam concessum fuisset.ibid.§.8.136.137.138

Mantellatas, & Pinzocheras ad habitum possumus recipere, sicut Minores, & Prædicatores. Bonifac. ix. const.1.§.2.53. Earũ priuilegia. ibid. §.3.53.Sixt.iv.const.5.§.42.392

Mantuanus Conuentus erat prouinciæ Venetæ. Paul.ij.constit.1.§.10. fol. 273

S. Mariæ de Populo Conuentus fuit Ordinis ante Honorium iv. Ex eod.const.5.in titulo.161

S. Mariæ Magdalenæ Vallis Petræ ecclesia Ordini vnitur. Innocen. iv. const.6.per totam.170

Mare magnum Sixti Quarti, in const.5. eiusdem, in quo continentur priuilegia concessa Nicolai v. Bonifacij viij. Vrbani vj. Alexandri iv. Martini v. Eugenij iv. 328

Maris magni transumpto publico fides adhibenda est, sicuti originali. Sixt.iv.const.5.§.50.345

Matrimonium cõtractum dirimitur à muliere professa in manibus cuiusdã Fratris S. Augustini. Innoc.iij. const.vnica. 163.Matrimonium contractum

tractum per modicam coactionem, tenet.ibid.§.4.164

S. Matthæi in Merulana Prioratus, siuè ecclesia, vnita fuit Conuentui S. Augustini à Sixto iv. conſt. 4. per totam. 326

Mediolani in ecclesia maiori restitutio imaginis S. Augustini in habitu nigro. Alex.vj.conſt.5.per totam.40

Mendicantes Fratres non possunt trãsire ad Ordines monasticos. Martin.v.conſt.1.§. 1.249

Missam post Matutinum, etiamsi sit ante aurorã, celebrare possumus. Innoc.viij.conſt.3.§.2.192

Monialibus sub cura Ordinis degentibus communicantur indulgentiæ. Iul.ij.constit.2.§.6.206. & constit.4. §.2.209

Monasteria noua recipere possumus cum sola licentia Ordinarij. Iul. ij.constit.2.§.7.206. & constit.3.§.2. 207. & non obstante constit. Bonifacij viij. Iul.ij.conſt.3.§.2.208

Monasteria Monialium sub cura nostra, si destitui, & supprimi contingat, deuoluuntur ad Ordinem. Sixt.iv. conſt.5.§.50.345

S. Monicæ corpus de licentia Martini Quinti translatum est de Ostia ad ecclesiam S. Augustini de Vrbe, & ibi die nona Aprilis tumulatum. Martin.v.conſt.6.per totam. 258

Munera largientes pro fauoribus sunt excommunicati. Paul.v.conſt.3. §.3.291

N

NEapoli Cõfratres sanctæ Crucis excommunicantur, nisi eleemosynas occupatas Fratribus S. Augustini restituerint. Iul.ij.conſt. 4.§.3.209

S. Nicolai de Tolentino Canonizatio. Eugen.iv. conſt.2.112. in qua plurima miracula reperiuntur, scilicet trecenta, & vnum, relata in Consistorio; Testes trecenti, & septuaginta examinati fuerunt. ibid. Visitantibus eius sepulcrum septé anni indulgentiæ, & totidem quadragenæ perpetuæ conceduntur. ibid. §. 12. 114. In eius capella Tolentini, Dominica prima post festum ipsius S. Nicolai, est indulgentia sicut in festo Portiunculæ. Bonifac.ix.conſt.2.§.1. 54. Committitur Episcopo Salunési facultas fabricandi processum de vita S. Nicolai. Innoc.6. conſt.2. §.1. & 2.186. Item conſt.3.refertur Breue Ioannis xxij. pro formatione processus. Innoc.vj.cõſt.3.188. Festum ipsius S. Nicolai sub ritu duplici celebrandum, & Calendario Romano adscribendum. Sixt.v.conſtit. 1.§.3. fol. 364

Nouitij, etiam Oblati ante annũ decimumoctauum non recipiantur. Pij v.conſt.vnica. §.31.315. Non recipiantur, nisi in Conuentibus insignioribus. ibid. §.33. Instruantur in grammatica, cantu, & cæremonijs. ibid.315. In recipiendis Nouitijs diligentia quæ sit facienda. Clem. viij. conſt.10.§.6.95

O

OFficium diuinum in choro, vel cum alijs recitare, tempore Innocentij Quarti. Alexan.iv.conſt.6. §.2.11

Orationi serotinæ, quæ fit post confessionem, præsentibus, vel Salue Regina dicentibus, conceduntur septem anni indulgentiæ, & totidem quadragenæ. Leo x. conſt.2.§.2.230

Ora-

tantùm

tantùm statutis diuersas. Sixt.iv.constit.2.§.4.323

Ordinarij. Vide Episcopi.

Ordines sacros à Diœcesanis Episcopis recipere debent Fratres. Alex.iv.const.3.§.10.4. Innocent.iv. const.16.§.11.183

P

PAniculi S.Nicolai de Tolentino à Superioribus Ordinis benedicuntur, & dispensantur. Decreto Congr.Regul.386

Papiensem ecclesiam Bonifacius Nonus diuisit, & medietatem, propriã esse nobis voluit Motu proprio; & circa funeralia,& oblationes in festo D. Augustini, aliqua decreuit. const.9.per tot.56

Paramenta, & vestes pro Altaribus benedicendi facultas.Innoc.viij. const.3.§.2.192. Iul.ij.constit.2.§.8. 206.& const.3.§.6.208

Parisijs cuiusdam domus contractus confirmatio Honorij iv. const.1. per tot. 154. & alterius contractus similis confirmatio. Honorij iv.cõst. 2.156.& alia const. 3.vnde Ordinis antiquitas ibi conuincitur. 159

Parochum maiorem auctoritatẽ, quàm Summus Pontifex habere, super Cap. Omnes vtriusque sexus, error damnatus. Callist.iij.const.vnica. §.8. & 9.107

Pœnitentiariæ Apostolicæ literæ Fratribus exeuntibus ab Ordine post crimina patrata, non suffragantur. Iul.iij.const.3. per tot.226

Ecclesiæ S.M.de Populo indulgen. Sixt.iv.const.6.350.Confessores eiusdẽ ecclesiæ vti minores Pœnitẽtiarij absoluere possunt. Sixt.iv. constit.7. 351. Populus Romanus obligatur ad oblationem annualem vnius calicis. const.8.352.& Indulgentiæ cõceduntur. ibidem. Fuit vnita Congregationi Lombardiæ. Sixt.iv.constit.9. §.3. 355. Eidẽ monasterio fuit vnita ecclesia S. Susannæ, quæ priùs extiterat S. Ioannis de Carbonaria. Sixt.iv. constit.9. §. 5. 356. Singulis Sabbathis Quadragesimæ Indulgentia plenaria. ibid. const.10.357. Sex Confessarij cum auctoritate, quam habent minores Pœnitentiarij in ecclesia S. Petri. ibid. §.3.

Portionem canonicam de legatis factis ecclesijs nostris exhibere non tenemur. Clem. iv. const. 1.§.1.61

Prædicandi facultatem concedit. Bonifac.viij.constit.9.§.2.approbatis à Superioribus. 51

Prædicatores eligebantur, & approbabantur in Capitulis, siuè generalibus, siuè prouincialibus. Cælestini v.const.3.§.1.103.

Priores ad biennium durant in eodem Conuentu.Pij v.const.vnica. §.22.314

Priuilegia concessa à Prædecessoribus.Alexand.iv.confirmat.const.3. §.17.4

Priuilegia nostra seruare monentur Ordinarij locorum, & non contemnere. Alex.iv.const.11.§.1.14

Priuilegia concessa varijs Congregationibus ante vnionem, extenduntur, & de nouo conceduntur ad omnes post vnionem.Alex.iv.const. 23. per tot. 25

Priuilegia omnia Minoribus, & Prædicatoribus concessa circa sepulturas,confessiones,& prædicationes, Nobis etiam conceduntur. Bonifac. viij.const.9.§.4.51

Priuilegia nostra confirmantur, & de nouo conceduntur, & fit communi-

municatio Priuilegioru ampliſſima. Clem.vij.conſt. 1.65.Cæleſt.v.conſt. 1.& 2.100. & 101. Moleſtantes nos contra priuilegia noſtra per cenſuras eccleſiaſticas deſiſtere compellūtur. Clem.iv.conſt. 3.§.2.62

Priuilegia quærentes Fratres peccare mortaliter,error ſequacium Ioannis de Polliaco,damnatur.Calliſt. iij.conſt.vnica.§.8. & 9.107

Priuilegia confirmantur ab Innocentio iv. conſt.4.§. 18.168.& multas pœnas comminatur. ibid. §. 20. violantibus ea.169.Ad illorum obſeruantiam procurandam, hortantur Prælati.Innoc.iv.conſt.5.§.2.170. & conſtit.16.§.17.183.Leon.x.conſt.3. §.2.230.Vrban.iv.conſt.9.§.16.373. Vrban.vj.conſt.1.373

Priuilegiorum defenſores conſtituuntur Aretinus, Maſſanus, Senenſis Epiſcopi. Ioan.xxij. conſt. 1.194. Ampliſſima cōfirmatio facta per Iul. ij. conſtit. 2. quæ eſt Bulla aurea.§.3. 204.conſt. 3.§.3.208.& Leon.x.cōſt. 3.§.2.226.Clem.vij.conſt.3.§.4.70

Priuilegia aliorum Ordinum cōmunicantur.ibid.Iul.ij.conſt.2.§.4.& conſt.3.§.4.& conſt.5.§.2.211.Confirmantur omnia priuilegia conceſſa per Breue,vel Bullam,quàm per ſimplicem ſignaturam ſupplicationis. Iul.ij. conſt.4.§.4.210

Priuilegiorum tranſumpta, per aliquem Prælatum ſubſcripta, vel Notarij publici, fidem faciunt ſicut originalia. Iul. ij. conſt. 4. §. 5. 210. Leon.x.conſt. 10.§.6.246. Etiā Prioris Generalis Ordinis ſigillo confirmata. ibid. Impetrationes à Sede Apoſtolica contra Priuilegium, & Breue Iulij ij.inualidantur.Iul.ij.cōſt. 4.§.7.210. Leon.x.conſt.10.§.6.246. & niſi appareat conſenſus Prioris Generalis, & Ordinis Superioris. Iul. ij.conſt. 5.§.5.211. Leo x. cōſt.3.§.4. & 5. 231 Vide verbum Impetratio.

Priuilegia Sedis Apoſtolicæ à nullo irritari poſſunt. Leon.x.conſtit.5. §.3.234

Priuilegia Mendicantium confirmata ſaluis declarationibus Concilij generalis.Leon.x.conſt.6.236.Agētes contra Mare magnum, & Priuilegia pro excommunicatis habētur. Leon.x.conſtit.10.§.4. 245.Contra priuilegia Calliſti Tertij conſtitutio edita pro obſeruatione conſt. Bonif. viij. ad terminos iuris reducitur, & confirmātur priuilegia.Sixt.iv.conſt. 1.§.3.5.&6.230.Qui Sixtus etiā confirmat ea conſt. 5.§.4. 341. & communicantur Ordini priuilegia Prædicatorum,& Minorum.ibid.§.55.347

Priuilegia noſtra violantes Epiſcopi interdicti ab ingreſſu eccleſiæ; Parochi, & alij eccleſiarum Rectores, ſunt excommunicati. Sixt. iv. conſt.5.§.56.347

Procurator Generalis de acceptis pro Religione rationem reddere debet Generali, vel Capitulo generali. Pij v.conſt.vnica.§.17.213. Eius inſtitutio in ſummario nu.31.

Profeſſio vna ſub vno Priore Generali. Alex.iv.conſt.18.§.7.19. Eius formula.Innoc.iv.conſt.14.§.18.180 Mulier, quæ profeſſionem emiſerat in manibus cuiuſdam Fratris S. Auguſtini poſt contractum matrimonium, redire compulſa eſt ad Ordinem.Innoc.iij.conſt.vnica.163.Poſt emiſſam profeſſionem ſine licentia Prioris nullus recedere poteſt, & recedentes redire compellendi ſunt. Innoc.iv.conſt.4.§.7.167. Vrban.iv. conſt.9.§.6.372

Profeſſionis formula vna,expreſſa

in

in constitutionibus, ab omnibus seruanda sub pœna excommunicationis. Iul.iij.const.1.§.10.221

Protector Ordinis constituitur C. Riccardus S. Angeli, & eius auctoritas. Alex.iv.const.23.per tot.25. Et nota, quod illa deputatio fuit personalis. Item Cardinalis S. Eustachij. Cælest.v.const.2.101

Protector Ordinis Iudex in controuersijs inter Congregationẽ Lombardiæ, aliàsq; Congregationes super contenta in Iul. iij. const.1.§.12. fol.221

Prouinciarum præsidentes, vocãtur Prouinciales, non Vicarij. Iul.iij. const.1.§.8.221

Prouincialatus officium ad bienn ium, vel triennium tantùm durat. Mart v.const.2.250. & Generalis nõ potest dispensare super hoc.ibid.§.5. 251. Vide verbo Generalis.

Si Prouincialis non fuerit Magister in sacra Theologia, ad biennium tantùm. Mart.v. const.5.§.4.257. & Nicolai v. per totam, & renouatur const.Mart.v.264. Hoc idem Innoc. viij.const.1.§.2.190

Q

Qvarta funeralis, siuè iura parochialis à Nobis non soluitur. Nicol.v.const.3.§.5.270. Iustitia parochialis soluitur tantùm de ijs, qui in ecclesijs nostris sepeliuntur. Six.iv. const.5. §.45. 343. De relictis non soluitur Quarta. ibid. De candelis datis in manibus, nihil soluitur.ibid. Conuentiones super Quarta, laudabiles, & obseruandæ. Sixt.iv.const.5. §.45.343

R

Recursus. Vide Appellatio.

Ad Refectorium omnes conueniant ad comedendũ. Pij v.const. vnica.§.27.28. & 29.315

Reformatione Ordinis à Pio v.facta, constit. vnica, omnia priuilegia & indulta reuocantur, Fratribus cõcessa retinendi de proprio. const.vn. §.2.311. Cellarum reformatio. §.5. 312. Procurationes visitationũ conceduntur.§.6. Ab officijs diuinis nullus eximitur, Prædicatoribus exceptis tempore Quadragesimæ, & Aduent. §.7. Missarum celebratio frequens. §.9. Semel in hebdomada clerici, & conuersi confiteãtur.§.10.313.Hospitia cũ quatuor Fratribus accipiuntur. §.12. In studijs D. Thomas, & Ægidius sectandi. §.14

De Relicta Frartibus ab ijs, qui in eorum ecclesijs sepeliuntur, nihil soluitur parochis. Sixt.iv.const.5.§.45. fol.343

Riccardus Cardinalis S. Angeli habitum præscripsit, & formam. Alex.iv.const.14.§.5.15

S

Sacramenta Eucharistiæ, & Extremæ vnctionis confessis Fratribus nostris dare possumus, si parochi eis malitia dare distulerint. Sixt. iv. const. 5.§.49.345

Sacristiæ Apostolicæ officium ab immemorabili datũ Ordini nostro; & quidam Abbas Bosius S.Sebastiani, prius fuerat Ordinis nostri professus, & transijt ad Cistercienses; & quidam locus cæremoniarum adducitur, qui in contrarium facere

vide-

videbatur; Decernitur, vt semper committatur alicui de Ordine. Alex. vj.const.3.37

Sacristia deputanda in quolibet Conuentu, & quomodo ordinanda. Pij v.const.vn.§.35.310

S. Saluatoris Conuentus de Fulignano, hoc est Ilicetano. Alex.iv. const.5 §.1.10

Scrutinij modus præscribitur. Paul.v.const.5.§.1.293. Scribæ ministerium sublatum. ibid. §.4. 294. In Capitulo generali, Prouinciales eliguntur per fabas. ibid.§.6.294

Sepelire possumus in nostris cœmeterijs, manentes in obsequijs nostris, inibiq; decedentes. Innoc. vj. const.1.§.2.3. & 4.185

Ad Sepulturam liberè possunt recipi fideles in ecclesijs Ordinis, salua iustitia parochiali. Alex.iv. const.3. §.13.4. Innoc.iv.const.4.§.14.168. & const.16.§.14.183. Clem.iv.in const. 3. Mart.v.§.14 259. Vrban.iv.const.9. §. 12. 372. Possumus ingredi parochias alienas ad leuanda funera, si presbyteri de leuando funere requisiti, recusarent. Sixt.iv. const.5.§.44. 343. Qui cum habitu nostro sepeliri volunt, non sunt sepeliendi nisi in ecclesijs nostris, etiamsi alibi sepulturam elegerint, sinè licentia Fratrũ. Sixt.iv. const.5.§.51.345. Pro illis, quorum cadauera sunt tumulanda, Parochi non possunt cogere ad officia facienda ante, vel post in suis ecclesijs parochialibus. Sixt.iv.const.5. §.56.347

Seripandus Generalis mittitur ad Concilium Tridentinum, & habuit facultatem mittendi Visitatorẽ, præcipuè ad Congregationem Ilicetanam. Paul.iij.const.6.285

Sorbonici Collegij Rector Guilielmus Riuetti, voluit impedire literas apostolicas super confessionibus concessas. Callist.iij. const.vn.§.12. 108. Idem cogere tentauit Mendicãtes, vt literis renuntiarent, & reuocatorias impetrarent; & tenor edicti ponitur. ibidem. Annullatur edictũ. ibid.§.16.109. & Mẽdicantes ad priuilegiorum possessionem in collegio restituuntur iurati, & non iurati. ibid. Cancellario renuente promotio Fratrum Mẽdicantium primo Magistro collegij committitur. ibid.§.18.110. Excommunicantur contrafacientes, & literis apostolicis non obedientes. ibid.§.19.110

In Studijs doctrina D.Thomæ, & Ægidij sectanda. Pij v. const. vnica. §.14.313

Studentes ad gradus non promoueantur, nisi cursus studiorum perfecerint, & in moribus laudabiliter se gesserint. ibid.§.16. Pro promotione ad gradus nihil exigatur, neque spõtè oblatum aliquid accipiatur. ibid. §.17.313

S. Susannæ ecclesia, olim vnita Congregationi S.Ioannis de Carbonaria Neapolit. postea S. Mariæ de Populo. Six.iv.const.9.§.4.& 5.356

Suspendi non possunt Fratres ab Ordinarijs. Bonif.viij.const.3.§.2.44

Ad Synodos Fratres Ordinis ab Episcopis compelli nõ possunt. Alex. iv.const.3 §.7.3

T

B. THomæ à Villa noua officium celebrandi facultas datur in toto Ordine per totum Orbem. Greg.xv.const.1.140

Pro Tholosani Conuentus priuilegia. Clem.vij.const.2.3. & 4.69

Ad

Ad Tribunalia ſecularia recurrētes excommunicantur, & priuantur voce, gradibus, & dignitatibus. Clemen.viij.conſt.5.§.2.8 1

S. Triphonis parochia vnitur, & cōceditur Ordini. Honor.iv.conſt.5.§.2.& 3. 161

V

VEſtiarium commune, in quo Fratrum veſtimenta ſeruētur. Pij v.conſt.vn.§.34.315

Vicarius Congregationis Lombardiæ electus, non confirmatus, nō exercet officium, ſed interim Vicarius abſolutus. Iul.iij.conſt.1.§.7.217

Præſidentes congregationum, Vicarij appellantur, non Prouinciales. ibid.§.8.217

Vnio prima facta inter Fratres Ioannis Boni, & Fratres Ordinis in Lombardia, & Romandiola, inter quos diſſenſio facta erat, & duo erāt Generales electi. Innoc.iv.conſt.14. per tot. 176

Vnio magna Ordinis ſub Alex.iv. facta in Capitulo generali. Alex.iv. conſt.18. 18. Fratres ante vnionem in alijs Congregationibus profeſſi diſpenſantur, vt in Ordine S. Auguſtini tuta conſcientia maneant. Vrb. iv.conſt.8.§.2.371

Vota de gratia prohibentur. Clemen. viij. conſt.2. §.3.75. in prouincijs Hiſpaniæ, & Indiarum. tit. Extenſio ad omnes Prouincias Italiæ. Vrban.viij.conſt.7.§.2. 382

LAVS DEO.

Pag.	Col.	§.	Verſ.	Errata	ſic corrige
41	1	1	2	ſuplicatum	ſupplicatum
47	2	1	7	inhabit tis	inhabitatis
66	2	3	23	dicti	dictis
97	2	8	9	difinitorum	diffinitorium
127	1	5	4	ſentenciam	ſententiam
129	1	1	31	cum	cum
129	1	1	44	ac	ac
130	1	3	11	Ilicero	Iliceto
135	2	2	1	faragentes	ſaragentes
139	1	10	23	pro eos	per eos
241	1	8	31	Religionem	Religionum
293	1	in Summario		ſcrutinij	ſcrutinij

Pag.	Col.	§.	Verſ.	Errata	ſic corrige
291	2	2	17	noſtris	noſtra
310	1	1	5	Mundicantiũ	Mendicantium
190	2	2	10	derogatoris	derogatorijs
316	1	17	41	conſeruecuētur	conſeruentur
355	2	2	7	ferræ	ferre
177	2	2	28	ſottiri	ſortiri
393		31	4	*deficiunt hæc verba*	Poſſent ædificare Monaſteria
198	2			Generale Petrus	Generalem Petrum
ibid.			4	ſanus	ſanum

REGESTVM.

a A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z.

Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm.

Omnes ſunt Terniones, præter a, *&* Mm, *Quaterniones*.

ROMAE, Ex Typographia Reu. Cameræ Apoſtolicæ. M. DC. XXVIII.

SVPERIORVM AVCTORITATE.